

CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII
EPISTOLAE ARCANAE,

VARII, POLITICI IN PRIMIS HISTORICI, ANTIQVARII ET LITTERARII ARGVMENTI,





AD FIDEM
MS. AVCTORIS
ACCVRATE DILIGENTERQVE COLLATAE, ATQVE SINE VLLIS LACVNIS NVNC PRIMVM FORMIS EXPRESSAE ET PVBLICI IVRIS FACTAE,

CVRA

H. L. SCHVRZFLEISCHII

ACCESSERVNT QVAEDAM ORTHOGRAPHIAE SVPPLEMENTA,

Cum Priuilegio Poloniarum Regis et Saxoniae Electoris.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
APVD IO. GODOFREDVM RENGERVM.
A. CIƆ IƆ CCXI.

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
ATQVE GENEROSISSIMO



DOMINO,

Dn. OTTONI HENR.

LIB. BAR.

A FRISEN,

Dynastae Clientelarum Rothae, Ieschvvizii,
et Rubenii etc. etc.

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET
SERENISSIMI SAXONIAE PRINCI-
PIS EL.

CONSILIARIO SANCTIORI ET
CANCELLARIO, IVDICII VICARIA-
TVS IMP. DRESDAE INSTITVTI PRAESIDI ET PR.
SAX. EL. AD COMITIA FRANCOFVRTENSIA,
QVAE ELIGENDI IMPERATORIS CAVSA
HODIE CELEBRANTVR, LEGA
TO PRIMARIO,

PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET GENEROSISSIMO

DOMINO,

DN. NICOLAO

LIB. BAR.

A FRISEN,

Dynastae Veteris Ranstadii etc.

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS

AVLAE ET IVSTITIAE CONSILIARIO ITEMQVE CVRIAE ELECTORALIS VITEMBERGENSIS ASSESSORI.



PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
ET GENEROSISSIMO

DOMINO,

DN. GOTTLOBIO FRIDERICO

LIB. BAR.

A GERSDORFF,

Dynaſtae in Baruth, Buchvvald
et Rackel, etc.

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET
SERENISSIMI SAXONIAE
ELECTORIS

AVLAE ET IVSTITIAE
CONSILIARIO.

MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. IO. GEORGIO BOERNERO, ICto

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS

AVLAE IVSTITIAE ATQVE SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO,

MAGNIFICO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO,

DN. IO. HENRICO BERGERO ICto,

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS,

IN SVMMO PROVOCATIONVM SENATV CONSILIARIO

Facultatis Iuridicae Vitemberg. Ordinario, Decretalium Prof. Publ. Curiae Electoral. Conſiſtorii, Scabinatus, item et Iudicii prouincial. in Inferiori Luſatia, Vicariatuſque Imp. Dreſdae h. t. inſtituti Aſſeſſori.

DOMINO MEO PERCLEMENTI,


DOMINIS MEIS GRATIOSIS,

DOMINIS ET PATRONIS MEIS

perſanɛte ſuſpiciendis et ſummopere obſeruandis

D. D. D.

H. L. SCHVRZFLEISCHIVS.





Aximis Veſtris, et immortalibus, in me fratremque, nunc rebus humanìs ereptum, beneficiis, Illuſtriſſime, et Perilluſtres Domini, iuxta et Magnifici Conſultiſſimique Viri, Maecenates, et Patroni Summi, parum ex officio meo gratiae retuliſſe viderer, ſi Epiſtolas has, a Cliente veſtro, dum viueret, religioſiſſime relictas, et nunc publici iuris factas, maximamque partem cum ad Voſmet ipſos, Gentemque Veſtram, gloria natalium, et continuata maiorum ſerie, inclytam, tum ad ſplendidiſſimas familias Veſtras, perſcri-

ptas,

ptas, aliis, quam Vobis, litterarum Statores ac Vindices, offerrem. Quanquam vero me haud fugit, non par, aut dignum Vobis, hoc munus esse, qui longe maioribus estis superiores: nihilominus tamen, cum ferre non possem, vt diutius meum nomen in Vestris tabulis pateret, consilium omnino cepi, gratam minimum meritorum memoriam sanctissimo mentis cultu Vobis probare, animumque eo intendere, vt mei in Vos obsequii, ac declarandae pietatis, extaret qualiscunque testificatio, aut monimentum. Nam pro incredibili beneuolentia, qua mitioribus litterarum studiis addictos homines fouere consueuistis, me, diuumque fratrem, ab omni tempore, quod in hac Academia transegimus, omnibus semper modis patrocinio Vestro summo com-

complectendos, ornandos, tuendosque adeo suscepistis, ut panegyrin pro me ipso Vobis dicere, nisi temporis angustiis excluderer, omnino deberem. Nullum profecto patrocinii, vel beneuolentiae, vel propensae in nos voluntatis, testimonium excogitari potest, quod a Vobis Maioribusque Vestris ultro libenterque profectum, non fuerimus fratres experti, dum ad Vos, in tanto dignitatis fastigio constitutos, primum adire subuerentes, gratiose et blande, vt auderemus, inuitastis: admisistis postea, quoties opus nobis fuit, libentissime, Epistolas fratris in primis excepistis benigne, ad litteras, quoties Vobis redditae fuerunt, ut documento sunt hae, quas in praesens Vobis, litterarum dignitatis Amplificatores, demisse consecro, pergratiose et amanter respon-

ſpondiſtis, et omni gratia et honore cumulaſtis, ſtudiaque noſtra haud in obſcuro iacere voluiſtis: verbo, tantis nos beneficiis affectos a Maioribus Veſtris, Vobisque, fuiſſe confiteor, ut ne Vos quidem, ſi gratia et beneuolentia in nos Veſtra metiantur, maiora tribuere cuiquam poſſitis. Quin ſi ab his diſceſſerim, nec has cauſas eſſe putarim, cur fratris Epiſtolas Vobis ſacras eſſe iuberem, moveret tamen me ipſa Reſpublica, in cuius conſeruanda ſalute, et dignitate, auſpiciis *POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET SAXONIAE ELECT.* omnem cogitationem et mentem fixiſtis. Hanc enim, temporum calamitoſiſſimorum iniquitate afflictam, Veſtra virtute, conſtantia, et ſapientia, reſtituere quotidie laboratis, et nunquam oculos ab eius cuſtodia defle-

flectitis, sed omne tempus Vestrum in Saxoniae dignitate amplificanda, in commodis augendis, et felicitate ciuium, pro temporum ratione procuranda, recisis omnibus, quae impedimento erant futura, occupatis, atque singularem in *REGIS NOSTRI* oculis prudentiam testatam facitis, et in dies nouis exemplis confirmatis, quae in omnium saeculorum memoria vigebunt. Nec intermittitis, pro sanctissimorum munerum Vestrorum auctoritate, ut coetui sacro consulatur, et sapientiae studia, quae Vos Statores ac Vindices habent, et Vestro in primis praesidio fulciuntur, floreant, perpetuisque incrementis augeantur. Haec summa, Illustrissime, et Perillustres Domini, ac Magnifici Viri, Patroni obseruandi, Vestra fides, vigilantia, vis in-

genii, et praeſentia conſilii admiranda, inuictaque in efficiendis conſtantia et induſtria, cum omnibus cognita ſint et perſpecta, et diſertiſſimorum hominum praeconia ſuperent, has infinitas laudes, et plus iuſto volumine cumulandas, animo meo tacite contemplabor, atque in pietate, quae clientem decet, deſinam, et in admiratione Illuſtriſſimi, et Perilluſtrium Excellentiumque, et fama meritiſque celebratorum Nominum, quae nemo in hac ſtudiorum umbra aſſequitur, religioſe acquieſcam. Quod reſtat, Diuinum, Praepotenſque Numen, votis precibuſque ſupplex obteſtabor, ut hanc felicitatem, Vobis propriam velit eſſe perpetuam, quo publicam rem praeclare, quod facitis, quam diutiſſime ornetis, et, quod in extremo optandum,

lumi-

lumina Gentium Veſtrarum, Familiarumque, ſemper nobis ac uniuerſae poſteritati luceant, ſplendoremque omni temporum ſtatu ſeruent, ac latius ſe diffundant, et nullo caſu minuantur, nulla tempeſtate laedantur, nulla denique ſaeculorum caligine obruantur.

ILLVSTRISSIMAE,

PERILLVSTRIVM,

et Nobiliſſimarum Excellentiarum Veſtrarum

Vitembergae cIↄ IↄCCXIV
III. Non. Sept.

Obſequentiſſimus obſeruantiſſimusque

H. L. SCHVRZFLEISCHIVS.

, Fa-
uni-
len-
ſtatu
t, et
tem-
ique
ur,

E,


M,

tiarum

namiſſ

IVS


Conrad. Samuel chürzfleischius
Historiarum Professor Publicus Honorarius
et Humaniorum ac Eloquentiae Ordinarius
Wittenbergensis Serenissimi Principis Saxo Vinariensis
Regentis Consiliarius et Bibliothecae Director.



PRÆFATIO.

NOn male profecto de re litteraria promeriti ſunt, qui doctorum Virorum Epiſtolas, de grauiſſimis elegantioris doctrinae argumentis exaratas, atque ad idoneos verae eruditionis exiſtimatores perſcriptas, ſolicite collegerunt, collectas in ordinem redegerunt, atque in iſtum redactas publici iuris fieri curarunt. Etenim in illis ſelectiſſima variarum, ac praeſtantiſſimarum rerum capita continentur, quae varietate et vtilitate ſua non modo afficiunt animum, ſed retinent etiam et mirifice delectant. Praecipue igitur commendandae ſunt, quae Hiſtoriam noſtri aeque ac praeteriti temporis tam ſacram, quam profanam, egregie illu-

ſtrant, ſtatumque diuerſorum regnorum, et rerumpublicarum, ac maximi momenti controuerſias, de Imperiorum ſucceſſionibus, aut religionis negotiis, motas, nec cruentis bellis, varia fortuna geſtis, ſopitas, breuiter ſummatimque exponunt, magnaque cum libertate iudicandi, perſaepe repraeſentant. Tum vero prorſus eximiae ſunt, quae accuratis de ſcriptoribus in omni eruditionis genere illuſtribus, eorumque ingenii monumentis iudiciis refertae ſunt, ac de elegantioris doctrinae praeſidiis, litterarum incrementis, optimis librorum editionibus, doctorum Virorum vitis, honoribus, fatis, ceteriſque, obſeruatu dignioribus rebus, nos inſtruunt iuxta informantque. Cuius generis Epiſtolae, quae paſſim extant, tantum abeſt, vt eruditis, ex aequo et bono de iis iudicantibus, diſplicuerint, vt communi fere omnium plauſu exceptae fuerint, et maiorem in modum commendatae. Quas inter ſi principe quis loco SCHVRZFLEISCHIANAS collocauerit, iuſtiſſimum certe pretium illis ſtatuiſſe, nec quicquam gratiae, aut

fa-

fauori hic dedisse, videbitur. Quod si enim a sermonis puritate, atque elegantia, qua nitent, discedamus, pretiosissimam variae, copiosaeque, ac per amplissimos eruditionis campos longe lateque se diffundentis, doctrinae supellectilem, rerumque maximarum notitiam, cum reconditae antiquitatis peritia non mediocri coniunctam, in illis animaduertimus pariter atque admiramur. Quamobrem gratiae merito habendae sunt Celeberrimo Auctori, quod summa diligentia, ac singulari cura, eas non modo conscripserit, sed posteritatis quoque gratia conseruarit. Neque vero temere existimandum est, eum, temporis fallendi causa, in conficiendis iis occupatum fuisse, operamque hinc et industriam suam male, aut frustra, collocasse. Qui enim ita iudicant, animum, inuidiae stimulis percitum, haud obscure produnt, et temeraria summi Viri sugillatione famam ac laudes suas, quas alioquin mediocres habent, Giganteo, impari tamen et infelici conatu superstruere laborant. Cuiusmodi imperitum, et in iudicando praeceps

eru-

eruditorum vulgus, parum moramur, nec dignum iudicamus, in quo verbosius refellendo tempus et chartam perdamus. Ipsa enim Schurzfleischii eruditio, in luce atque oculis hominum sita, iniquos hosce maleuolorum sermones facile dissipabit, quippe de quo nihil tam magnificum praedicari potest, quod eius summae virtutes non superent. Speramus itaque, ac certo nobis pollicemur, fore, vt Epistolae hae in meliores, ac magis idoneos arbitros incidant, ac vel sola praestantia sua apud omnes bonos se se tueantur.







I

ILLUSTRI HERMANNO WOLF-RAMSDORFFIO.



Ermultum patriæ intereſt.quodTe aulæ faſtigio impoſitum videt, et mea etiam priuati hominis refert,ut eo honore, in quo poſitum Saxoniæ decus eſt quam diutiſſime fruaris. Sero autem hunc animum gratiæ tuæ deditum aperio, ſiue viribus meis per ſe exiguis,quum partes obſequii explendæ ſunt, ſiue ſtudiis mediocribus, quum aliquid expectationi aulicæ effingunt, diffiſus. Nunc vero tandem erexiſti me prorſusque confirmaſti, ut credam, rationes ſtudiorum in umbra deliteſcentium Illuſtriſſimæ Excellentiæ tuæ non diſplicere. Nam et comitas tua admirabilis eſt, et voluntas in literas prope fidem excedit, et dexteritas inſuper conficiendi negotia ſingularis paſſim celebratur, ut læter penitusque exultem

quoties recogito, quanta benignitate homines de omni ſpe deiectos complectaris. Multos fouiſti et me ipſum, cum lubrico iuuentutis aberraſſem: plures ornaſti beneficiis, et commendatione etiam grauiſſima de omnibus mereris in hunc usque diem, ut nemo non intelligat, abs Te diligi et probari iuuenes in honeſtis ſtudiis defixos, planeque ad laudem excitatos. Id vero ſigillatim ad Io. Chriſtophorum Bergmannum pertinet, quem tuendum ſuſcepiſti, mihique perclementer mandaſti, ut de exploratis eius dotibus ad Illuſtriſſimum Excellentiſſimumque Gersdorffium referam, operamque pro eo ac par eſt, fouendis eius ſtudiis utilem probem. Quod Domine, ita faciam ſedulo, itaque curabo diligenter, ut ea in re pietatem animi, religionemque obſequii perſpicere poſſis, Tu præcipue Heros in toga Maxime, qui iuxta cum Illuſtriſſimo Senatu ſanctiori mihi perfugium præbuiſti, ſtudiaque mea valido patrocinio defendiſti, quique demum illi Principi conſulis, qui iacentem in ruinis Academiam fulſit, munificeque ditauit, iamque id votis noſtris conſecutus eſt, ut ſedendo vicerit æmulos paceque triumpharit. Ita vero Deus Immortalis omnia conſilia, labores, inſtituta tua, fortunet, ut quæ ego aſſequi non poſſum, merita et laudes, ea poſteritas verbis exæquet, ac victuris ad æterni

nitatem monimentis commendet. Vitembergæ Saxonum, A. cIↄ Iↄ CLXXIX. IV. Calendas Quinctil.

II.

IO. ANTONIO SCHURZFLEISCHIO.

artis salutaris Candidato.

RAtiones meæ ita ferunt, ut te commoneam de variis rebus, quas tibi credo iucundissimas fore. Res Titii versibus persecutus sum, ut intelligant homines, me ab eo studio non esse alienum, ad quod ingrediendum et perficiendum multi et doctrina, et ingenio præstantes viri me semel iterumque cohortantur. Nunc ea quoque me oblectant, quæ euagantur liberius, minorique cura metiendi pedes numerosque constant. Nec tamen omitto seria, et LXX. identidem euoluo, et naturam rationemque eius linguæ et dialectorum omnium diligentissime perscrutor, atque exempla ex auctoribus, quotquot occurrunt, præstantissimis peto. Atticam demonstro in Aristophane, Doricam in Pindaro, Ionicam in Homero, Aeolicam in Alcaeo et plerisque aliis monumentis, quæ etiamnum sunt in manibus, passimque tibi occurrunt. Cui instituto, per se difficili et molesto, lucem afferunt Grammatici atque interpretes veteres, Eustathius, Tzetzes Di-

dymus, Gaza, Chalcondyles, Moſchopulus, quos ſerius, quam expectatio mea ferret, ſum adeptus. Patres etiam, ſcribendi genere diſcrepantes, lego, et pro eo ac poſſum contendo. A Iuſtino ſubtiliter, a Chryſoſtomo copioſe, diſſeruntur omnia et explicantur. Nec dubito, quin in altero characteris philoſophici, in altero imitationis Ariſtophaneæ veſtigia deprehendas. Placet etiam mihi Baſilius, Caſelioque inprimis eſt amatus, quem cur in ſuſpicionem vocaret Athanaſius, non eſt hic ſcribendi locus Tu interim artem inſcriptionum, quæ Poeſin quodammodo imitatur, exerce, atque in eo genere propone tibi ſequendos Octavium Boldonium et Carolum a S. Antonio, qui eum laborem præclare ſuſceperunt. Ex Batavia nunciatur, F. Ordines omni ſtudio operaque pro pace anniti, cupereque, ut Anglus in coepto conciliationis munere perſeueret. Græuius ibidem pergit in edendis caſtigandisque ſcriptoribus optimis, Florum acuminibus laſcivientem ſumma cura illuſtrauit, notisque variis auxit, Iuſtinum pari diligentia elimabit, accurateque recognoſcet. Germanos hortatur, ut Germanorum opuſcula ne perire ſinant, inprimisque videant, ut Reineſii, Rhodomanni, Boſii et Buchneri ſcripta ab obliuione et tenebris vindicentur. De notis, in Florum et Juſtinum edendis, magnopere promiſit,

misit, fore in iis multa singularia et rara, vulgoque haud obseruata. In Anglia exitura sunt in lucem omnia Iamblichi opera. Suidas Beueregii breui veniet in nostras manus, quem multa diligentia curat vir doctus et laboriosus apud Anglos. Stephanus, de Vrbibus pari diligentia castigatus auctusque, lucem videbit, eruditisque utilitati erit. Catanaei Plinium, diu est, quod desidero, cujus Suidam nuper sum nactus. Hieronymum Graecum Daumii, doleo, Florentiam esse missum, unde forsan non facile repetamus, praecipue me pungit, quod, quum omissus sit in Bibliotheca Patrum, et super eo vertantur controuersiae, nos eo thesauro nimia ejus viri indulgentia priuati simus. Illud vero laudandum est in exteris, quod suorum scripta conquirunt passim atque certatim edunt, nos soli erga nostros iniqui sumus, velut obliti virorum, quos habuimus hic, maximorum. Audio Blondelli comparationem Pindari cum Horatio institutam exiisse in lucem, quam vehementer desidero. Omnia enim ejus viri egregia sunt atque elimata, praeterquam in causa Gallorum, quam ita disceptat, ut non pauca in contumeliam Imperii Romanorum composita obseruare liceat. Aratum, in Anglia raris ac nondum visis annotationibus auctum, breui spero ad me perlatum iri. Valesii volumen tertium scriptorum Ecclesiasti-

eorum ex Gallia curabit VVustius, vir mei amans, et continuationem recentioris historiæ a me pactus, cui eo minus defuturus sum, quia valde commodis meis studet. Patinus diligentiam nuper iterum singulari numorum volumine, luculento satis et præclaro, probauit. Mihi negotiis districto non vacat edere, quæ diu affecta habeo, nisi quod opusculum de *Vitricis Ecclesiæ* molior, quod, efficiam, ut breui videas. Vale Vitembergæ Saxonum. A. cIↃ IↃc LXXIX.

III.

SAMVELI STVRMIO, *Med. Licentiato.*

Litis nuper coeptae expedita ratio est, si dicas, sententiam, abs te confectam, modum formamque compositionis versibus Comicis adstrictæ præ se ferre, propterea quod in eiusmodi inscriptionibus character prosæ non ad amussim seruari potest, præsertim quum notæ ad annos significandos adhibentur. Ita vero non difficile est adferre testimonia, quibus probes nihil admisisse te præter contraque Latinitatis leges. Plautum dabo, scriptorem classicum et probum, qui *defendendi* pariter, atque *defensandi* verbum recte atque eleganter satis, sine præpositione, construxit. Eandem viam ingressi sunt Poe-

tæ

tæ præstantissimi, Virgilius et Horatius, ac *defendere* sine adiectione extulerunt. Intempestiua ergo et inutilis diligentia est, quæ ea vocat in dubium ac suggillat, quæ certa sunt passimque explorata. Tibi vero apud Viros doctos facile perfugium erit, nec spe tua frustraberis, si consilium sententiamque Ordinis nostri exquiras, cum id eiusmodi negotium sit, ut breui tempore confici explicarique possit. Ceterum in prosa, quum vel oratio, vel historia scribenda effingendaque est, sensus plani et graues, ut sic dicam, exiguntur, adeo quidem, ut ibi ad virtutem indolemque sermonis pertineat, ne aliter, quam cum præpositione, coniungatur, prout habet notionem auferendi et amouendi ab aliquo, de cuius commodo statuque conseruando agitur. Eo modo *defendere ab inimicis, ab hoste vitam*, ex usu Latinitatis dicitur, non ut vulgus loquitur, *contra inimicos, contra hostes.* Sine præpositione *defendere* est *repellere*, ut, *defendere bellum, defendere vim*, quæ, et huius generis alia, neminem, vel mediocriter eruditum, fugiunt, alioq; spectant. A. cIↃ IↃc LXXIX. III. Cal. Quinctil.

IV.

AMICO CVIDAM.

ADhuc inter spem metumque Europa est, nec dum omnia negotia confecta expli-

cataque ſunt, ut non iterum in periculum venire queat Brandenburgicus reſiſtit poſtulatis Gallicis: Suedi pariter obfirmati ſunt in repetendis iis, quæ amiſerunt, cupiuntque ut is quam primum ex poſſeſſione Pomeraniæ dimoueatur. Interim de Cæſaris auctoritate multum ſane mea opinione deminuitur, quod ſinat Gallum progredi in patriæ viſcera, et auctoritate Imperii abuti, quod præter conſuetudinem eſt, contraque iura et leges. Summum rerum arbitrium iudiciumque Germania habet, quod Gallus mira rerum conuerſione in ſe trahit, conniuentibus Cæſare et Principibus: Si quid enim expromendum, ſi quid executioni mandandum eſt, Circulorum Principes præſto ſunt, qui ad eam rem conficiendam adhiberi poſſunt et debent. Nunc vero externo Regi omnia licent, vult, iubet, moderatur omnia, pro ut ipſi utile videtur. Quod ſicuti inglorium eſt, ita oſtendit male conſtitutas Germaniæ res, diſcordiam, æmulationes, neruum reipublicæ inciſum Quanquam nec deſunt cauſæ inuidiæ erga Brandenburgicum, quas religioni promiſſorum, decretorumque Imperii remitti oportebat. Sed quia potentia vicinos antecedit, his pariter atque exteris ſuſpectus eſt. Nec inficiari auſim *Reformatorum* conſilia ſæpe feruida, et exitu miſera fuiſſe. Venit hic in mentem Friderici IV. et V. El. Palati-

latinorum,qui ex pernicie Auſtriorum captabant creſcendi occaſionem. Nuper legi acta Donavvertenſia,in quibus multa inueni egregia et obſeruatu digna, de quibus ſi ferat occaſio, inter nos aliquando colloquemur. Spinas balænæ, quæ in templo arcis ſuſpenſæ ſunt, lapidibus annumero,quoniam nec carie infeſtari,nec cultro ſcindi poſſunt: præterea deeſt cauitas, quam alioqui in ſpinis illis licet reperire, meminique in urbe marina fuiſſe ſpinas ceti ſuſpenſas,quas mox putredine corruptas auferri oportuit. Sane enim pinguedinis aliquid in meatibus delituit, quod vitiari protinus foedarique coepit. Illud vero ridiculum eſt, planeque ineptum, quod ex Palæſtina noſtræ iſtæ, ſi Diis placet, ſpinæ aſportatæ dicantur. Nullæ enim ibi balænæ capiuntur, ſed in mari Septentrionali earum ſedes eſt, ut ſic quoque intelligi poſſit, nullam fabulam eſſe ſolam. Ad extremum opto, ut defenſor, propagatorque libertatis Germanicæ DEus cauſam communem ne deſerat, pacemque in univerſum,ſed honeſtam et perpetuam inſtaurari patiatur. A. cIɔ Iɔ CLXXIX.

V.

AMICO CVIDAM.

GAudeo quidem,me apud te in aliquo numero eſſe, ſed doleo contra, improbo-

que iſtam profligatisſimam leuitatem, quæ tibi, rerum tuarum ſatagenti, vim iniuriamque attulit, nec parum me ſenatumque Academicum commouit. Nihil tua cauſa omittemus, et honorem æquisſimo iudicio defendemus, qui cum vitæ, tum doctrinæ tuæ, ſane eximiæ ac ſingularis, rationes multo exploratisſimas habeamus. Homini iſti, a maiorum virtute aberranti, manus iniecta eſt, nec ignoramus, totum iſtud factum magis ad fortunam, quam ad culpam tuam, pertinere. Nemo enim credat, in loco tam eleganti eſſe homines tam effrenatos, ut tranſeuntes inuadant indigneque tractent. Quare, pro fide et auctoritate muneris perquirimus rationes, et teſtimonia, quibus coarguamus hominem, et more forenſi conuincamus, conuictumque poena Academica adficiamus. Tibi vero quid ea in re, iam ad magiſtratum delata, videatur, prima quaque occaſione potes reſcribere, meumque tibi adfectum multo prolixisſimum ſpondere. Cal. Sextil. A. cIↄIↄCLXXIX.

VI.

AMICO CVIDAM.

MAgna amoris vis eſt, qui homines voluntatum ſimilitudine conciliat, habetque iucundam recordationem, et veram profecto, me iudice, felicitatem præſtat. Nam, aliena

na appetere, et ad ſe non pertinentia ambire, miſerum eſt: verſari autem inter libros, et explere animum voluptate literarum, vera laude non vacat, etiam in prædio, a ſtrepitu hominum ſeiuncto. Plinio, crede mihi, nihil optatius accidere potuit, quam, cum ruri eſſet, ceram et pugillares ſumere, legere, excerpere, munereque liberalis hominis perfungi: eo magis, quod, de ſententia Philonis, qui ſcribendi ratione Platonem æquauit, Claudiique æuo maxime eluxit, *unum ſapientis bonum eſt, recte agendo adſpirare ad immortalitatem.* Bartoli, Baldique inſuaue ſcribendi genus cur te non delectet, haud quaquam miror. Viri enim illi doctrinæ antiquitatisque ſtudiis carebant, quibus nunc quidem abundamus, multoque feliciores ſumus. Seckendorfii vero monita et exemplum recte ſequeris, Viri in ſummis reipublicæ negotiis iampridem cogniti, et, ſi virtutem ſpecto, admirabilis, quem Germani mille exteris opponere, eiusque conſilio, tanquam ſcuto Aiacis, inniti poſſumus, ego vero et tu eius patrocinio ſpes incertas firmare, fortunamque ſolari. Vale. Eid. Sextil. A. cIɔ Iɔ CLXXIX.

VII.

VII.

Illuſtr. ARNHEMIO,
Curiæ El. Præſidi.

JUcunda mihi ſermonum pariterque mandatorum tuorum recordatio eſt, propterea, quod multis beneficiis abs Tua Excellentia ornatus ſum, vidique coram, quae abſens non credidiſſem. Enim vero, omnia tua inſtituta, conſilia, rationesque muneris, in uniuerſum pietate ac prudentia ſingulari fulciuntur, ſpondentque mihi laetum ejus voti, quod Pretſchii pro te feci, euentum, dum optaui precatusque ſum, ut perpetuis heredibus gentis tuae gloria innitatur, quam expedit his munimentis firmari, ut Principis Electoris dignitatem, aeque in toga, ac diuus Pater in Sago et caſtris, defendas, recteque conſulas, et quae moleſta alias perplexaque ſunt, ea omnia dexteritate tua facilia explicataque reddas. Haec ſcribenti adferuntur literae, quae nunciant, pacem Danos inter et Suedos iam pro confecta haberi, quanquam Franciſcus Egon Furſtenbergius cupit, ſuſcitari bellum, multumque negotii faceſſit F. Belgis, cum ob reſtitutionem Traiecti ad Moſam, ubi Colonienſis quoque ius habet, tum ob Argentorati negotium, aliasque haud plane nullius momenti cauſas. Eodem tempore perfertur liber Raimundi Lullii, Balearis, qui

qui reconditas Chemicorum artes continet, Teſtamentumque, quod ad Carolum Andegauenſem, regem poſtea Neapolitanum perſcripſit. Ad extremum, oro Te, Illuſtris Domine, ut deinceps quoque patrocinio tuo me ornes, clientemque veterem more tuo, id eſt, benigne et conſtanter, complectaris. Ego precibus votisque ab Immortali Deo impetrabo, ut æternitatem Stirpi, et gloriam ſucceſſusque inuidendos ac perpetuos tibi ac genti tuae largiatur. A. cIↄ. Iↄ CLXXIX.

VIII.
JOANNI CHRISTOPHORO FUGMANNO.

DUbitationes tuae nec iniucundae, et antiquitatis nomine mihi imprimis ſunt pergratae, propterea, quod Ciceronis Iurisprudentiam peropportune mihi in animum reuocarunt. Exiſtimo autem *gentiles* recte eſſe deſcriptos, quatenus, ex inſtituto veterum locutus Cicero, deminutionem capitis magnam intellexit, quippe quae cum morte paria facit, iuraque ſanguinis tollit, quantum ciuiles effectus denotantur. Itaque omnino dicendi ſunt *gentiles*, qui unius gentis nomen et commune ius retinent, neque aut ciuitatem et libertatem ſimul, aut ciuitatem ſolum, amiſerunt. Qui enim alteru-

terutro modo capite deminuuntur, iure Quiritium non ſunt *gentiles*. Non ergo eſt, cur ſcrupulum tibi iniiciat minima capitis deminutio, quae quamobrem illuc non ſpectet, ipſe tu iam cauſam vidiſti ſatis penitusque explicaſti. De teſtamento Felicis, quod ſuper eſt, puto ex mente et verbis ſequi, alterum eius teſtamentum, quod, accurate confectum, valere cupiebat, ideo non valuiſſe, quod, per imprudentiam, aut alia re, morboue, impeditus, præcipuum teſtamenti actum, qui ſignatione continetur, omiſiſſet: alterum autem, quod valere non cupiebat, ea ſane ex cauſa valuiſſe, quod neceſſaria et præcipua teſtamenti ratio ex præſcripto iuris, pro eo ac par eſt, non defuiſſet. Haud enim attinet dubitare, quin ita factum ſit, quum facti narratio plana eſt, quam ex ingenio comminiſci aliam, coniecturaque leui aut ſuſpicione mutare, nullo boni interpretis argumento licet. A. CIƆ IƆC LXXIX.

IX.
AMICO CVIDAM.

Diſputatio, de Anticipatione Numinis, perquirit reconditas Philoſophiæ Stoicæ rationes, quas Gaſſendus accurate eruit, perſpectasque maxime habuit Lucas Holſtenius, Vir æuo noſtro doctiſſimus. Gaſſendum vero plerique tirones deſcribunt, qui, cum

cum nihil legerint, videri tamen volunt legiſſe penitusque inſpexiſſe. Non aliter quidam cum hiſtoria agunt, et antiqui Foederis antiquitates colligunt, prorſusque compilant, utentes opera Gallorum Anglorumque, et Varenii Commentarios in priores libros Moſis intempeſtiua diligentia exſcribunt. Qui Vir Hebræarum litterarum multo eſt peritiſſimus, ſed libris ſubſidiisque eget, ſenſum autem diuinioris Scripturæ rimatur egregie, diligenterque interpretatur. Joannes Muſæus, cum in abſoluendo contra Theologum quendam opere laboraret, gnauiterque hoc ageret, ut defenſio quam primum confecta eſſet, nec opinato apoplexia impeditus eſt, quo minus inceptum perficeret, forte, ut ſic reipublicæ ſacræ tranquillitati tandem conſuleretur. Nunc enim ratio ſarciendæ concordiæ inita eſt, ut mutuo ſilentio coepta iſta lis tandem finiatur. A. cIↄIↄ CLXXIX.

X.

GEORGIO SCHUBARTO,
P. P. Jenenſi.

Literas tuas, eleganter politeque ſcriptas, dudum accepi, et Bielkio, cum Lipſiæ eſſem, ſalutandi tui negotium dedi, quod quin curauerit, eius in me ſtudium non ſinit dubi-

dubitare, præsertim, cum de honesto proposito et laboribus, multa cum laude abs Te susceptis, referret. Ego, quoad tuis commodis, honorique seruire, aut quacunque occasione de studiis tuis bene mereri potero, nihil prætermittam, cum is sim, qui amicis nullum officium negare velit, præcipue tibi, quem una recti voluntas mihi conciliavit. Nuper, neque id diffiteri possum, magnopere lætatus sum, quum audivi, partes Professoris Academici tibi fuisse impositas, quod simul ac resciero, pluribus tibi gratulabor. In parte studii, quod in Romana antiquitate collocabis, Pighius, Lentulus, Bisselius, Boeclerus, Viri Clarissimi, multa egregia industriæ adiumenta adferent, grauiterque et copiose docebunt. De viris apud exteros, quos vel fama prædicat, ingeniumque magnos fecit, forte non consultum, nec tutum est, distinguere, qui pares esse volunt. Nosti doctorum æmulationes hominum, diffidia, rixas; quanquam inter Gallos Emericus Bigotius, Florentiæ Antonius Magliabechius, alii alibi, multum clarent, et nomen, existimationemque in dies augent. Græuium nostrum ipse tu nosti, Virum ex fide et doctrina Germanis æstimandum. In Anglia fœditas coniurationis multos deterruit, qui maxime alioqui in rebus Geographicis, et Orientalibus atque Ecclesiasticis elaborant. Naturalis

lis enim ſcientiæ ſtudium hominibus vacuis relinquo, et volo, ut Celeberrimum Schilterum inprimis nomine meo ſalutes. Vitembergae Saxonum, inter alia, et inuiſentis amici impedimenta, prorſuſque, feſtinanter. A. cIↄCIↄLXXIX.

XI.
ANTONIO MAGLIABECHIO, V. C.

QUod ſaepe multumque in votis habui, ut literae meae Florentiam perferrentur, id hodie fortuna mihi offert, quum de itinere ad vos ſuſcipiendo certum me reddit iuuenis quidam honoris mei perſtudioſus, nomine Zeebaurius, patria Ratisbonenſis, et ciuis huc dum noſter. Is præſens tibi dicet, quid de nomine tuo clariſſimo ſentiam, quantum amori tuo tribuam, ut credere poſſis me in ea quidem parte nulli popularium tuorum eſſe conceſſurum. Librum, nuper a te miſſum non aliter, quam ſempiternum beneuolentiae tuae pignus, ſeruabo, paſſimque praedicabo, relaturus impoſterum gratiam, ſi occaſio ſit viciſſim bene merendi. Illud vero aſſidue et ſine fuco facere ſoleo, ut quotidianis ſermonibus meis publice priuatimque celebreris. Nec diſciplicet ſtudium in te meum Viris cordatis, maxime aulæ proceribus, qui multum te amant. Ego, ut de meis hoc addam,

his diebus aliquid operae posui in veteri Burgundiae regno, penitusque id perquisiui, quod, simul ac ad exitum perduxero, Florentiam curabo. Diu autem est, quod Cl. Arnoldus nihil ad me perscripsit: nunc vero non dubito, quin lemmata haec pro eo, ac soles, amore, accipias, mihique fauere pergas. Ceterum Doctissimus Vir, Henricus Noris, quem ob variam lectionem, iudicium que ex asse consentiens aestimo, perofficiose, si id quidem tibi graue non est, salutetur. Cal. Octobr. A. clↃ IↃCLXXIX.

XII.
JOANNI SCHEIBLERO,
Sacrorum Iuliaci et Montium Praefecto.

FIlius tuus, Petrus Christophorus, vita, moribus, eruditione egregius, ita hic se gessit, passimque commendauit, ut nullo testimonio egeret. Praeterquam enim, quod virtutem eius per se amaui, et si hic diutius versaretur, ornandum duxi, literae quoque tuae multum apud me valuerunt, vt magis eum complecterer, qui nomine et animo magni nominis auos paternum Christophorum, maternum Petrum Haberkornium refert, ac nihilo segnius tuas laudes imitatur. Illud vero maiorem in modum abs te peto, Vir Celeberrime, ut filio aulam ingressuro, rationes

ad

ad suscipiendum institutum utilissimas praescribas, ut posthac prudentiam, quae in vita et aulae luce valet, sibi ante oculos ponat, et, quod ibi optimum reperit, sequatur. Fallax, vafrumque saeculum noscere et quotidie explorare licet, ut vitemus insidias, circumspecteque viuamus. Saepe enim cum iis fortuna nos coniungit, qui, si nos haud meliores doctioresque, certe cautiores reddunt. Quod utinam lubrica iuuentus in animum demitteret, daretque pariter doctrinae, et prudentiæ, operam, prauosque mores, et rixandi studium auersaretur. Longe rectior filio tuo mens contigit, quae sponte sua per optima vestigia incedit, et ingenii gloriam deliciis ac vanitatibus ineptientis saeculi anteponit. Ego et dico ingenue, et sine fuco existimo, si is filius tuus coeptum curriculum uno tenore conficiat, dignum fore quouis amplissimo Academiae munere. Quod ut ei ex sententia eueniat, opto, nec ulla in re ipsi unquam deesse volo. Interim te DEUS cum nobilissima familia diutissime seruet. Non. Octobr. A. cIↃ IↃCLXXIX.

XIII.
AMICO CVIDAM.

MVlta et varia sunt, quae communicare mecum voluisti, nec me fugit, pleraque obscura esse, et difficultatibus impedita.

Chronicon Samaritanorum, quod plerumque laudat Hottingerus, multis fabulis refertum, caute legas, ſuadeo. De Catholicis Armeniorum Doctisſimus Petitus, in variis ſuis Lectionibus grauiter docet, veriusque tradit, quam Micrælius. Cadamuſti librum ſaepe multumque euoluo, nec me pretii poenitet. Hiſtoria Iacobitarum, quæ A. cIↄ IↄCLXXV. Oxonii in lucem emiſſa eſt, exigua breuisque eſt, ac praefert auctorem Ioſephum Abudacnum, ſiue Barbatum, ciuem Memphitanum. Dum hoc ſcribo, venit in mentem Bangii, qui Barbati Meniphitici, forte autem Memphitici legendum, mentionem facit, in Coelo Orient. p. 202. Eius autem liber, ut recordor, A. 1651. Louanii prodiit, Speculumque Ebraicum inſcribitur, quod ſucciſiuis horis perlegi, ut cum ſacris antiquitatibus, unde digreſſus iam olim ſum, in gratiam redeam, animumque voluptate perfundam. Zagozabi confeſſio mihi aliquot abhinc annis fuit ſuſpecta, lætorque, Ludolphum nuper id planum euidensque reddidiſſe, atque adeo me in ea ſententia confirmaſſe. Inſtitutum interpretationis multa, crede, ſubſidia poſtulat, quibus ut ſufficias, ſane vereor. Aparatus Linguarum, varii codices, immenſa lectio, diligentia indefeſſa, iudicium ſingulare eo requiruntur. De interpretatione ſcripturae aliquid cona-


tus

s eſt Michael Nethenus. Etiam tibi com-
ꝫndo Cocquii obſeruationes Critico-Sa-
as, ſucci plenas. Nec ignorare te volo,
.takeri opuſcula apud me in pretio haberi,
ae cupio optoque, ut omnia ex Anglico in
.tinum conuertantur, iunctimque edantur.
ic enim ſacerdos multo eruditiſſimus fuit,
Hellenisſmi contra Pſocheniū propugna-
r acerrimus, qui Graecam linguam a Ioan-
Boiſio didicit generumque ſuum Fran-
cum Taylerum in ſtudiis adiuuit, et verſio-
m Targum Hieroſolymitani approbauit.
iceri Heſychius utinam euulgetur. Schre-
lii enim jam diu ſpem meam fefellit. A. cIↄ
ↃLXXIX.

XIV.
PATRONO CVIDAM.

EXorientis huius anni tempus me pietatis
et obſequii admonet, pariterque flagi-
, ut, formula veterum, fauſtas feliceſque
lendas Ianuarias tibi voueam, haud igna-
, quid facere debeam, quum partes mihi
ɔonit neceſſitudo, ut magnopere te co-
ı, qui alioquin opto aſſidue, veneror que
um, ut ſaluum te atque incolumem diu-
ıme conſeruet. Praeterquam enim, quod
ıea obſeruantia exigit, ratio quoque me-
ɔrum tuorum poſtulat, ut pro te vota faci-
quia ſalute tua certe ſtudiorum meorum

 ſalus



ſalus continetur. Feliciter ergo hunc annum ineas, et felicisſime conficias ac finias. Deinde abs te peto magnopere, ut librorum ſubſidia mihi cures, Principemque enixe roges, uti ſe mihi facilem praebeat ac indulgentem. Ioannes Strauchius, qui nomen famamque multis et reconditis ſcriptis illuſtrauit, Gieſſae, cum ad faciendam rem diuinam ſe compararet, ex inſperato mortuus eſt. De bibliotheca, quid conſtituerit, neſcio. Nam filios reliquit aut disſimiles, aut degeneres, qui ea uti non poſſunt. Audiui, venditurum fuiſſe Academiae Gieſſenſi, ſi pretium daret, in quo acquieſcere poſſet, ſed conditio non accepta eſt, hinc Fabro cuidam Francofurtenſi deſtinauit, ſi vera ad me fama perfertur. Abundauit enim doctrinae et librorum ſubſidiis, et in ciuili pariter et ſacra antiquitate incredibiliter profecit. Vergente aetate aemulum induſtriae Zieglerum vidit, faſſusque eſt, eum in pleriſque ſibi praeuertiſſe, quando ipſe hoc tale inſtitutum fuiſſet ſuſcepturus. Sed aliquid illa opera dignum in Amoenitatibus Iuris Canonici oſtendit, Gratianus autem, quod doleo, nondum eſt abſolutus. Quinque enim, ut recordor, diſputationibus conſtat. Non autem neſcio, varia ſtudii adiumenta, libroſque ſelectos et raros habuiſſe, multisque ſumtibus ex Gallia adferendos curauiſſe, prope enim eſt, ut dicam

cam

:am eum libris emendis se exhausisse, ac mo-
·e veterum in re tenui acquieuisse. Proxime
n Frontonem Ducaeum incidi, cuius moni-
menta, quae in pleraque Patrum opera ex-
tant, prorsus egregia sunt, et digna, ut ab uno-
quoque legantur. Non ita pridem mihi al-
lata sunt itinera Asiae a quodam Ioanne Ba-
ptista Tauernierio, Barone scutato descripta,
quae multa recondita et vulgo ignorata com-
prehendunt: artes et secreta quaedam Tur-
carum feliciter aperit, et, cur hodiernus mi-
litiae praefectus patri, raro quodam et inau-
dito apud barbaros exemplo, suffectus fuerit,
copiose exponit. Dresdae fuisse, in primi
libri aditu videre integrum fuit. Editio,
quam quidem ego oculis usurpaui, recusa est
apud Batauos, audio vero, quempiam fuisse,
qui eum in plerisque refellere sit aggressus.
Alioqui fatetur, quadraginta annos se in iti-
nere illo insumsisse. Eodem tempore in
manus meas venit liber de veteri et noua
Sparta, cuiusdam non inelegantis Galli, Guil-
letiere, in quo non pauca a Cragio diuersa
extant. De statuis opus et insigne, et lucu-
lentum est, optoque, ut, quod est reliquum,
diligentia auctoris expleatur. De historia
sentio, nec artem esse, nec scientiam, si pro-
prie loquaris, quoniam ab artibus atque di-
sciplinis, et omnibus iis doctrinis, quae ratio-
ne

ne generali comprehenduntur, tota forma atque ratione tractandi seiungitur, prorsusque separatur. Haud absurde vero tu *facultatem* dixeris, quando non ignoras, adiumenta industriae eximia, nec vulgaria, requiri, quae permultum possunt, si apte adhibeas, sed per se non suffectura, nisi vim, facultatemque animi egregiam atque singularem afferas, et doctrina usuque ita expolias, ut totum hoc negotium, quod certe in rebus singulis positum est, dextre perficiatur. Non enim tibi placet, quod ex triuio arripitur, et affectum duntaxat, aut tractatum obiter, neque accurate et omni industria est elaboratum. Locus apud Iosephum dubius vexatusque est, quem docte et diligenter tractauit Ioannes Seldenus, eo in libro, quem composuit de successione in Pontificatum Hebraeorum, et erudita quidem coniectura suppleuit, ac, *tribus viginti quatuor*, scribendum esse, affirmauit. De Clementis Romani epistola non dubito, esse veram et germanam, etsi ex nostris id negant Hulsemannus, et Calouius: subdubitat Dannhauerus in Christeide in *Addendis*, p. 1042. pro cuius tamen veritate supra sententiam dixerat, quem sequitur Bebelius, sed non est caussa, cur ab usitata sententia discedamus. De Cloppenburgii opusculis nolim diffiteri, multa in iis inesse docta, nec ignoro, eum saepe multum-

que

ue legiſſe, et ſecutum fuiſſe Ludouicum de
ieu. Cheitomaei, inprimis Gatakeri mo-
umenta et Pſochenii, hortor, ut ſedulo per-
oluas. Gatakerus Vir quidem eximie do-
us fuit, ſed in eo ludit, operamque perdit,
od in *charactere idiotico* latibulum quærit,
t declinet argumenta, grauiterque eludat,
ae a Poetis tragicis repetuntur. Aliud
im eſt character idioticus linguae, aliud
oetarum, etiam tragicorum, ſed ita tamen,
hi quoque et alii Poetae Graeci linguae
raecae indolem ſeruent. Morini exercita-
ones non ſine voluptate lectitaui, in pleris-
e reperi, ab aliis ſeorſim, data quidem ope-
, ſentire voluiſſe. De Pſalmodiis in Con-
lio Laodiceno alibi diſſeram, niſi quod de
ionyſio Areopagita nunc addam, eum non
ucas et inſignes aeui ſui corruptelas com-
ecti, myſteria autem baptiſmi et coenae ſa-
ae ita deſcripſiſſe, ut ſatis cognoſci poſſit,
o tempore coenam quoque integre fuiſſe
ſtributam. Baptiſmi ritus, ut ſatis aperte
dicat, iis temporibus triplici immerſio-
peractus eſt. Ita te Deus ſeruet, et te tu-
ıque familiam coeleſti cuſtodia circumdet,
uque felicem et florentem praeſtet. Ca-
ıdis Ianuariis, A. C. cIↃ IↃCXXC.

XV.
NICOLAO L B A GERSDORF.

EXſoluo me tandem religione promiſſi, reditumque multo felicisſimum, quem praeſens gratulari cupiebam, abſens et per epiſtolam impenſe gratulor, votorumque communium, quae pro te, atque Illuſtrisſima ſtirpe, et uniuerſis neceſſariis tuis, hic fiunt, interpres opto, uti hunc annum auſpicatisſime ineas feliciterque conficias, et, applaudente laudibus tuis Europa, diutisſime in hoc faſtigio perſtes. Opuſculum nomini tuo maximo inſcriptum, quantumuis minimum, et expectationi tuae impar, non dubito, quin pro tuo in me animo perclementer accipias, ſinaſque ut poſthac etiam in fide, clientelaque tua ſim et gratia patrocinioque tuo fulciar, conſtantisſimeque defendar, quod res, ſtudia, atque opinio meae qualiſcunque induſtriae, ex te cum primis atque Illuſtrisſimis Friſiis pendent. Quare DEum veneror, ut cuſtodia coeleſti circumdatum te et ſeptum conſeruet, omniaque fortunae beneficia perpetuo et cumulatisſime largiatur, florenteſque et integras in uniuerſum res tuas praeſtet, gloriamque nullis ſæculis tacendam, velut tibi a Friſiis propriam, tueatur. De M. Herzogio, quem ſaepe admonendum curaui, res, opinor, confecta eſt, ſiqui-

quidem ita, Illustrissime Domine, visum est, cum spei Illustrissimi filii admouere, in quo patriae, et tibi, et nobis omnibus certe plurimum est situm A.C. cIↄ IↄCXXC.

XVI.
AMICO CVIDAM.

DE viris doctis, quorum in literis tuis mentionem iniecisti, breuiter sic habe. Lipsia non perinde doctum virum habuit, ac Ioachimum Camerarium, Melanchthonis verum integrumque amicum, qui eius studia, actiones, consilia, praeclare cognita habuit. De Melanchthone multa quoque, nec vulgaria, edisserunt Caspar Peucerus, Hub Languetus, et Abraamus Scultetus, sed quamobrem de illo male meritus sit Dauid Chytraeus, non inquiro, nec opus est, scio tamen, religionis causam eorum voluntates atque studia diuisisse. Absurdus autem fuerit, qui aliter de utrisque, ac de magnis viris, existimauerit: certe plurima Chytraeus beneficia Melanchthoni accepta tulit, et doctrinae pariter, honorisque, adiumenta illi debuit, in domus conuictusque societatem ab ipso admissus. Conciliauit autem eius sibi animum, quod, cum Vitembergam venisset, Pindarum et intelligere, et explicare, posset. Neminem enim censebat in eruditis numeran-

randum, qui Graece nesciret, unde omnis disciplinae initia proficiscerentur. Io.Kvviatkievvicii suada ciuilis aequabilem stili usum mihi nondum ostendit, paucaeque sunt in eo conciones, quae veteris eloquentiae gloriam seruant. Aloysii Iuglaris elogia qualia sint, quoue loco haberi debeant, sine monitore potes iudicare. Acidalii in Curtium notae eruditae sunt atque elegantes, quae in noua Curtii editione, apud Batauos euulgata, inueniuntur. De Technologia Theologica C. S. A. non mihi sumo iudicium, omnino autem ad commentationes sacras utilem, idoneamque esse, puto, praesertim cum Ramea Dialectica oratori ecclesiastico magis inseruiat, ac Aristotelica illa, quae acumen disputantis acuit, expolitque insigniter, et in eo genere sola debet commendari, etsi, nescio quod, mixtum Dialecticae institutum plerique hodie approbant et sequuntur. In Programmate, cuius meministi, spirat Pindarus, quem, censeo, diligenter legas, et omni studio imiteris. A principio tamen Carminis occurrit vocula τιμὸς, quam nusquam, nisi in Aeschylo, reperiamus. In unam eiusmodi stropham, concinne grauiterque effingendam, vel aliquot horae insumendae sunt, nec dubito, quin Ostermannus totas quatuor hebdomades impenderit in Pindaricum eiusmodi carmen, praecipue illud, qnod Frisii honori

ori dicatum eſt. Vitemb. Sax. Nonis Ian. .. O. R. cIↄ IↄCLXXX.

XVII.

HENRICO L. B. A. FRISEN.

FAllor, aut plane obtorpeſco, quod nihil diu iam ad Te ſcribo, Domine, veluti- ıe ſtudiorum erga te et officiorum omnium ɔn aliter, ac ingratiſſimus quisque, obli- ſcor. Sed, ſiue moleſtiæ quædam et ſub- de emergentes curæ, ſiue reuerentia tui ɔminis, ſiue iuſtus metus perculit me adhuc retardauit, tamen pietati hoc dandum it, ut ſaluo ſoſpitique tibi gratularer, prae- ·tim Illuſtriſſimi Filii nomine, quem, con- :tis itineribus, ſuperiori anno in partem rarum vocaſti, atque in ſinum et comple- m reipublicae multo auſpicatiſſime rece- :ti. Quam fortunam utrique voueo ſem- r proſperam, et diu optatas dulcesque ſe- : tui delicias in perpetuum fruendas ha- as, aſſidue et ſincere precor. Ita demum torum partes expleuiſſe me putabo, quum :iam, omnia tua florere, et inprimis tuam Henrici Iunioris valetudinem eſſe firmam, i alioquin haec facere et experiri omni ntentione debeo, quae pii et conſtantis ıt clientis. d. V. Id. Ian. A. cIↄ Iↄ CLXXX.

XVIII.

XVIII.

IO. FRIDERICO VOLHARDO.

RES tuae quales ſint, iampridem ſcire cupio, rogoque te et moneo per fidem ſuperioris amicitiae, uti quamprimum remittas tot vicibus expetitas Conciones Liuianas. Quod ſi facias, uti potes opera et auxilio meo cum in vitae, tum in fortunae rationibus poſthac ineundis, ſin omittas, alia omnia experieris. Conſule ergo tibi, et ſerua promiſſi leges, et de me plane candideque ſic tibi perſuade et pollicere, omnia, quae poſſim, pro te ſuſcepturum, ſi pie et recte agendo colas amicorum officia, moremque priſcum et Germano dignum retineas atque conſerues. Ea, de quibus ſcripſiſti, vel alia quaeuis mihi utilia, honeſta ratione tibi compares, ſineque mora transmittas: de pecunia, non eſt, cur dubites, qui ſcias, et ſtudia mea ad te iuuandum pertinere, ſi ita agas, expleasque omnia, vt decet. Vale, et bene feliciterque auſpicare hunc annum, et amicos ſaluta. Vitemb. IV. Id. Ian. Ann. cIↄ Iↄ CLXXX.

XIX.

AMICO.

QVod praetermiſſum exiſtimas, nondum animo excidit, de quo ita ſentio, Leusde-

lenium non iis abundasse doctrinis, quae ad
erendum de lingua Hellenistica iudicium
ufficere posse mihi videntur. Drusius qui-
lem promisit Lexicon linguae Hellenisticae,
ed non edidit, neque iure edere potuit, nisi
epide confinxisset. Ingenue dico, illud mi-
ii dudum displicuisse, quod Hugo Grotius
Iellenismo applausit, atque ad eius ratio-
iem omnes fere interpretationes suas re-
ulit atque direxit. Pfochenius labore mul-
o quidem, sed aetate et iudicio nondum sa-
is maturo, ad hanc controuersiam compo-
iendam, accessit. Idque ipsum in cau-
a fuit, cur a Gatakero acri satis censu-
a diatribe eius non indocta excepta fuerit.
'roxime Scherzerus sic de Hellenismo di-
outauit, vt mihi totum istud argumentum
aud assecutus videatur. Ac mea quidem
pinione nemo ibi tam Graece doctus est,
t penitus eam controuersiam intelligat,
uam pauci, etiam apud nos, diiudicare
ossunt. A. III. Id. Ian. cIↄ Iↄ CLXXX.

XX.
CHRISTOPHORO ARNOLDO.
P. P.

ILlo paene temporis articulo, quo et Aca-
demiae Senatus cogitur, et ad abitum cur-
or se comparat, literae tuae, sed vellem citi-
s, adferuntur, ex quibus sicut voluntatem
stu-

ſtudiumque tuum in me priſtinum et conſtans perſpexi, ita cupio magnopere et rogo, vt in eo, nec ſimulato, amicitiae genere perſeueres. Onuphrium per occupationes non euolui, nec eius auctoritas fraudi mihi eſſe poteſt, quando vel ex Carolo Sigonio, ſcriptore praeſtantisſimo, intelligere potes, auream fuiſſe coronam Mediolanenſem ſed, quia interiore ſui parte circulum ferreum intextum habuerit, ferream coepiſſe appellari. Locus, ſi recte memini, extat in libro de regno Italiae primo, quem ſi otium tibi eſt, inſpicias, diligenterque expendas. De Luthero multa mihi ſuppetunt ex libris et tabulariis, quae Grimmae, Torgae, et alibi apud nos, aſſeruantur, ſed tam breui momento percurrere omnia integrum non fuit, Celeberrimum Magliabechium ſaluere iubeas, qui per inſignes viros, qui ex Italia huc commearunt, me ſane diligenter et perbeneuole ſalutandum curauit. Hiſtoriam Burgundicam, antiquitates Conſtantini et Francorum, breuiter, ſtrictimque deſcriptas, illi et tibi miſisſem, ſi quidem ita tuliſſet occaſio, pridieque tuas literas accepiſſem. Quare operam dabo, ut alia epiſtola ſcrupulos ex animo tuo euellam. Vale. d. II. Id. Ian. A. cIↄ Iↄ CLXXX.

XXI.

XXI.

IO. CHRISTOPHORO HEINIO.

EGregium et laude dignum, et tuae in primis industriae consentaneum illud institutum est, quod Norberto, sua quidem laude et meritis, in ordinem vestrum extantibus magno prorsus atque immortali, hoc tribuere statutum habes, vt nomen laboresque eius ab hominum obliuione vindicentur. Etsi enim illa apud vos deleri non possunt, vbi vita et moribus sanctissimis eluxit, et Caesaris Lotharii Saxonis amicitia vnus iste ante omnes dignus fuit ac floruit, tamen iustum piumque est, vt memoria ipsius pariter apud exteros, atque apud vos, inposterum celebretur. Nam et is *Praemonstratensium* coetum instituit, et deinceps Saxoniae Pontifex maximus euasit, summoque illo sacerdotio pie et feliciter est defunctus. Parum abest, quin eius cineres Pragae, Boiemorum metropoli, inuideam, scioque, cordatos in malum omen belli, post secuti, accepisse, quod ex vrbe vestra, cui natus consecratusque erat, in vrbem ritu studiisque diuersam transportarentur. Sed hoc prudenter dissimulandum est, et id praecipue tibi agendum, vt nihil praetermittas, quod quoquo modo ad eius viri laudem referri abs te op-

portune queat. Neque tibi defuturus ſum, et,ſi huc venias, volumina rerum Germanicarum, quae aurigae credere vix auſim, tecum perlibenter communicabo. Interim libris, ab Oleario traditis, recte uti potes,et inſtruere hanc penum, feliciterque augere. Si quid te fugiat, vno, alteroque die facile ſuppleas, licet, cum alioquin ſciam,te in hoc genere ſubſidiis minime eſſe deſtitutum, praeſertim in eo loco, vbi vixit floruitque Norbertus. Polydori Vergilii,Raphaelis Volaterrani aliorumque, narrationes non vocabo nunc in diſquiſitionem, ſed, pro eo, ac par eſt, diu tibi lauream philoſophicam commerito gratulabor, vt bene vertat propoſitum, quod, annuentibus patronis, tandem perficies, quodque cum reuerentia erga nos, tum modeſtia quadam,in hoc usque tempus diſtuliſti. Illis autem, volo, vt obſeruantiam meam nunciare ne graueris. Prid. Cal. Mart. A. cIɔ Iɔ CLXXX.

XXIII.

M. ELIAE GEISLERO.

Reyſpergenſi Sacerdoti.

SAepe Franckenſteinii et Germani tui, quos viuos colui, veneratusque ſum, mortem dolui, et mecum pariter Zieglerus, frequenti prope ac quotidiano ſermone, teſtatus eſt, quam acerbum ſibi vtriusque funus acci-

cidisset. Sed defunctorum memoria im-
ortalis est, et viget in monimentis fama-
ie doctissimorum hominum, certe ab obli-
one vindicatur. Quare cupio esse parti-
ps aliquot librorum, quos habuit posse-
:que Vir optimus, siquidem rationes au-
onis ita ferunt, vt definito eorum pretio
hi transmittantur. Ego statim curabo
cuniam, et beneficium interpretabor, si
ı opera eam ad rem conficiendam uti
hi liceat. Indicem Ellingero perferen-
m dedi, in quo cernas libros a me expe-
os. Vellem, vt vna mecum de Salmasii
ercitationibus Plinianis quam primum
mmunicares. Meursii, quae ibi extant,
ınia non abnuo mihi comparare, si copia
:um fiat. Itaque abs te responsum expe-
, et vt, ob veterem, quam Vitembergae
ıtraximus, amicitiam, hoc officium mihi
nas, magnopere rogo, simulque de pro-
ıcia sacra, nuper tibi tradita, ex animo
tulor, voloque, vt ea bene ac feliciter,
na et constanti valetudine, perfruaris. III.
Mart. cIↄIↄCLXXX.

XXII.

AMICO CVIDAM.

D res sacras Politici se applicant, pro-
dito ab Heidelbergicis exemplo, quos
nceps Hassi secuti sunt, vt inter nostros

et ſuos concordiam ſarcirent : nec repugnarunt Principes, rati, pontificiis non poſſe melius ſe reſiſtere, quam ſi cum his ſocietatem inirent : ſed auxilio fauoreque adiuti, plusquam par eſt, moliri coeperunt, quod Saxo vbi videt, quam periculoſum foret, vnioni a Palatinis coeptae nomen dare noluit. Poſtea autem quam ſurrexit Calixtus, partesque conciliare voluit, magis in eam operam politici incubuerunt, praeſertim noſtri, cum Calouius in Calixtum exarſit. Hinc patres eruunt, et magno ſtudio perlegunt, atque euoluunt, et in antiquitate inprimis *eccleſiaſtica* diligenter elaborant. Proxime autem Ioannes Muſaeus inter *conſenſuales*, quos vocant, et Calixtinos ineundae conciliationis conſilium ſuſcepit, quod noſtri non ferunt, et acriter refellunt, mediatorem appellantes, qui cauſam viri Theologi negligat, cum medium partibus ſe interponat. Id. Mart. [A. cIↄ Iↄ CLXXX.]

XXIV.

ANTONIO MAGLIABECHIO.
Magni Florentiae Ducis Conſiliario.

ILluſtre ac nulla obliuione delendum beneuolentiae ſpecimen abs te mihi datum eſt, quod, cum ſcires magni a me fieri eruditionem tuam, tum viciſſim hoc mihi dares, uti crederes dignum, quem eo haberes loco, quo

quo alios doctrinae tuae cultores habere consueuisti. Nam, quod ingenue mihi affirmandum est, nihil gratius mihi euenire potest, quam, si de te loquendi honorifice occasio mihi offertur, datur autem frequentissime in scholis, in conuictu et sermonibus quotidianis. Dum haec scribo, Sennertus, collega meus percarus, nomine tuo salutem mihi nunciat, quo tempore frequens erat senatus noster. Statim gratias egi, palamque dixi, omnia tua, et cum primis doctrinam summam, atque singularem humanitatem tuam, magnopere mihi probari. Saxonia quidem nostra, quae floret nitore aulae, et abundat ingeniis, iampridem effuse te laudat, et operam, quam in re libraria collocas, praedicat, ac vehementer amat. Illos autem odisse fas est, qui ex liberali studio artem rixandi faciunt, et litibus, quarum caussas quaerunt, operam perdunt, vt, quum literis reconditis nullam sane famam aucupari possint, contentionibus eam parare quodammodo, ac ineptiis suis alere in gloriae speciem, videantur. Scio vero, tibi displicere declamationes rixosorum hominum, ac inutiles pugnas, quae, praeterquam quod cum imprudentia coniunctae sunt, degeneres quoque animos offendunt. Quare mihi enitendum putaui, vt honestis conatibus excitarem populares meos, praesertim

tim iuuenes fidei meae commendatos, quorum ſtudia eo ſpectant, vt in luce reipublicae verſentur. Quos non modo non tangere, ſed ne inficere quidem, iſte litigandi pruritus debet, qui multos noſtro aeuo tam caeco et praecipiti impetu rapit, vt nec dicere, nec queri ſatis poſſim. Nos vero literae elegantiores, et verae ſapientiae ſuauitas, veluti neceſſitudine quadam coniungant, atque amorem mutuum virtutis et animorum conſenſione non aliter, ac vinculo quodam, deuinciant, vt ingeniis optimisque artibus vigeamus. Igitur, pro eximia tua in me voluntate, fac, vt intelligam, literas has, quas denuo ad te perſcribo, tibi non diſplicere. Opuſculum de Burgundionibus inſcriptum, et diſſertationem expectationi tuae imparem, beneuole, opinor, accipies, et ſchedas, quas Academiae nomine conſcripſi, ad emendandam iuuentutis noſtrae licentiam, pari animo, atque alia ſotes, dignaberis meque, pro veteri, amore tuo, complecteris. Id. Mart. A. cIↃ IↃCLXXX.

XXV.

CHRISTOPHORO ARNOLDO,
P.P.

MAgna voluptate affeciſti me, et ad reſcribendum perliberaliter inuitaſti, quod non poſſum, quin debere me tibi fatear, qui ſciam tamen, te eo eſſe animo, vt moram

ioram hanc non indigne feras. Buchtaei,
ı alius, in perferendis literis torporem ac-
ısare debeam, non equidem percontari pos-
ım, illud vero ingenue dico, affirmoque, su-
eriores tuas literas fere post semestre mi-
i redditas fuisse. Ex postremis autem in-
ellexi, te luculentam filii dissertationem,
ıae et peracre eius ingenium, et mirificam
ıriter industriam, mihi probat, ad amicos
ırandam transmisisse, quod gnauiter feci,
: resalutandi tui partes libenter meritoque
scepi. Vtrique saluere te iubent, et Zie-
erus quoque comiter dicebat, se in aere
m tuo esse. Ac huius quidem liber, de
ribus maiestatis inscriptus, futuris autu-
no nundinis in lucem exibit. De *Episco-*
r aliquid multa cum diligentia molitur, et
lere constitutum habet. Lancellotum in-
ıitis prope locis auxit, et, si bene diuinare
ıssum, spectat eius consilium ad nouam
culentioremque editionem. Ego in Bo-
nica incidi, et Caroli IV. vitam adnotatio-
ous illustratam, diplomatibusque, et accu-
:a rerum Boiemicarum epitome auctam,
ıittere decreui. H. Conringii liber de Fi-
ous Imperii emendatior, sed nihilo aucti-
, prodit. Etsi enim eius supplementum
omisit Vir summus, taman, ingrauescente
: aetate, vix licebit sperare. Proxime
osia Franckensteinii, viri omnino doctis-

 simi,

ſimi, res libraria, auctione conſtituta, in ma-
gno licitantium aeſtu vendita eſt, unde ali-
quot libros mihi delegi, quos emerem, ſed
pretio fere iniquo, quod intendit certame
hominum, qui auctioni interfuerunt. Vnum
te rogo, obſecroque, vti faſciculum, qui vna
affertur, ad celeberrimum Magliabechium
cuius ſumma comitas et par doctrina mi
fice mihi placent, curare velis, quod pe
magni faciam, et, officiis certe in poſteru
demerebor. X. Cal. Apr. A. cIↃ IↃ CLXXX

XXVI.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOB

IC. Dresd.

COnſilium mihi eſt, proficiſci in Batauos
atque hinc commeare ad Britones, co
fectoque aliquot menſium itinere, matrem
inuiſere, ob portionem hereditatis ad m
pertinentem, quam ingraueſcente illius aet
te negligere videar, ſi non adfuero praeſen
Quoniam autem non puto e re mea futu
rum, ut ſolum illuc tendam ubi multum ae
diu fui, viſum eſt adire exteros, et perqu
rere codices, atque cum eruditis colloqui
et ſtudiis publice ornandis aliquid dare
Igitur te per fidem patrocinii, ſemel iterum
que datam, obteſtor, ut meo nomine Poten
tiſſimo Principi El. pro cuius proſpera va
letudine domi forisque deprecor, ſupplice

e velis, poteſtatem itineris mihi faciat, et :lementiſſime hoc concedat, ut mihi cum ırtis meae doctoribus miſcere ſermones li-)erum integrumque ſit, vel hoc amplifi- :andae eruditionis argumento, ut de pa- tria quam nunc Saxoniam veneror, ſemperque venerabor, melius mereri liceat, quippe qui nullos ſumtus peto, atque id ſpecto, ut maiores uberioresque fructus Vitembergam adferam, cui ſeruire, et humaniores literas ornare, et eruere antiquitates, et illuſtrare diligenter ac perpolire, volo cupioque. Tu vero, quaeſo, colloca apud me tam inſigne beneficium, ut eam ad rem conficiendam ſpatium modici temporis mihi concedatur. Quod ſicuti abs te contendo, ita magnopere ſpero, tuam auctoritatem mihi in eo petitionis genere non defuturam, eo minus, quod de filiis tuis in poſterum hanc quoque ob cauſam bene merebor. Ita te Deus, et nobiliſſimam familiam ſeruet, cuius quanta in me ſunt merita, tantum ſtudium, obſequiumque tibi debeo, et vota faciam, ut optima conditione proſperaque valetudine ſemper fruaris. VIII. Cal. Maii, A. cIↃ IↃCLXXX.

XXVII.

N. VACKENIO.

SVperiori tempore ad me ſcripſit nobiliſſimus ſocer tuus, Finſingerus, cui multum de-

debere me fateor, nec postulato ipsius defuturus sum, si quidem eius et filii conditio patiatur, ut aliquot mensium moram interponat. Nam constitutum mihi est, proficisci in Batauos, atque hinc ad fines patriae inire iter, et quantis possum modis, reditum festinare. Quod simulac confecero, affini tuo et doctrinae meae, et domus, quam proxime mutaui, et totius meae bibliothecae copiam faciam, atque ita de eo merebor, ut per omnem vitam ratio exacti temporis ipsi constare possit. Alioqui, si abitum maturare ei visum est, quaeso rogoque, ut optimis monitionibus, veluti scuto quodam, praemuniatur, ne proiectorum, leuiumque hominum illecebris capiatur, atque eam ob causam Zieglero nostro iterum grauiter serioque commendetur. Ego, ut primum redux fuero, omnes opes, copiasque mei studii ultro libenterque ipsi explicabo, ut sentiat socer tuus, me gratum fore, cui de mora me excusabis, propterea, quod itineris consilium, et conducendae domus molestia, et librorum inprimis exportandorum cura me sic impediuerunt, atque retardarunt, ut prius neque constituere sententiae meae rationes, neque rescribere, anceps quippe et propositi incertus, possem. Vale cum socero totaque fami-

familia insigni et florente. VI. Cal. Mai. Apr. A. cIↃIↃCLXXX.

XXVIII.
CHRISTIANO SCHUZIO,
Weissenfelsae Inspectori.

MVltam salutem mihi dixit tuo nomine Perreuerendus vir, Godofredus Cracouius, sacerdos eruditus iuxta et modestus, quem, pro eo, ac par est, honesto et decenti loco ornauimus, et, quibus potuimus, officiis prosecuti sumus. In examine pulchre stetit, ac industriam mihi et collegis probauit, praesertim in antiquitate, et non vulgari notitia librorum, quae a sacri ordinis hominibus fere negligi solet. Ei moram, quam indigne te ferre suspicor, exposui et excusaui, neque dubito, quin admittas, et posthac etiam mihi faueas. Ego in Batauos ire constitui, et in Britones, si quidem Potentissimus Princeps EL. annuat, cui eo nomine supplicaui. Nam et miscere sermones cum artis meae doctoribus pulchrum, utileque fore, existimo, neque bello impedior, quod forte si hic annus abierit, redintegrabitur, quod rationes gentium, nationumque vix patiuntur, unius omnia arbitratu fieri. Rex Gallorum nunc magni, nunc Monarchae nomine a suis appellatur, regem vero eum, diuiden-

do

do socios, arbitrium fere Europae obtinuisse, nemorabile est, ac mirandum. Interim ad Senatum ordinis nostri vocor, ubi de sumtibus, in solennia magistrorum factis, statuetur, quae causa est, cur breuior sim, et velim cupiamque te recte valere, atque diu multumque florere. v. Kal. Maii. A. cIↃ IↃCLXXX.

XXIX.
M. IO. IACOBO STUBELIO.

QVem ultro tibi honorem tribuo, eum eruditio tua meretur, et postulat, ut, quoad possum, commodis tuis studeam, quae sita sunt in laude ingenii, et cura effingendae iuuentutis. Sed praecipitare rationes vix ex vsu tuo erit, propterea, quod occasio melior te expectat, nisi duriori fortuna utaris, quae iubeat fortasse, et cogat, ut incepto ne desistas. De luculento illo dono, quod memoriam tui seruabit inposterum, ago tibi perinde, ac decet, gratias, et volo ut existimes, me tui nominis studiosissimum esse d. III. Kal. Maii. A. cIↃ IↃCLXXX.

XXX.
IO. FRIDERICO VOLHARDO.

NVmus is, quem misisti, praefert Licinii Valeriani imaginem, et nomen, sed ignorare non debes, recentiores Italos eum

arte

arte ſtudioque effinxiſſe, ut probum Valeriani numum mentiretur. De inſtituto tuo, ſi quidem id maturare velis, breui reſcribas, quos codices, quas tabulas, quae ſubſidia, ad manum habeas, vt tempeſtiue eorum numerum rationemque inire poſſim. Meliorem vero fortunnam tibi gratulor, quod viciſti, ut ſcribis, proximorum acerbitatem, neque aeris indiges, praeſertim hoc tempore difficili et calamitoſo. Ego, poſt tres hebdomadas, ſi Potentiſſimus Princeps EL. poteſtatem mihi fecerit, meo ſumtu ad Batauos, atque inde ad Britones, excurram, in reditu domeſticas in patria rationes confecturus. Prid. Cal. Maii, A. cIↄ IↄCLXXX.

XXXI.
LUDOVICO LENZIO. IC.
Conſiliario Anhaltino.

CRedo quidem, me non ſatis ex officio feciſſe, quum non modo te ſcribendo non praeuerto, ſed ne quidem reſpondi, et, i recte dicam, in eo genere multo, quam lecebat, negligentior fui, quod ſi maxime ibi diſplicere poſſit, tamen eo minus offendet, quod laeta Candidatorum meſſis ita ne diſtinuit, ut omnem induſtriae meae artem occuparet. De Blumbergio vellem ratificari potuiſſem, ſed, cum ob impeditas

tas pecuniae rationes, tum ob itineris, quod nosti, institutum, vel inuitus id omittere necesse habui, ac de eo Morlinum statim submonui, vt acquiesceret, paruumque adeo spatium daret. Mihi enim constitutum est, perficere inceptum, ac commeare ad Batauos Britonesque, et perquirere codices ac Libros, praesertim hoc tempore, quo bellum conquiescit, vt insequentibus annis deinceps maioribus viribus geratur. Caesar enim atque Anglus sibi conciliant pristinos foederatos, non passuri arbitrium Gallicum in rebus Europae hucusque usurpatum. Heluetii, *Reformati iuxta et Catholici*, foedus rursum confirmarunt, sero aestimantes damnum, quod conniuendo acceperunt. Neque multum abest, quin Sedinenses aliosque poeniteat, in fidem ditionemque Suedicam rediisse, ut homines illi non satis cauti sunt, et externum imperium pati malunt. Samuel Rachelius, qui causam Gottorpinam erudite et grauiter tutatus est contra Danos, hoc anno emisit ius publicum Germanicum, exiguo libello descriptum, et pleraque Boecleri prodierunt, opuscula posthuma quae si expetis faciam vt ad te perferantur. Cetera in iter meum differam, si Seruestam transiero, vt summatim intelligas instituti rationes. Nobilissima

atque

atque elegantiſſima coniux tua diligentisſime a me ſalutatur, cum qua diutiſſime florere te volo, Patrône obſeruande. Cal. Maii, A. cIↃ IↃCLXXX.

XXXII.

IO. FRIDERICO VOLHARDO.

ETſi dolum non debeo temere mihi perſuadere, ac ſine cauſa vel leuiter aliquid ſuſpicari, tamen rupti ſigilli indicium mouere queat, vt credam, ſubeſſe fraudem, niſi caſu acciderit forſan. Vtcunque ſit, nihil contra ius, faſque a me ſcribitur, atque eo patientius ferre id potes, quod neque mea, neque tua, culpa contigit. Libros abs te deſignatos ſane omnes non habeo, Dubraiium autem et Pegauienſe chronicon poſſedi iam dudum et legi: reliquos tu curabis, et quoad licet, plura ad eam rem ſubſidia comparabis. Iter meum intra hebdomadas aliquot inibo, te autem, vt venias, inducere non auſim, ne ſumtus facias nimios. Iunganſio enunciabis inſtitutum, vt, ſi Illuſtrisſimus Herus noſter, quod iniungat praeciiatue mihi, habeat, tempeſtiue per eum gnificetur. Idib. Maii A. cIↃ IↃ CLXXX.

XXXIII.

XXXIII.

SAMVELI VERCHIO, *Gedanensi.*

ET vitam, et mores tuos, probaui semper, ac dilexi, fuitque haec causa, quamobrem te eorum numero esse vellem, quibus frequens et liber ad me aditus patet. Magis, crede mihi, de te meritus fuissem, si rem librariam aequiori loco habuissem, quam, explicatam deinceps atque elegantius dispositam, nunc tractare licet. Conduxi enim aedes Strauchianas, atque, ut in professionis munere, ita etiam, quod bene vertat in domicilio, eius successor sum factus. Cuius viri multo celeberrimi memoria in animo meo uiget, nihilque est mihi potius, quam vt, pacata republica, ex tot malis taediisque eluctatus floreat, animique sine acerbitate conspirent in pacem atque cordiam. Neque enim horum temporum rationes, neque hominum conditio et urbium instituta ferunt, vt diuturnae ac perpetuae sint calamitates, quas sola tranquillitas finire possit. Et, cum itur in partes, ignoscere et obliuisci saepe expedit, vt repentinae ac mobiles hominum voluntates, comitate concilientur, praesertim, quum vis non tuto adhibetur, neque acre remedium prodest. Habet gloriam mode-

moderatio, ut nemo sibi, vel in summa fortuna, indulgeat, cum a tenuibus, aut modicis initiis, maximae saepe imperiorum conuersiones oriantur, quas nolim vestrae tam inclytae florentique ciuitati impendere. Itaque votorum summa sit, vt Proceres populusque redeant in gratiam, et offensas ex animo deleant, salutique publicae condonent. Ego, vt hoc quoque addam, hoc semestri Batauos adire constitui, et codices librosque perquirere, ac de rebus, ad doctrinam antiquitatis pertinentibus, vltro citroque cum viris eruditis conferre. Te autem rogo quaesoque, vt omnia Henrici Nicolai scripta, praesertim historica, conquiras et colligas, de pretio constituemus facile, id quod ciuibus tuis, qui hic agunt, persoluendum curabo. Eid. Maii, A. cIↄIↄ CLXXX.

XXXIV.

IO. CHRISTOPH. HEINIO.

Sacerdoti Hohenvvarslebiensi.

HOmo ille nec illiteratus, et probus est, de quo nuper inter nos collocuti sumus, qui in spem venit potiundi muneris, quod tu gessisti adhuc, nescio, a quibus inductus, vt vel id sperare ausit. Dura, fateor, fortuna cogit sane multos, vt petant, quae exspectare mallent, sed facit necessitas, vt saepe aliud, atque placet, constituamus. Fauor, studia, inclinationes voluntatum, offen-

ſae, odia et partes; diuidunt pleroſque, et in contraria agunt, nec paucae difficultates et moleſtiae inde oriuntur, ſi quis tentare fortunae aleam, et petere honores velit. Vtrolibet enim nomine cenſeri cupiat, et hanc, an illam, patronorum claſſem ſequatur, haeſitabit, ac non nihil offendet. Haud temere idem de Tobia Vlrico praeſagio, qui in tuum locum ſurrogari, optat enixe et rogat. Fortaſſe, licet praeter ſuam culpam, in hos ſcopulos incidet, vt fortuna eum depellat ac deprimat, quem ſpes erexit, dare tamen illi volui hanc commendationem, ne officium, quod alteris alteri debemus, defugere videar, ſimul autem petere, ut ſerio atque omni ope eum iuues. Haec ſcribenti affertur, Schraderum, amicum de re literarum optime meritum, Helmſtadii deceſſiſſe. Diu quidem, et raro felicitatis exemplo, vixit ille Vir, ſed, ſi merita atque eruditionem ſpecto, etiam longiori aeuo dignus fuit. Non enim naſcuntur Oratores, ſed fiunt, nec opinio iuuenum attingit ſemper, quod adfectat, neque laboribus conſtanter adſueſcit haec aetas; ſenectus autem, durata inter moleſtias, conſuetudine et patientia facile ſe firmat, quia occalluit plane et ferendo vicit. XVI. Cal. Iun. An. cIc Iↄ CLXXX.

XXXV

XXXV.

CHRISTOPHORO ARNOLDO.

Bis ad tuas rescripsi, et diligenter abs te petii, vt fasciculum ad Magliabechium, Virum multo amicissimum, curares, Redditae autem fuerint, nec ne; incertus anceps que sum, neque intelligo ex tuis. Sennerto, quae voluit Magliabechius humanissimus, exhibui, cui nihil gratius accidere potuit, quam insigne ab Italia donum, in quo magnus prolixusque dantis affectus appareret Faciam breui, vt, auctoribus Belgis, id rescifcat Vir studiorum nostrorum amantissimus, propterea, quod hanc aestatem itineribus conficiendis impendam; atque id cum vtilitati, tum voluptati, addo etiam valetudini meae, permissu Principis El.; dabo. Zieglerus; et nos cum eo omnes, sicut Norimbergam; ita cum primis te, amamus; de te loquimur, et praeclare existimamus. Filio tuo, in Batauos profecto, reditum precor feliciffimum, quippe in quo omnia tua sita sunt; dignumque te filium spondet, atque pollicetur. De Zieglero exsolui, quae debui, neque est, cur me postules de neglecto officio. Dissertatio per famulum allata est; quod occasio alloquendi me deficiebat. Alias enim et opportuniores aedes conduxi, nec iam arripi; sed

exspectari, occasio salutandi debet. Ad Carolum IV. quem edere constitui, multa accepi ex Lusatia, nec dubito, quin similia nactus fuerit P. Garmansius, de cuius instituto prius etiam, quam scriberes, audiui. Historiam Saxonum condere multi laboris, et multorum opus erit annorum. Affecta plurаque habeo, sed perficere deinceps ac disponere, cum iustis temporum actorum intervallis, arduum simul laboriosum est futurum. Hoc semestre abero ab Academia, si quidem Potentissimo Principi me dimittere placeat. Statutum enim mihi est, proficisci in Batauos, atque hinc traiicere ad Britones. De Lutheri ge... scriptos manu commentarios nondum inspicere potui, Theologi autem nostri ... perstant, Margaretham non coelibem, ... nuptam, fuisse. Ceterum vix alterae ... literae mihi redditae sunt, quum ... Henricum Frisium fatis concessisse, quo ... ro nihil diuinius patria habuit, ac ... fuit, qui Academiam et viros eruditos ... tutatus est, Grotio, cum Parisiis esset, fa... liaris et G. I. Vossii, Heinsii, Buchnerique ... stri, sectator, maximorumque in Europa ... rorum alumnus et amicus, in antiquitate ... elegantia, et Graecis adeo Latinisque lit... nemini secundus, prudentia et vita ... consiliisque dextre susceptis et confe...

immortaliter de republica meritus. Quae mors non deiecit modo me, sed perculit, multisque praesidiis nudauit, neque Patronum, sed Parentem, mihi et optimo cuique, in studiis versanti, eripuit, omnesque spes et rationes meas confudit. Alios casus deflere liceat, vt leuetur quodammodo animus ac erigatur, nunc lacrimas fundere difficile sit, quum malum lacrimis maius esse sentiam, et dolorem nulla re, nisi ducendis suspiriis, fractus plane expugnatusque prodam. Nam, si tales columnae quatiuntur et cadunt, nemo erit, qui sistat auertatque temporum et studiorum labentium ruinas, nemo defendet atque custodiet posthac eorum dignitatem, nisi spem ex fiducia meliori capiamus. Humana enim omnia nos deserunt, cum, metu luctuque oppressi, orbatis auxilio, Musis perfugium quaerimus, nec magnopere speramus, quod tempestates animis prouidemus. Ignosce homini, cuius querula calamitas flendo non nihil mitigatur XIV. Cal Iun. A. cIↄIↄCLXXX.

XXXVI.

IOANNI FRIDERICO VOLHARDO.

DE morte Illustrissimi HENRICI FRISII quinque abhinc diebus mihi renunciatum est, quae omnibus, quotquot literis dediti sunt, acerba luctuosaque acci-

dit valde. et me adflixit inprimis atque conturbauit. Laudabitur ille Heros dum memoria rerum Saxonicarum vigebit, nec fama exolescet, dum literae, quas patria alit ac fouet, florebunt. Martinum Henrici abs te reddi, cupio, quem edere consilium est, atque accessionibus, ex Philosophia meliori sumtis, augere, quoniam, rigari eius hortulos quodammodo, expedit, praesertim, cum riuuli ex Grotianis fontibus deducuntur. Quare fac, vt transmittatur, ne diffidentiae occasio vel leuiter abs te detur. Scripsisti verbis conceptis, *illum transmitto.* Stomachatus paene sum, quod non transmisisti. Expostulaui cum auriga, primo ignarus, deinde monitus, abs te nullum librum esse traditum. At, si ingenue scribas et facias, amicum habebis iuxta, et retinebis. Simulatum enim quod meministi a me saepe audiuisse, non est diuturnum. Similiter per est molesta mihi ista mora, quam interponis diu, et impedis, quo minus rebus meis fruar. Remitte ergo tandem conciones manu exaratas, et veteris liberalisque amicitiae gloriam serua. Tibi non defuturus sum in perscribendis Silesiae commentariis, si libros tabulasque adferas. De ceteris, opinor, sine molestia constituemus. Optimus Iunghansius noster de Chronico, quod promisit, admoneatur, cuius fidem et volun-

voluntatem in me eximiam merito commendo. Schedam ſubſignatam remiſi, lineolamque ſubiunxi, quae indicio ſit,libros notatos a me poſſideri. Si colloqui inter nos volumus, ſique ſumtus tui ferunt, futuro die Iouis apud me ſis, oportet. Hoc ſcias, hoc expendas, atque hac ratione et regula conſilia tua metiaris. Nemo alioquin ex me de tuis quicquam percontabitur. Etenim,ſtolidum eſſe neceſſe ſit,cui tacere graue eſt. De Hekeliano numo quid dicam? Si Othonis Syluii numum edidiſſet, res labore dignior eſſet: Hunc conatum laudari,non indigne feram, et ſimulatque rediero, in Graecis Latinisque literis et antiquitatibus quaedam, ac meo munere digna, emittam. Caroli IV. vita nondum exiit, quod Garmanſius per Arnoldum me admoneri voluit, ſe in eo quoque iam eſſe, vt typis exprimatur. Ego tamen ſelecta et meis laboribus exprompta habeo, quae ſuo tempore videant lucem, et confecto itinere Illuſtriſſimis Dresdae Proceribus ſtudio et pietate ſe commendent. Ex Italia celeberrimus Magliabechius raros libros, et numum, proxime ad me curauit, cui ſingulari epiſtola Saxoniae Proceres et ſanctiſſimae aulae noſtrae nomina, tanquam firmamenta ſtudiorum, et maxima aeui reique publicae lumina, expoſui ac laudaui, vt intelli-

telligat, quam eruditam florentemque Saxoniam habeamus. VIII. Calend. Iunias, A. cIↄ Iↄ CXXC.

XXXVII.
ALTERIVS NOMINE.

NEque parui aestimo donum, quod nomine Venerandi Theologorum Ordinis mihi obtulisti, et prolixum erga me adfectum magni sane, pro eo ac par est, facio voloque, vt de amore meo et studio ordinem, mihi multo carissimum, certum reddas, nouisque doctoribus omnia laeta ac fausta, velut animi votorumque meorum interpres, renuncies ac digne gratuleris. Tibi autem, cum ob susceptum alloquendi mei laborem, tum ob officium honori meo datum gratias ago, promittoque, deinceps omnia me facturum, quae et honori, et commodis tuis, inseruire queant. Id. Iun. cIↄ Iↄ CLXXX.

XXXIIX.
CASPARI ZIEGLERO.

QVod mihi diu constitutum fuerat, perfeci haud infeliciter, et cum primis in Belgio Hispanico Gallicoque, varias et notatu dignas antiquitates inuestigaui, finesque regionum, et sacerdotiorum, origines item et iura, perquisiui, et Vicognii apud Flandros de S. Norberto aliquid reperi quod tui

lo ſtudio rimari potuit ſodalitas S. Norberti, quae Magdeburgi floret, patronumque hunc veneratur. Tornaci, quod Scaldis interfluit, Childerici, Francorum regis, tumulum, aut tumuli potius veſtigia quaedam ruderaque, vidi, Heriſtallium, Pipini patriam, Tungros, vbi primum Germaniae nomen haeſit, peragraui, et nullos non ritus atque inſtituta vetera euolui. Ea poſtquam bene mihi euenerunt, recta Caletum contendi portumque Iccium Caeſaris, qui ad Boloniae montes olim vergebat, inſpexi, ac dein ex nouo portu ſolui, Doueramque, vento aduerſo et ſatis tempeſtuoſo, nauigaui, nec multo poſt Cantuariam, antiquiſſimam totius Angliae vrbem, et caſtellum murumque veterem, et Eccleſiam inprimis, illius regni matrem, diligenter inſpexi, cuius *Archiepiſcopus*, Guil. Sandgrafft, fere Londini eſt, ac ſemper regem comitatur, vir profecto eruditiſſimus, et vel ob moderationem, aduitente Iacobo Eboracenſi, Comtonio, *Epiſcopo*, Londinenſi, praelatus. Sed pauci ſunt, qui Latine hic loquuntur. In Graecis mihi mirifice placuit Thomas Gale regiae ſocietatis ſcriba, et Paulinae ſcholae moderator. Iſaacus Voſſius Vindſorii ſe pro dictatore gerit. Brianus Waltonus, Lightfootus, Jac. Duportus, Polus, Theol. vt vocant, Presbytera-

ranus, Barrouius, multis, nec ingratis sermonibus celebrantur. Pellio, alteri Euclidi, fortuna et fauor Aulicorum deest. Crovvn Medicus est, omni exceptione maior, cuius historia musculorum nihil accuratius exiuit in lucem, adeo, ut Bartholini auditores obstupescerent, cum eum virum audirent differentem. Nam pauca et cum cura scribunt Angli, et subsidia amplissimae doctrinae habent, et conquirunt. Melanchthonem, Camerarium magnopere laudant, extantque epistolae ipsorum nondum editae, quae Heidelbergae delitescunt, sibi perferendae et edendae. Grotium etiam in concionibus cum summo elogio nominant, et nihil non agunt, vt doctrinae fines amplificentur, et naturae arcana ex abditis eruantur. Disquisitiones autem pro [illegible] haberi nolunt, et praecipitem H. Oldenburgeri in eo genere industriam queruntur, eius alioqui dexteritatem laudant et mirantur. Interim Aulae et Academiae consiliis commenda hos meos, et moram laxioris excusa, si feriis natalitiis demum colloquimur. Londini. IX. Cal. Sept. A. cIɔ Iɔ CXX[illegible]

XXXIX.

PHILIPPO FRANCISCO EBERHARDO, L. B. A DALBERG.

Praesuli summo in Ecclesia Cathedrali Vangionum et tribunalis Spirensis Praesidi.

NOn quidem ego is sum, qui tantum mihi sumere ausim, vt laudes tuas ac merita, in omni genere maxima, de quibus omnium et voluntates et iudicia consentiunt, vel adsequi me sperare possim, hoc tamen, pace tua, Gratiosissime Domine, mihi indulgere volui, vt exiguis versibus Orthii, Senatoris, causam de integro, et per epistolam Illustrissimo nomini tuo commendarem. Plus alioqui diuina illa virtus tua sibi vindicat, quam aut rependat Orthius, aut ego persoluam, omnino tamen duxi, pro summa illa atque incredibili comitate, quam in congressu et sermone priuato apud Nemetes mihi testatus es, sincero animo et honesta pietatis ratione gratias nuncupare, Deumque venerari, vt maximum illud ingenium, maximasque et admirabiles dotes, et studium constantiamque, in suscipiendis et perferendis pro iustitia laboribus, Caesari et Reipublicae eripi ne sinat, ac denique seruet in filiis atque posteris tuis, vt eandem hanc multo rectissimam laudandi moris viam pari exemplo, nec minori felicitate, ineant.

eant, partesque ſuas egregie et luculenter, atque ex dignitate Illuſtriſſimae Familiae pariter, et S. Imperii,tueantur. Scriptum Francofurti ad Moenum IX. Decembr. A. cIↃ IↃ CXXC.

Quos Iouis armigero faſces deferre ſolebat,
Alituum glomerata cohors, celebrata Pelaſgo,
Hos Tibi plaudentes Aquilae nunc ſponte miniſtrant,
Et rutilum capite circumdant lumen ab axe,
Quale nec effingat diuino plaſmate Mentor,
Nec ſatis anguſto ſculpat Lyſippus in aere,
Cumque ſuper veniens terret cum grandine nimbus,
Phoſphorus aurorae coeleſtem ſuſcitat auram,
Et Zephyros afflat, gratumque per aethera murmur,
Condit,et ex alto reſplendet,Numinis inſtar,
Abrumpitque FABRI, quos nectit acumine nodos,
Atque Locum firmat, fatum voluitque benignum.

Id, quanto poteſt opere, et ſumma cum obſequii religione, demiſſioneque animi, per ſacra Themidis, perque immortale proſapiae DALBERGICAE decus, atque per duram Orthii fortunam, et gratiam,quam nemi-

mini clausam esse vult, obsecrat mecum enixe et precatur supplex ille et subiectus cliens Tuus.

XL.

ERICO MAURITIO.

IC. et in suprema S. R. I. Curia, quae Spirae Nemetum est, Assessori.

VEhementer doleo, quod, posteaquam reditus mei in Saxoniam certas atque constitutas rationes habere coepi, repentinum discedendi ex vrbe vestra consilium sumi oportuit, ut tuis deinceps sermonibus et congressu tuo, mihi alioquin utilissimo, frui forte amplius non possim. Nam singulare, fateor, desiderium me tenet repetendi meas partes atque doctrinae meae studia, quae Tibi quoque multum debere se profitentur. Interim Senator Orthius, etsi dura nunc fortuna utitur, domum mensamque mihi offert, et adhuc liberaliter me retinet, ac in quotidiano conuictu et familiaribus colloquiis honori tuo, more ac ritu clientium libat, ego simul tacita vota pro salute tua, in qua plurimum reipublicae situm est, persoluo, et cum saluus ad meos rediero, per te profecisse, non ingratus meritorum testis affirmabo. Tantum id iam in extremo epistolae perofficiose et reuerenter rogo, atque te per fidem sanctissimi muneris, quod

quod in republica maximum geris, obte- ſtor, ut in cauſa, quae inter Orthium et *Fabrum* agitatur, exoptatum Orthio ſuf- fragium feras; cui alter fraude patrimo- nium et vniuerſas fere fortunas ſurripu- it, et familiae honeſtiſſimae omnes ner- uos ſic incidit, vt iam ſumtus eum deficiant, quos impendat in curam cultumque filio- rum, qui ſumma animorum contentione ad materni aui, Stenglini; decus gloriamque nituntur. Nec dubito, quin, per cineres et ſanctam memoriam illius excellentis, ac tibi quondam, cum viueret, amiciſſimi, vi- ri, hoc Orthiis; genero atque nepotibus eius, concedas, vt, tua ope et patrocinio ere- ctos ſe, et, in ſummo etiam calamitatis gradu in priſtinum ſtatum reſtitutos, iure gloriari queant. Ita te Deus reipublicae, bonis omni- bus et mihi, ſeruet. Francofurti ad Moe- num A. cIↃ IↃ CXXC.

XLI.

ORTHIIS FRATRIBUS.

Lutetiam Pariſiorum.

SPira Nemetum reuerſo, literae tuae mi- hi ex Lutetia Pariſiorum redditae ſunt, quae ſtudium in me tuum ſatis abunde con- firmarunt, et mihi beneficiorum, abs te et nobiliſſimo fratre acceptorum, memori, iucundam ſane ſuperioris amicitiae atque conſuetudinis recordationem attulerunt. Cum

Cum Spirae eſſem, plerique illuſtres viri, in primis Eques Bernſtorffius, et Mauritius, IC. de ſtatu et ſtudiis veſtris ſolicite me interrogabant, quibus decenti, et vobis etiam honorifico, reſponſo ſatisfeci. Parens veſter optimus et mihi fauet impenſe, et vos liberaliter adiuuare ſtudet. Schmidius quidem et aemuli omnibus machinis eum oppugnarunt, ſed iam, conſentienti omnium Aſſeſſorum voluntate et ſuffragio, vicit cauſam, cuius ſententiae exemplum breui, ad nos perferetur. Emiſſarii, homines nequam, ſubinde veniunt, ſciſcitantur et inuiſunt, ut obtrectent et prodant, ſed contra eos taciturnitate et prudentia ſe praemunit, et ſalutationes circumſpecte recidit, vt haec ratio agendi inimicis maiorem incutiat metum. Qui, cum et veſtrae exſpectationi, quae paſſim eſt, et virtuti, quae ſubinde celebratur, inuideant, non deprimunt vos ſed excitant ad augendas familiae laudes, vos praeſertim fratres, una honeſti inſtituti ratione, et una gloriae ſocietate, coniunctos. Tum vero nihil dubito, quin ad veſtram imitationem excitentur reliqui fratres, et ſibi communc veſtrum decus accurate proponant, ac parentum nobiliſſimorum deſideria expleant, propterea, quod horum auctoritate et veſtro exemplo commouentur. Nam, etſi de Hieronymo

Pe-

Petro dissuasi primum, et quid vos de [illegible]
sentiretis, copiose exposui; tamen a[illegible]
consilium cecidit, quod et [illegible] animus
mercatura abhorrens, et [illegible]
no limite in posterum de [illegible]
scendi, et dubiae ancipit[illegible] hoc tem[illegible]
rum miserrimorum statu [illegible]
parentes vestros in aliam [illegible]
xerunt. Quae alioqui [illegible]
peditione iactantur in [illegible]
prudentibus, et cordatis [illegible]
uent. De Erfurto et C[illegible]
si Moguntinus pro se e[illegible] sententiam
quam nostri iniquam [illegible] et con[illegible]
obtrectabuntur, iure suo [illegible]
rum auctoritate freti, et [illegible]
plomatumue monumenti[illegible]
delbergicum orbitas per[illegible], ut lab[illegible]
ti fortunae omnia perm[illegible] De Ba[illegible]
spes est, fore, vt consilia cum Austri[illegible]
iungat. Ob Amelandiam nouae li[illegible]
ter Caesarem Frisiosque, [illegible]
quam partes ad exsequend[illegible]
Antistiti Monasteriensi. [illegible]
liis res prope ridicula est [illegible]
ti consiliarii, rerum exte[illegible]
ciosa credulitate [illegible]
spem facit diuinior [illegible]
quae non sinit perire [illegible]
neque iam Delphini [illegible]

pae maximum, vt ſpiritus moderetur, quando conſtat, nunquam tres, et raro duos, continua ſucceſſione, in primis apud Francos, felices fuiſſe et praepotentes. De Saxonia bene ſpero. Heredes *Electoratus* Vitembergae ſtudiis operam dabunt, eritque haec occaſio forſan et de vobis bene merendi, ſi Deus mihi et vobis valetudinem fortunamque benignam et conſtantem deinceps concedat. Francofurti adMoenum, Idib Decembr. A. cIɔ Iɔ CXXC.

P. S. Fratrem ſalutabis,et, data occaſione Baluzio et Poſtello officia mea commendabis,et, ſi alter habeat codices Graecos, quos ad me curare velit,per Zunnerum,ciuem veſtrum, faciam, vt ad me perferantur.

XLII.
CASPARI ZIEGLERO, IC.

EX quo in Germaniam reuerti neceſſarium mihi atque honorificum fore putaui, ſi extimos eius fines, ac totam Auſtraſiam, ipſumque adeo Palatinatum, percurſarem diligenterque perluſtrarem. Inde Spiram Nemetum me contuli, et omnibus in ſuprema imperii curia ſenatoribus innoteſcere volui, nec me impenſae poenituit, quod multa ibi vidi et vſu didici, quae ſtudia mea ornare poſſunt. Cum nemine magis familiariter fui, quam cum Iure conſul-

 tiſſi-

tiſſimo viro, Erico Mauritio, cuius et rereconditam doctrinam, et humanitatem, vix ſatis exprimere queo. Abundat numis, gemmis, lapidibus Memphiticis, ſigillis veterum tabuliſque, et raris antiquitatum monumentis, quorum copiam mihi fecit, ac ita ſe probauit, vt Carolo Patino eum praeferendum cenſeam, quem Patauium, vel huius doctrinae cauſa, in profeſſorum numerum ordinemque elegit. In Gallia Graece doctiſſimus eſt Bigotius, qui commodum Pariſios venerat, cum ibi agerem, et facile me admittebat, et codices, quos ſecum adduxerat, certatim mecum legebat, poſtea, Rothomagum repetens, me Clariſſimo Iuſtello commendabat, qui recepit, ſe curaturum, vt optimis codicibus mihi in parte hiſtoriae Graecae in poſterum conſulatur. Iſaacus Voſſius me Vindſorii ſupra, quam dici poteſt, comiter habuit, libros codicesque oſtendit, et de vera literaturae ratione vel vltra duas horas diligenter atque liberaliter mecum communicauit, de quo literas Londino ſuperiori aeſtate perſcripſi, quas, non dubito, quin Berolino acceperis. Illuc enim perferendas cuidam tradidi, ac vniuerſum Angliae ſtatum, quantum eruditionis intereſt, breuiter ſtrictimque explicaui. Iam id ago ſtudeoque, vt, conſtitutis domi rebus, et mitigata aeris inclementia,

tia,

tia, ad vos redeam, ac, ſi ita tibi placet, menſa tua deinceps utar. Interim gratulor tibi et Academiae totique patriae, quod Vitembergam nulla contagio infecit, et acre illud validumque frigus ſemina eius in Miſnia quoque opprimit atque extinguit, optimoque Principi EL. Ioanni Georgio III., qui duris ſane initiis vſus eſt, ſpem firmi et fortunati imperii facit, et Academiae etiam veſtrati tutum florentemque ſtatum pollicetur. Alioqui Germaniae, qua Rhenus eam interfluit, conclamata res eſt. Palatinus omnia labenti fortunae permittit, et, cum prolem optat, ſperare non poteſt. Argentorato ſcribuntur literae non aliter, ac ſi iam Gallicae ditionis eſſet, nec vlla, niſi in diuiniori rerum adminiſtratione, ſpes ſupereſt, ſi forte eueniat, vt, qui armis Germanicis ſubigi non potuit, Delphini orbitate euertatur, aut ſaltem impediatur quodammodo, et a propoſito Europaei dominatus retrahatur. Vale, Vir celeberrime, et Academiae proceres reuerenter meo nomine ſaluta, et, ſi qua occaſio datur, Aulae praecipue me commenda, cui pleraque aperire, quae perquiſiui et rimatus ſum, fides quidem et religio me admonet, ſed nunc, ob difficiles aditus, et ancipites dubiosque tabellariorum curſus, vix eſt tutum. Fran-

cofurti ad Moenum, Idib. Decemb. A. cIↄ IↄCXXC.

XLIII.
HENRICO ACHILLI L. B. A. BVVVINCKHAVSEN.
El. Saxonis in suprema S. R. I. Curia Legato et Assessori.

NOn poteſt eſſe bonus ciuis, qui illuſtres et de republica bene meritas familias ingrato ſilentio praeterit, aut maligne odit, propterea, quod iuſtum atque aequum eſt, vt, qui plurimum ad iuuandam ornandamque patriam attulerunt, in ore et animis hominum perpetua cum laude verſentur. Id vero cum primis ad maiores tuos petinet, Domine Benigniſſime, quorum et beneficia maxima, et in omnibus vitae partibus negotia egregia, ad poſteritatis memoriam extant, quae ſi tenebris obrui patiamur, profani erimus et ingrati. Itaque ordo temporum, et ſeries rerum conſtare debet, vt ſuis quaeque articulis veluti et interuallis partiamur, et, quae fortiter ac recte ab iis facta ſunt, in commentarios referamus, ac ſincere diligenterque expendamus. Eo minus ego, cliens tuus, committam, vt aliquid dicatur et fiat, quin ad monumenta auitae laudis, et gloriam tuam dirigatur, faciamque, vt, quae fidei meae commiſiſti, gra-

to cum animo reſtituam, et, ſi velis iubeasque, vitam Diui Patris, Illuſtriſſimi Beniaminis, cum ſerie inclutae gentis tuae, prelo excudendam tradam. Reliqua curabo, cum in Saxoniam venero, et Deum precabor, vt vulnus, quod nuper grauiſſimum accepiſti iactura illuſtris filii, in quo cum patria, tum familia tua, praeſidium ſibi deſtinabat, ope ſua ſanet praemuniatque aduerſus ſaeculi caſus, quos triſtes ſane ac terribiles nouus cometa denunciat, ac te nobis, reique publicae et iuſtitiae, quam diutiſſime ſeruet. Maxime id mecum optat Senator Orthius, quem vt tuendum ſuſcipias, et, liberis viri optimi, de praeſidio deiectis, benigne conſulas, ac, pro amore recti, proque auctoritate tua, Fabri effugiis viam aditumque tandem aliquando intercludas, reuerenter et demiſſe rogo. Francofurti ad Moenum, XVI. Cal. Ian. A. cIↃ IↃCLXXX.

XLIV.

IOANNI CHRISTOPHORO LIMBACHIO,

IC. et Conſiliario Palatino.

MAgna frigoris vis effecit, vt curſum itineris mei ſiſterem, et aliquandiu hic commorarer, neque melius valetudini

meae consulere potui, quam praecipiti itineris consilio infirmare nolim, praesertim, cum Princeps EL. Saxo tam benigno sit ingenio vt tempori hiberno moram hanc facile concedat. Simul ac vero rediero, honori et vtilitati tuae nunquam non studebo, modo siuerit aeternum ac immortale Numen, vt patria inposterum pace floreat, de qua ferme dubito, si apparatus nostros, et habitum consiliorum praesentium, animo contemplor. Neque bonus augur est cometa proximus, qui funestos casus reipublicae minatur et Liliis Aquilisque triste aliquid denunciat, vnde magnae et terribiles temporum commutationes euenire possunt. Delphinus proxime abest a periculo mortis, et, si rumori fides tribuenda est, iam ad aliam vitam migrauit, fuitque haec iam olim fortuna Francorum regum, vt inter laetos bellorum exitus, miseri interdum domi fierent, atque ad orbitatem redigerentur. Sed, vtinam Germaniae facies esset melior, et concordia duraret pristina, ac maximis finitimisque Principibus inter se conueniret. Namque iam eo res rediit, vt externus hostis omnia consilia, morbos item et vulnera reipublicae nostrae accurate sciat, et conatus nullo negotio anteuertat, nisi Deus nos respexerit, ac aegrotanti propeque in ruinis iacenti corpori tulerit opem.

Dis-

Diſſentiunt plerique *Electores*, acriterque aemulantur ſuſpicione potentiae, et mutuo metu, vnde inteſtina diſſidia perſaepe excitantur, quae ad conflandum ciuile bellum permultum poſſunt, vt vereri in mentem veniat, ne ipſi nos prius conficiamus, quam de externo hoſte repellendo cogitemus. Ne vero Deus ſiuerit, vt Tradicii vaticinum impleatur, ac tota adeo res Germanica in deterius ruat, dum ſigna conuerſionis haud obſcura apparent, nec aliter opinari licet, ſi quidem pro ſtatu temporum iudicium eſt ferendum. Ita nunc ſero intelligimus, in tam magno et diſſidenti reipublicae corpore tutius meliuſque fuiſſe futurum, ſi bello Belgico ſeſe non implicaſſet, et arma auctoritatis metusque cauſa oſtentaſſet potius, quam intuliſſet. Sed, quae facta ſunt, corrigi non poſſunt, niſi quod dolendum eſt, alieni periculi cauſa rem Germanicam tantum non fuiſſe euerſam, vt Galli affirment, non iam de finibus, ſed de fine Imperii agi oportere. Etſi autem expeditiones noſtrae culpa non vacant, et occaſiones ſaepe neglectae ſunt, ac pleraque alia ſe obiecerunt, quae optima conſilia mutarent, tamen fatendum eſt, hanc gratiam nobis retuliſſe Belgas, vt ſpinam, ex pedibus ſuis extractam, in viſcera defigerent noſtra. Quid vero? actione ; ingrati con-

ti contra ingratum Belgium experiamur? ita quidem plerique, ſed periculoſe ſatis, et inutiliter quoque, cenſuerunt. Ego nihil addo, quia non expedit, omnes intimos ſenſus exprimere, et aequum eſt, vota facere, vt Deus rempublicam in antiqua ſede ſiſtat, malaque impendentia a nobis poſthac auertat, ac tibi in primis, hoc et futuro anno, omnia fortunae beneficia largiatur. Francofurti ad Moenum, X. Cal. Ianuar. A. cIↃ IↃCLXXX.

P. S. Senator Orthius ſe ſuamque cauſam curae atque diligentiae tuae obſeruanter commendat, ſimul ego enixe peto, vt conſultiſſimus iuriſque prudentiſſimus Bechtius meo nomine ſalutetur, cui nulla non officia mea conſtabunt, ſi quidem aliqua deinceps a me exſpectari poſſunt.

XLV.

HVLDERICO EYBENIO,

IC. et Aſſeſſori Spir.

SPira Nemetum diſcedenti mihi prima quidem cura fuit, me ipſum pariter, et ſtudia mea, de integro tibi commendare, iamque facturus, quod me decebat, officium, ab aliquo commonebar, rationes muneris tui non ferre, vt quenquam admittas praeſertim, cum labores, quos pro iuſtitia et republica ſumma cum laude ſuſcipis, ita cumulati ſint, vt nullum ſane vacuum tempus concedatur,

datur Ea de caufa arbitratus fum, non licere mihi abs te petere aditum per occupationes et curas fanctiffimas, quas interpellare intempeftiuum eft atque indecorum, mihi praefertim, clienti tuo, cui nihil prius effe debet, quam te colore et venerari. Nam, vt fortuna horum temporum eft, multa mihi in tuo, nec fimulato, patrocinio fita funt, quandoquidem de futuro patriae ftatu, et de rebus meis vix certi aliquid ftatuere poffum Acre enim frigus, ficut fpem falubris aeris mihi facit, ita ab itinere me retrahit, propterea, quod paffim interclufi aditus tempore alieno et ob coeli inclementiam duriffimo, me adhuc non fine caufa remorantur. Alioqui nouum fidus cometa funera illuftria fignificare videtur, nec defunt, qui dicant, Delphinum e vita deceffiffe, qui iam diu cum graui certe morbo eft conflictatus. Longitudo caudae terribilis eft, nec proximis fuperioribus faeculis, aut noftra patrumque memoria, vifus eft πογώνιος qui tantum coeli fpatium caperet et aequaret. Forfan ita fato datum eft, vt, quem noftra bella difcordantium frangere non potuerunt, deinceps percellat orbitas, vt credat, res Germanicas Deo effe curae, effe vltionem. Interim Numen aeternum fupplex inuoco, vt illuftre tuum nomen mihi et Orthiis, recti ex-

empli iuuenibus, in primis autem reipublicae, quam diutiſſime ſeruet, qui mecum per omnia ſacra, perque obſequii, quod me interprete per literas, ex Gallia ſcriptas, ſanctiſſime ſpondent, religionem ac ſempiternum nominis tui cultum rogant demiſſe atque obteſtantur, vt in ſenatu veſtro parentis optimi, et omnibus fortunis euerſi, cauſam agas et tuearis. Ita vero te Deus Caeſari, ſenatui ſupremo, iuſtitiae et literis, ac nobis clientibus ſeruet, perpetuoque contra funeſtos quosuis caſus firmet Scriptum Francofurti ad Moenum VI. Calend. Iun. A cIↄ Iↄ CLXXX.

P. S. Magna vis frigoris impediuit, quo minus Darmſtadium commearem, atque tua imperata facerem, quod pro ſumma, qua es, humanitate benigne interpretere Simul ac enim occaſio feret, et res meas domi apud matrem viduam conſtitutas habebo, nihil eius intermittam, quod cum honeſti obſequii laude coniunctum eſt, atque vna etiam pro tua valetudine et gloria nominis, et inclutae familiae incrementis, vota faciam, vt hoc et futuro, qui breui nos expectat, anno, et continuata deinceps temporum ſerie, floreas, et quam diutiſſime ſuperſis. Id mecum volunt Orthii et vouent.

XLVI.

XLVI.
GEORGIO FRIDERICO MVEGIO, I. V. D.
et in supremo S. R. I. Curia Aduocato.

FIdes amicitiae noſtrae exigit, vt honori tuo ſtudeam, quod et bene pro rectisſima voluntate tua de me exiſtimaſti, et peregrinum ignotumque comiter ac honorifice excepiſti, et menſam hoſpitiumque optimum commendaſti. Quae officia vt egregia ſunt, ita nunquam memoria mea excident, vt intelligas, ſincerum atque rectum me eſſe hominem, qui referendae gratiae occaſionem enixe quaerat. De Orthii cauſa, quaeſo te, priuatim et tacite diligenterque labores. Crede mihi, labori pretium non in charta, ſed in parata pecunia rependet, ſponſorque ego huius promisſi ero, vt non verbis, ſed re ipſa, impleatur. Rumetſchio noſtro, quem ſincere diligo, indicabis, me commodis eius aduigilare velle, ſi quidem Saxonia noſtra placeat, ſin aliud conſilium capiat, vel Tubingae vel Heidelbergae, gratiam ineat, vt contra aemulos atque inimicos ſeſe tueatur. Nam viro eruditiſſimo bene cupio, et volo, vt taediosum munus, quod adminiſtrauit hucusque meliori permutet. Reſpublica noſtra futuri incerta eſt, credoque, fore, vt Galliae regem

regem orbitas frangat, quem diſcordantis reipublicae arma frangere non potuerunt. Cometa triſte prorſus et ferale aliquid Liliis denunciat, flammamque ab occidente ſpargit maximam verſus orientem, et ſpatium coeli maius conficit, quam noſtra patrumque memoria alius quisquam. In Saxonia noſtra conſilia Martia et belli apparatus ſpem mihi egregiam faciunt, neque dubito, quin iugum externi hoſtis tandem aliquando depellatur, ſi Principes, metu ſeruitutis, conſentiant, viresque coniungant. Nam et potentia nimia nunquam eſt fida, et Francorum felicitas plerumque in tertio ſucceſſore defecit, ac nunc quidem non vana domeſticae calamitatis indicia apparent. Ita bene feliciterque agas, Nobiliſſimum ciuem meum, Bruggium, meo nomine per officioſe ſalutes, et, ſi non graue eſt, Fuchſium de Maſteio curando admoneas, fratremque tuum amiciſſimum, et Conuictores Spirae optimos humaniſſimosque, de voluntate et officiis meis quam certiſſimos reddas. Francofurti ad Moenum, VI. Cal. Ianuar. A. cIↄ IↄCLXXX.

XLVII.

HENRICO ACHILLI L. B. A BVVVINCKHAUSEN.

BEne grauiterque cenſuiſti, recto et bono ciui eas agendas eſſe partes, quae lau-

laudem ab officii honeſtate vindicent ſibi, et glorioſa ad poſteros exempla transmittant, vt duces auctoreſque rerum in republica maximarum ne lateant, aut quoque modo ignorentur. Etenim ſingularis magnitudo animi, et patientia invicta, et incredibilis prudentia ac pietas, quae a maioribus et diuo patre tuo, ſorte naſcendi, ac hereditatis quodam iure, in ſacrum et venerabile pectus tuum dimanarunt, nulla mea culpa diſſimulari, nedum ingrato et turpi ſilentio obliterari debent. Cum Spenero, qui obſeruantiam me interprete nunciat atque confirmat, ſuperiori die locutus ſum, qui de tuis inſignibus gentilitiis aliquid in commentarios, quos Heraldicos vocant, referre conſtituit, ſi copiam ei facias, atque inſtitutum, per ſe laudabile, aſſenſu tuo comprobare velis. In Saxonia noſtra Haugvizius res et negotia aulae ſummi praefecti titulo moderatur. Miltizius, recenti Saxonis beneficio, *Cancellarii* munere fungitur. Infidum vulgus externum, pecuniarii accipitres, ex aula exierunt, plerique, rationes reddere iuſſi, in vinculis ſunt. Dux Croiae qui regi Daniae meruit, et contra hoſtes ſubinde fortiter ſtetit, ad gerendum ſummi militiae praefecti munus inuitatus eſt, omnia demum ſic adminiſtrantur, vt ſimul egregie emendentur, opesque aerarii

et

et robur retineantur. De Cometa multi et vſu periti *Aſtrologi* iudicant, maximo cuidam Europae Principi obitum ſignificare, atque id haud dubie ad Regis Galliae filium dirigitur, quem lento veneno contabeſcere aiunt. Vereor ſane iam, ne maxima rerum conuerſio Europae impendeat, quando ex Gallia perſcriptum eſt, regem de bello Caeſari inferendo cogitare, nec legato Mansfeldio in aequis et honeſtis poſtulatis adhuc ſatis fuiſſe factum. Interim Te, Illuſtriſſime Domine, Sanctum aeternumque Numen a malis et fortuitis caſibus defendat, totoque hoc, quem inimus, anno deinceps protegat et ſeruet, quod mecum precatur Orthius, qui ſe ſuamque cauſam tuo efficaci patrocinio demiſſe et reuerenter commendat, et clientem atque deprecatorem perpetuum ſe profitetur. Francof. ad Moenum III. Cal. Ian. A. cIↃ IↃ CLXXX.

XLIIX.

IO. PHILIPPO VVITTSTEINIO

IC. et Cancellario Waldeccenſi.

CVm, ex Gallia redux, apud D. Spenerum et D. Horſtium, nominis tui atque honoris ſtudioſiſſimos, inuiſerem, negotium mihi datum eſt, vt vtriusque literas ad te curarem. Quod vltro libenterque ſuſcepi, et cum officii, tum obſeruantiae meae, partes

tes explere volui, neque dubito, quin me commendatiſſimum tibi habeas, meisque et et matris viduae rebus conſulas, ac, vbi opus opus fuerit, auctoritatem tuam interponas. Conſilium mihi eſt, deinceps patrias res literis mandare, et Illuſtriſſimorum patriae Procerum vitas, acta et exempla, ad poſteritatem inſignia in commentarios referre, ſi quidem id perclementer ſibi de ciue ſuo polliceantur. Nihil vel laborioſiſſimum defugio, fidemque obligo, et omnia facere ac experiri ſtatutum habeo, quae ad illuſtrandas patriae meae laudes adferri poſſunt, vt Saxones quoque noſtri inpoſterum VValdecciae ornamenta, imagines, decora et palmas, intueantur. Quod eo magis faciendum mihi eſſe, exiſtimo, quod Saxones et VValdeccii felici auſpicatoque connubio nuper iuncti ſunt, et, difficili hoc propeque conclamato rerum ſtatu, animos opesque ſanctiſſimo foedere colligunt ac deuinciunt, et rectum concordiae Germaniae exemplum tradunt. Nam, vt nunc tempora ſunt, noua pericula communi patriae impendent, et, niſi me omnia fallunt magna et memorabilis rerum conuerſio inſtat, quam, praeter maxima regum funera et ſubitos caſus, recens cometa forſan etiam ſignificat. Sereniſſimus Princeps EL. Saxo, Italos, Huſſaros, Heluetios,

miſit,

misit, et robore Germanico legiones suas firmauit, quando id breui eueniet, vt aut pereat libertas, aut armis praesentibus defendatur. Orbitas tamen regi Europae maximo metum iniicit, et res iam eo rediit, vt de valetudine Delphini vel ipsi cordatiores Galli desperent. Interim me tuo patrocinio permitto, et si quid de republica agatur ex Saxonia diligenter perscribam, votaque faciam, vt hoc ineunte anno, et sequentibus deinde omnibus, saluus sospesque sis, et consilia patriae salutaria pariter, et honorifica, impertiaris, Ita te Deus seruet, prosperet ac tueatur. Corbachii Nonis Januar. A. cIɔ IɔCLXXXI.

XLIX.

N. REINEKE,

In Curia Redituum VValdeccensium a secretis.

QUae tua erga meos humanitas est, ea mihi, ex Gallia reduci, non disparem promittit beneuolentiam, et facit, vt magnopere abs te petam, literas has Illustrissimo Comiti, Georgio Friderico, recte fideliterque tradas. Pro quo officii genere, si quid est, quod me flagitas, nihil recusabo, siue honoris siue commodi tui causa, modo tale sit, vt voto vires respondeant consiliaque mea bene ac feliciter vertant. Cupio, enim

enim, vt intelligas, me, confectis feliciter itineribus patriae honori id daturum, vt res actaque Illustrissimorum Procerum posteris tradam, quando non melius ipsis pietatem meam adprobare possum. Transeunti enim nuper Belgium, atque hinc in Angliam traiicienti, ac deinceps in Galliam nauiganti, saepe data est occasio de iis praeclare dicendi praesertim, in quibus maxima ipsorum virtus eluxit. Igitur non dubito, quin placeat conatus ille meus, quaesoque te, vt de hoc instituto ad eos referas, quod sane eiusmodi esse perspicis, vt haud dubitare queas, quin cum religione ciuis boni ac obsequentis sit coniunctum. Interim toto hoc anno tibi felicia quaeque precor, Deumque oro, ut aerumnas, morbos, bella, a communi patria auertat, et signa irae, quae in coelo monstrat, cum bonis auspicatisque patriae ominibus commutet. Corbachii VValdeccorum, Id. Ian. A. cIɔ Iɔ CXXCI.

L.
EIDEM.

PErpulchre et sapienter censuisti laudabile et excellens esse argumentum, in quo patriae causa vires experiri constituissem. Nam, cum domestica abunde suppetunt, absurde et temere externa quaerimus, quae superstitio quidem multorum animos, prauo

F

uo saeculi more exemploque, inuasit, a me tamen tantum aliena est, quantum cogito recti et probi ciuis specimen dare. Atque in ea sententia perseuero, et, vt me constare mihi credas, denuo rogo, vt amplior argumenti huius materia praebeatur. Scripturo enim historiam Diuorum VValdeciae Comitum multa et magna ad eam rem subsidia omnino mihi circumspicienda sunt, pars ex editis annalibus et libris, quibus haud egeo, pars ex codicibus et tabulis manu exaratis, quae superiorum beneficio perquirendae sunt, pars ex publicis rerum actorumque documentis, quae in foro et curia disceptata sunt, reliqua ex literis pragmaticis Caesarum Procerumque nostrorum peti, et a veris domesticisque principiis arcessi, debent. Tum de vita Illustrissimi Domini nostri, Georgii Friderici attexi aliquid, nec vulgare, oportet, quippe quae eiusmodi est, vt in eam omnes huius et sequentis aeui Duces ac Praefecti militares intueantur. Initia, velutique tirocinia, progressum deinceps et maxima incrementa summi huius militiae Imperatoris in transitu et obiter referre, mihi pariter, et Auctori Celsissimo, ingloriuin foret. Itaque ex fontibus ducendi sunt riuuli, et literae vltro citroque commutatae, et consilia eundaque in toga et bello prudenter expe- de-

denda sunt, vt nihil sine graui momento inferatur, ac operi pretium a grata et sincera posteritate rependatur. Quaeso autem te vt hoc ne des crimini arrogantiae boni, et sine fuco ac lenocinio scribentis hominis, qui nihil aeque cupiat, quam in rebus seriis de Illustrissimis patriae Proceribus mereri. Ita volo te saluere, et peto, vt Nobilissimum VValdschmidium, cuius beneuolentiam plus semel expertus sum, de obseruantia et studio meo certum reddas, sique non graue sit, Reuerendum Embdenium, Praeceptorem quondam meum, salute multa impertiaris, Corbachii VValdeccorum, VII. Cal. Febr. A. clↄ Iↄ CLXXXI.

LI.

HENRICO ACHILLI. L. B. A. BUVVINCKHAVSEN.

Condonabis mihi superioris temporis moram, cui et occasionem, et ansam, dedit iter ad Illustrissimum VValdecciae Comitem, in cuius aula de tuo nomine et meritis multi atque honorifici sermones inciderunt. Nunc Saxoniam repeto, et mandata tua cum apud Principem EL. tum apud sanctiores ministros, qui honori tuo fauent, fideliter ac demisse curabo. Omnia nunc nostra aguntur optime, ac Princeps et patriae, et aerario, bene consulit,

uo faeculi more exemploque, inuafit, a me tamen tantum aliena eft, quantum cogito recti et probi ciuis fpecimen dare. Atque in ea fententia perfeuero, et, vt me conftare mihi credas, denuo rogo, vt amplior argumenti huius materia praebeatur. Scripturo enim hiftoriam Diuorum VValdeciae Comitum multa et magna ad eam rem fubfidia omnino mihi circumfpicienda funt, pars ex editis annalibus et libris, quibus haud egeo, pars ex codicibus et tabulis manu exaratis, quae fuperiorum beneficio perquirendae funt, pars ex publicis rerum actorumque documentis, quae in foro et curia difceptata funt, reliqua ex literis pragmaticis Caefarum Procerumque noftrorum peti, et a veris domefticifque principiis arceffi, debent. Tum de vita Illuftrisfimi Domini noftri, Georgii Friderici attexi aliquid, nec vulgare, oportet, quippe quae eiufmodi eft, vt in eam omnes huius et fequentis aeui Duces ac Praefecti militares intueantur. Initia, velutique tirocinia, progreffum deinceps et maxima incrementa fummi huius militiae Imperatoris in tranfitu et obiter referre, mihi pariter, et Auctori Celfiffimo, inglorium foret. Itaque ex fontibus ducendi funt riuuli, et literae vltro citroque commutatae, et confilia euentaque in toga et bello prudenter expeden-

den-

denda ſunt, vt nihil ſine graui momento inſeratur, ac operi pretium a grata et ſincera poſteritate rependatur. Quaeſo autem te vt hoc ne des crimini arrogantiae boni, et ſine fuco ac lenocinio ſcribentis hominis, qui nihil aeque cupiat, quam in rebus ſeriis de Illuſtriſſimis patriae Proceribus mereri. Ita volo te ſaluere, et peto, vt Nobiliſſimum VValdſchmidium, cuius beneuolentiam plus ſemel expertus ſum, de obſeruantia et ſtudio meo certum reddas, ſique non graue ſit, Reuerendum Embdenium, Praeceptorem quondam meum, ſalute multa impertiaris, Corbachii VValdeccorum, VII. Cal. Febr. A. cIɔ Iɔ CLXXXI.

LI.

HENRICO ACHILLI. L. B. A. BVVVINCKHAVSEN.

Condonabis mihi ſuperioris temporis moram, cui et occaſionem, et anſam, dedit iter ad Illuſtriſſimum VValdecciae Comitem, in cuius aula de tuo nomine et meritis multi atque honorifici ſermones inciderunt. Nunc Saxoniam repeto, et mandata tua cum apud Principem EL. tum apud ſanctiores miniſtros, qui honori tuo fauent, fideliter ac demiſſe curabo. Omnia nunc noſtra aguntur optime, ac Princeps et patriae, et aerario, bene conſulit,

consiliaque rectissima adhibet et admittit. Principes iuuentutis accurate instituuntur, magnamque vniuersae patriae spem faciunt, fore, vt per eos Saxonia deinceps in altius fastigium euehatur. Seriem inclutae tuae familiae vitamque diui Beniamini edam, publiceque cum erudito orbe communicabo. Interim Amplissimus Senator Orthius, se causamque suam Illustrissimo Nomini tuo de integro commendat. D. Spenerus insignia tua, parti III. Operis Heraldici inserenda, petit. Ceterum Tu Domine, Deus ingrauescenti aetate ferme vigorem animi, robur corporis, fortunam florentem, in perpetuum firmet. Francof. ad Moenum, Non. April. A. C. cIɔ Iɔ CLXX.

LII.

IO. GEORGIO ORTHIO,

Lutetiam Parisiorum.

Vt primum ex patria, vbi Illustrissimus Comes VValdeccius me ad perquirendum sanctius tabularium adhibuit, bene feliciterque reuerti literae tuae, comitatis plenae, allatae sunt, quas summa cum voluptate perlegi, et de optimo fratris statu cognoui. Mihi consilium est Baronem Gersdorfio vel fratrem, vel te ipsum, commendare, vt regendis filii studiis, qui nunc Vitembergae est, operam nauare possit.

Nam

Natu minimus frater, Hieronymus Petrus, Gymnaſio Hanouienſi deſtinatur. Mater enim perſeuerat in ſententia, et conſentit honoratiſſimus Pater, vt literas ex colere pergat. Parum ab fuit, quin Geneuam, capiendi cultus cauſa, dimitteretur, quod diſſuaſi, quia rationibus eius non conducit, Sauſerius tamen prope hanc in ſententiam induxerat parentes. Lis Spirenſis adhuc pendet, cum aduerſarius omnia mouet et molitur, vt mora nectatur in cauſa tam liquida et certa. Doleo vicem et fata temporum iniquiſſimorum, quae rebus veſtris aduerſantur. Saxonia, benigniori Dei auſpicio, creſcit, quando Princeps EL. conſilia prudentiſſime moderatur, tribunos militesque conducit, et ſumtibus ſuperuacuis parcit, ac auctoritate ſuae pariter, et commodo patriae, egregie conſulit. Cum Principe EL. Brandenburgico de foedere tractauit, prolixeque Pozdamii eſt acceptus. Rex Galliae *Inſtrumenti pacis* interpretationem non ex *Inſtrumento* Neomagenſi, ſed ex publicis actorum commentariis, vulgo *Protocollo* adornat, quam Germani contra morem et inſtituta gentium, contraque pacti conventi ſanctitatem, interpretantur. Clariſſimos Viros, Baluzium et Poſtellum, ſi qua eſt occaſio, ſaluta. Vale Francofurti ad Moenum, Idib. April. A. C. cIↃ IↃCLXXXI.

 LIIII.

LIII.
PETRO HOMFELDIO.
IC.

SEx dies ſunt, quum ex Gallia reuerſo literae tuae allatae ſunt, ex quibus intellexi, quid cum de me, tum de affine tuo minore annis, velles. Ego ſicut amori tuo plurimum tribuo, ita faueo conatibus iuuenis, quem elegantia ingenii mihi commendat, adeo, vt nolim vllam probandi officii occaſionem praetermittere, ſi quidem talis offeratur, vt de ſtudiis eius bene mereri vnquam poſſim. Reſpublica communis adhuc, velut corpus male affectum, difficili, periculoſo morbo laborat. Plerique in peruerſa ac deteriora eunt. De Germania ad Rhenum conclamata res eſt. Palatinum pariter periculum, atque orbitas, angit. Saxo noſter meliori fato aerarii opes inſtaurat, et de milite, ſuis impenſis alendo, diligenter conſultat. Bauarus vt ferunt Saxo-Iſenacenſem ducet, quod etſi reipublicae expedit, tamen ſponſae rationibus, quae nus ad auita ſacra diriguntur, vix conducet. Nam, etſi multa in eo genere liberaliter promiſſa ſunt, non tamen eſt, vt credam a Principe, religionis Romanae tenaciſſimo, ſeruatum iri, nec me fugit, quid cum Darmſtadina principe actum fuerit, cum a Neoburg-

burgico, vel ipſo Darmſtadino Antiſtite non inuito, domum duceretur. Interim diſputamus cum Gallo, tractamus, literasque ſaepe et ſolicite commutamus, interpretamur, diſtinguimus, defendimus, ac denique omnem lapidem mouemus, vt iure cauſam vincamus. Sed rident Galli, perquirunt abditos ſenſus, diuidunt ſtudia et partes, occupata etiam retinent, Alſatiae incumbunt, et, vbi vel leuiſſima data occaſio fuerit, in viſceribus Germaniae bellum gerunt. Niſi benignius fatum nos reſpexerit, Germania ſuperior iacebit in ruinis, cum nemo Gallum, occupata Lotharingia, prohibere poſſit, quo minus libere in fines noſtros excurrat, bellumque adeo ſemper in hoſtico gerat. De reliquo te Deus ſeruet, Conſultiſſime Vir, cum familia, et florentiſſimis neceſſitudinibus. Zieglerus, cuius de iuribus maieſtatis opus iam prodit in lucem, te diligenter multumque ſalutat. X. Cal. Mai. A. ƆƆCLXXXI.

LIV.

NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

Senatus Sanctioris Principi.

Diu, multumque Deo ſupplicaui, fineret mihi reduci hoc gaudium eſſe illibatum, vt erepto patriae Diuo Henrico Friſio, cuius gloria in omnes Europae oras pe-

netrauit, et latisſime diffuſa eſt, principem in Senatu maximo teneres locum, reique publicae negotia tuo deinceps ductu ordinares. Neque me illud fefellit votum, et fructum huius ſpei opinione mea citius cepi, quando apud Gallos conſiſtenti de fama prudentiae, et felicitate tua rumor non fallax allatus eſt, omnia conſpiraſſe, ad augendam nominis tui auctoritatem, vt Saxoniae rationibus ſic quoque conſuleretur. Quod, abſit, vt velim eſſe fraudi Illuſtriſſimo Socero tuo, cuius ſenium, curis fractum, leuamento eget, et, compoſito in quietem animo, laetatur, extitiſſe Generum, qui prouinciam eam prompte ſuſciperet, ac feliciter adminiſtraret, quum nemo te melius potuiſſet. Fauſta igitur et laeta Saxoniae conditio eſt, quod, quum Germania coepit eſſe faſtidio exteris, Saxonia tuis conſiliis ſic iam fulciatur, ſic erigatur deinceps ac firmetur, vt omnium prope regum principumque oculos in ſe conuertat. Plerique ſatis aperte dicunt, ſi poſthac miſera pax honeſto bello mutanda ſit, egregium defendendae communis patriae libertati apud Saxones praeſidium fore, vbi in toga belloque virtuti pretium ſit, et prouide omnia agantur. Quare, quum, Rheno traiecto, ad Moenum Lanumque pergerem, nec multo poſt domi eſſem, Illuſtriſſimus Comes

VVal-

VValdeccius, idemque Foederatae Belgicae militiae Imperator, cum Principi EL. bene precatus eſt, tum te, Domine, inter ſingularia virtutis et fortunae exempla memorandum cenſuit, quod, conclamatis Germaniae Cisrhenanae rebus, Saxonia inprimis, te conſilii Principe, robur aerarii et militum opportune compararet. Qui laude tua excitatus, VVetterauicos Comites omni ſtudio ad ſocietatem foederis deuinxit, et, vt de externis viribus tempeſtiue cogitarent, perſuaſit. Simul et mihi literas, ad Saxonem perferendas, tradidit, quas tuo praecipue conſilio ſubmittit, quum optat, vt de rebus ſuis inpoſterum limatum aliquid ſcribatur, quod totum ex arbitrio Domini mei longe Clementiſſimi, atque ex tua ſententia, pendet. Eadem occaſione tranſmitto Ludolphi Hiſtoriam Habeſſinorum, Iobi Ludolphi, inquam, Viri tua merita ſumme admirantis, et Aethiopicarum antiquitatum peritisſimi, etſi nunquam apud Habeſſinos fuit. Ipſe leges, Domine, et iudicabis, et de auctore ſic ſtatues, vt eum obſequii ſui non poenitere poſſit, quum id in ſumma laudis parte ponat, ſi vel tibi conatus iſte ſe probet. De illuſtriſſimo filio quicquid me facere velis, Domine, nihil defugiam, omneſque doctrinae meae copias illius vſui, ſtudiis, commodo, ſuppeditabo.

Quod reſtat, orabo Numen coeleſte ac aeternum, vt Illuſtriſſimam Familiam tuam ſaluo te ſemper ac ſoſpite, cum Illuſtriſſima Coniuge, et Illuſtriſſimis in vniuerſum liberis, eodem in felicitatis gradu ſeruet protegat ac tueatur. IV. Calend. Maias, A. cIↃ IↃ CLXXXI.

LX.
GEORGIO SCHVBARTO,
P. P. *Ienenſi*.

MAgnopere doleo, quod, cum hac tranſires ſuperiori anno, mutuo colloqui non poſſemus. Fortuna ſane meam tuamque ſpem fruſtrata eſt, ego vero efficiam, vt Ienae nos in poſterum ſalutemus. Zieglerus et Stolbergius te amant, ac diligenter reſalutant. Graecos Germania habet eruditos, nec laude ſua fraudandos, ſed codicum ſubſidia, vnde variae lectiones petendae atque corrigendae ſunt, omnino eos deſtituunt, quorum plures apud vnum Is. Voſſium reperi, quam apud omnes noſtros. Anglia floret his viris, neque Galli, ſi hoc tempore Emericum Bigotium excipias, in comparationem referri poſſunt. Maximam enim huius eruditionis in Henrico Valeſio iacturam fecerunt, quem videre quidem et audire vehementer cupiebam, ſi vita, vt eius virtus meruit, longius produxiſſet.

Biel-

Bielkium de libro ad me perferendo admoneas, qui nundinis Naumburgenſibus centum et triginta Imperiales a me accipiet, et, ſi quid ab eo cognatae Bielkiae ſoluendum ſit, curabo, vt quam primum fiat. Vale, Vir Ampliſſime, et feſtinationi meae ignoſce. Vix enim ſcribere coeperam, quum Illuſtriſſimus Gerſdorfius Torgauiam, vbi iam aula eſt, me acciuit. Prid. Id. Mai. A. cIɔ Iɔ CLXXXI

LVI.

ISAACO VOSSIO,

Praeſuli Vindſorienſi et Polyhiſtori ſummo.

PErmultum humanitati tuae debeo, quod ſuperiori anno, cum Vindſorii incognitus te inuiſerem, tam benigne comiterque me excepiſti, vt exiſtimare debeam, nullum ſane tempus melius unquam collocari potuiſſe. Nam, me haud ſuppudet confiteri, multa abs te audiuiſſe, quod ſcire quidem omnes vere eruditos oporteat, ſed, praeter te, pauci ſciant. Quare, poſtquam reuerti ad Saxones, ſtatim ad ſalutandum in aula Gerſdorfium veni, ac de te cum multa, tum honorifica, feci verba. Eum Henrico Friſio, Viro honoris tui ſtudioſiſſimo, et in Senatu ſanctiori Principi, ſurrogauit Saxo, ac bono quidem reipublicae auſpicio, quando

do et negotia eius vniuerſa prudenter administrat, et literarum quoque ſtudia in primis ornat, ac tuetur, et te ſic profecto aeſtimat, vt Friſio nihil in eo genere concedat, quem alioquin ex aſſe imitatur. Verum, hoc temporum ſtatu, belli conſilia multum moleſtiae ipſi exhibent, propeque eripiunt otium, quod ſtudiis amoenioribus dare conſuerat. Vereor enim, ne dubiam ancipitemque et infidam Germaniae pacem breui magna rerum commutatio ſequatur, cum pro certo exploratum ſit, in aemulatione et diſcordia tot Principum ſitam eſſe omnis noſtri mali cauſam. In Thuringia uix dubium eſt, quin Troiae exemplum habeamus, ſi perficiatur conſilium, de quo fama nunc increbreſcit. Interim Francorum ille Romulus exſpectat occaſionem et captat, pro lubitu interpretatur pactiones et ſeruat, donec ipſi expedit. Aditus ad Rhenum quaqua rurſum nunc patet, limitemque veterem in poteſtate habet, neque erit, qui prohibeat, ſi vel ad ipſum Moenum deſcendat. In VVetterauia colliguntur manipuli, et, rebus quotidie in deterius labentibus, armantur atque inſtruuntur, tum, delectu habito, recenſentur, quae forte nihil, praeter ſimulacrum, habent. Vicini autem Darmſtadini recuſant hoc foedus, et tergiuerſantur, Caſſellani probant, ratumque habent,

re-

reliqui ſpectant, quam agere nolunt, fabulam, ſiue, quod ſecuri,ſiue, quod impares ſunt, fataque ſua exſpectant. Etenim non magnum pondus habet potentia, quae ſua vi nixa non eſt, quos fortuna omnibus caſibus ſubiicit, quando per ſe reſiſtere non poſſunt. His rebus Saxo noſter adductus eſt, vt cum aerarii, tum militiae, maiorem curam gerat, et vna voluntate ac ſtudio cum Camillo illo Brandenburgico conſilia, viresque coniungat, in quo foedere plus ineſt roboris ac ſplendoris, quam in apparatu ac ſubſidiis omnium VVetterauiae Comitum,et eorum, qui Rhenum accolunt, Regulorum, praeſertim, quum Caeſar rationes motus Vngarici conficere ſtudet,atque adeo res ſuas tueri certe ſatis habet. Sed haec alio pertinent, niſi, pro ſumma tua beneuolentia, hoc amori pariter, et venerationi meae,dare velis, vt non indigne feras hominis, nimis feſtinanter ſcribentis, conatum. Recordor enim ſermonum, abs te Vindſorii habitorum, quibus et variae eruditionis, et doctrinae etiam ciuilis, fontes copioſe aperiebas. Hoc minus nunc aliquid ſuppetit mihi, quod tuae exſpectationi ſatiſfaciat, praeterquam obſeruantiae tibi teſtificandae exemplum. Monimenta ingenii tui, quae res arduas,et vulgo minime obuias,complectuntur,aſſidue lego,haec verſo in dies,haec meis

meis commendo. *Chronologia* tua LXX. Interpretum in compluribus iam diu confudit sciolos, ac de ignorantiae praesidiis omnibus deiecit. Nihil dicam de commentationibus in Melam, deque Vindiciis Ignatianis, quae et acumen, et vim iudicii maximam, et immensam lectionem, ostendunt. Reliquum illud de Sibyllis iam peruoluo, atque opto, vt diu reipublicae literariae superfis, et iuuenem hunc Doctoris Lipsiensis filium, politum, et compositis moribus, patriae nostrae ciuem, Lehmannum, ad conspectum, alloquiumque beneuolum admittas, quod ille maximum fortunae suae beneficium interpretabitur, nullis sane non officiis demerendum. Illustriss. Gersdorfius, in sanctiore Saxonis Consilio Senator praecipuus, diligenter te salutat. Si non graue est, Peukerum meum saluere cupio. Vitemb. Sax. Eid. Maii, A. cIↄ Iↄ CLXXXI.

LVII.
IACOBO RICHARDO,
Doctori Theologo, et Sacrorum VValdecensium Antistiti.

PEr aulae et officii rationes nondum ea, quae volui, ex animi sententia conficere potui. Iam enim Torgauiae me retinet Generosissimus Baro Gersdorfius, in Senatu Sanctiori Princeps. Epistolam Illustrissimi

ſimi Comitis Georgii Friderici proinde accepit et reſignauit Saxo noſter, qui ea de re ad conſilium ſanctius retulit, atque hinc reſponſum exſpecto. Omnes aulae adminiſtri fauent, iuxta cum Principe EL., honori Illuſtriſſimi Comitis, perſonatque aula plauſu et praeconio eius. Tantum mora quaedam exſpectanda eſt, cum, ſemeſtre aeſtiuum hic traducendum eſſe, perſpiciam, vt refloreſcenti nunc Academiae, quae prope in vaſtitatem, metu peſtilentis morbi, redacta eſt, conſulam, ſtudiisque meis et exemplo adſim. Quare, cum reſponſum tulero, ad Illuſtriſſimum Comitem, cui, data occaſione, pariterque Conſiliariis, me commendabis, ſine cunctatione perſcribam. Calouius, qui honorifice de te exiſtimat, Daſſouiusque, conuictor meus, te multum ac diligenter reſalutant. Ille etiam literas reſcribet, maximoque gaudio tum affectus eſt, quum de Illuſtriſſimi Georgii Friderici proſpera valetudine, in qua et reipublicae, et Eccleſiae, permultum ſitum eſt, ex me cognouit. Ita vero te recte valere cupio, et cum vxore ac familia florere opto, demum peto, vt matrem, atque neceſſarios et patronos meos, multa ſalute impertiaris. Eid. Maii. A. cIɔ Iɔ CXXCI.

LIIX.

L.IIX.
NOBILI CVIDAM.

GRauiter fero conditionem tuam, et tan-tum non deploro tempus studiorum rationibus aduersum, quod morbus tibi eri-pit, praesertim in flore iuuentutis, cuius fru-ctum patria mecum haud vulgarem exspe-ctat. Librum mitto, cui Elertus sigilla vo-bis, ex fide promissi, addet, tibique inspicien-da tradet. Abs te peto, vt mecum commu-nices, quae in Machiauellum praelegi, volo-que, vt quamprimum saluus sospesque mi adsis, cuius conueniendi occasio breui fa luculenta se dabit. XVI. Cal. Iun. A. ci IↃCXXCI.

LIX.
CAROLO L. B. A. FRISEN.

QVae res in itinere ad Belgas, Britones-que et Gallos, mihi proposita fuit, vt vi-ros Europae doctissimos inuiserem, eorum-que sententias perquirerem, ac libros atque codices mihi compararem, ea minime spem meam fefellit. Neminem adii, ac de col-loquio appellaui, quin comiter me accipe-ret, et doctrinae subsidia prompte, libente-que communicaret, nisi quod Hanisius in-compositi moris exemplum mihi praebuit, cum forte in manu exaratos Bardeuici an

nales inciderem, eosque curſim, ac, velut aliud agerem, inſpicere coepiſſem. Poſtea abeuntem rogabat, vt apud Anglos de bibliotheca magnifice dicerem, quaſi eum iam omiſſae humanitatis poeniteret. Verum, cum Angli de ea mecum ſermonem haberent, non potui non fateri, copia MSS. et bonitate codicum Vaticanae, Parienſi, Monachienſi, Auguſtanae cedere, reperiri tamen in ea varia et antiqua, quae permultum conferant ad hiſtoriam Germanicam, inprimis Saxonicam et Guelficam locupletandam. Lambecii, qui deſperanti ſimilis obiit, mortem fere omnes dolore proſequebantur. Iſaacum Voſſium, V. C. et Friſia gloria dignum memoremque aeſtimatorem, Vindſorii reperi, qui Illuſtriſſimi Fratris Henrici, iam coelo recepti, obitum grauiter ferebat, atque, in eo maximum patriae Senatorem cecidiſſe, vix ſine lacrimis affirmabat, meque vel eius, vel tua cauſa, beneuole admittebat, et prope quinque horas mecum diſſerebat de ſtudiis linguae Latinae et Graecae, ac omnium elegantiorum litterarum, recte inſtituendis. Galliam, politi moris magiſtram, et belli Europae eruditricem, talem inueni et vidi, vt iudicare potuerim, ſi Regis maximi res, quo coeperunt, curſu, procedant, longiuſque producantur et creſcant, Germaniae ſalu-

tem fore desperatam, quando Austriae pariter conuersionem, et Imperii finem, quod detestamur, exspectat. Illud vero foedum omem DEus in hostes vertat, Germaniamque respiciat, et Saxoniam, cuius permagna apud eos designatio est, iuxta cum tua Illustrissima gente, quae nullam conficiendae salutaris rei occasionem praetermisit, benigne atque constanter seruet ac defendat. Vitemb. apud Saxones, XIV. Calendas Iunias, A. clↃ IↃCXXCI.

Ludolphus per me interpretem tibi, Domine, offert donoque dat Historiam Habessinam. Ego illustrissimae filiae mitto leue ac per incuriam in itinere mutilatum, *Ville dieu*, idque Gallico nitore confectum opusculum, ac extremo Illustrissimae Henricae Catharinae patrocinio me permitto, tuisque auspiciis dotes ipsius, exterorum sermone celebratas, reuerenter colo admirorque, sed in primis, thermas felices fortunatasque esse vobis omnibus, cupio, et diligenter precor.

LX.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,

IC. Dresdensi et Consiliario.

ETsi superiorum temporum fortuna me, studiorum causa absentem, vehementer perturbauit, tamen subinde collegi animum, cum

cum ex diuerſis litteris intelligerem, te bene valere, et ornare honeſtiſſimis laboribus eum locum, quem huc vſque ſemper magna cum laude tenuiſti, ac mihi, etiam apud exteros agenti, non iniquus fuiſti. Quibus rebus ſicut ad ſuperiora beneficia nouum, idque maximum, adiunxiſti, ita apud me repetitam obſequentiſſimi honoris neceſſitudinem obtinuiſti, vt vel tibi in primis laborum itinerumque meorum ratio debeat conſtare. Groninge neminem, praeter Oeſelium, reperi, cui noſtrae Muſae tam familiares eſſent, vt vel in aliquo loco haberentur. Franequerae Nicolaum Blancardum in arce Sicardaea ſalutaui, cuius doctrina permultum mihi profuit, et in edendo Thucydide, prudentiſſimo totius Graecie ſcriptore, operam mea ſententia laudabilem collocauit. Vir eſt profecto Graece doctiſſimus et in omni ſermone affabilis, nec reipublicae prorſus ignarus, propterea, quod Henrico Caſimiro, Principi Naſſouio, in capiendo literarum cultu plurimum attulit, atque ad capeſſendam rempublicam publica ſenatus voce excitauit, ſed, more gentis, Auriaco infenſior, quod ille populus quoque in laude ſua ponit, et libertatem interpretatur. Lugduni Batauorum iuniorem Gronouium, Patre, Ioanne Friderico, doctrina haud imparem

filium adii, quem, ex Italia redeuntem, pr[illegible]
fecutus fuerat vsque in Batauos Antoni[illegible]
Magliabechius, Vir nostra memoria di[illegible]
gens, et perquam curiosus. Traiectu[illegible]
quod ad Rhenum est, transeunti festina[illegible]
tempus salutandi Graeuii eripuit mi[illegible]
Cum enim de magno Regis *Christiani[illegible]*
itinere in Belgium audirem, comparati[illegible]
lico sarcinis, Valencenas proficisci apud[illegible]
statui, vt viderem Principem Europae [illegible]
ximum, in quem totus prope orbis [illegible]
intuetur. Nec me spes fefellit, et occa[illegible]
nem sic coepi totius Belgii Foederati pa[illegible]
ter, et Hispanici Gallicique accurate p[illegible]
quirendi. Magno enim desiderio tene[illegible]
propius inspiciendi locum, vbi quon[illegible]
Childericus, Francorum Rex, conditu[illegible]
isset, cuius ornamenta sepulcralia, [illegible]
ferro et balteo, Lutetiam post transp[illegible]
sunt, quam Tornaci reperta fuerunt [illegible]
donoque Leopoldi, *Archiducis*, [illegible]
Gallico cesserunt. Louanii rude [illegible]
Doctores magno numero inueni, litte[illegible]
fere neminem, etiam, qui hoc nomine [illegible]
rietur. Leodii aduocatos plerosque [illegible]
ctrina et vsu egregios, pariterque in [illegible]
quitate versatissimos, et inter eos To[illegible]
praestantissimum, totiusque Belgici [illegible]
moris gnarissimum, sum allocutus. [illegible]
Gandaui cum Patribus non leuiter [illegible]

tis ſermones habui, qui vetera iuxta, et recentia, multum et diligenter explicarunt. Cetera proxima epiſtola, et ſic deinceps, perſcribam. Nunc cum nobiliſſima familia ſaluere te reuerenter volo et cupio, qui, donec viuam, tuarum in omni genere laudum ero praedicator, et cliens. De Linkio nil defugiam, quicquid praecipere voles. Adriani Valeſii opera, et Emerici Bigotii fragmenta, aliaque attuli, de quibus in poſterum plura. XII. Cal. Iun A cIↄ IↄCXXCI.

LXI.
ANDREAE SCHVLZIO,
IC. Hamburgenſi.

CUm itinere confecto meam tibi probare volo obſeruantiam, tum beneficii tui, in me collati, tempeſtiue recordor, et non habendae modo, ſed etiam referendae, gratiae occaſionem diligenter ſane, pro eo, ac par eſt, quaero. Vnum vero doleo in primis, et grauiter fero, quod ſentio, ſatis vrgeri Auſtriam, in cuius ſalute vſque huc multum Germaniae poſitum fuit. Nihil enim tam ſanctum abditumque eſt, quod non reſciuerit Gallia, quae nihil iam modicum cupit, atque ex fortuna temporum conſilia ſumit, et callide metitur. Praeterquam enim, quod pax Nouiomagenſis vel pactio ſeruitutis, facta eſt, etiam frigide et

te nimis omnia nostra conficiuntur. C[illegible]
do ego, his rebus fore, vt deinceps in [illegible]
uersa et deteriora eamus, et rempubl[illegible]
superiori et arcta officiorum necessitud[illegible]
coniunctam posthac in partes et studi[illegible]
uisam, prorsusque talem, habeamus, vt [illegible]
quisque rationibus separatis, res suas ad[illegible]
nistret, qualis ante Carolum M. Germa[illegible]
status fuit, ac etiamnum cernitur apud [illegible]
los, ac foedere iniquio, quod inaequale [illegible]
cant, haud inani opera studioque, con[illegible]
uatur. Proludunt huic conuersioni mo[illegible]
nostri, et scriptores quoque noui spec[illegible]
applaudunt, ac heris suis, quorum causa [illegible]
tur, belle blandiuntur. Patres autem, [illegible]
a Seruatore Iesu nomen sibi adsciuerun[illegible]
gnauiter Gallici dominatus negotium [illegible]
ctant, vt sensim prouehant in maius et [illegible]
ant, Austriamque, pietate sua securam [illegible]
fre recipiant, omniaque eius consilia [illegible]
lis enuncient, vt hoc tam formidab[illegible]
praepotente adiutore vtantur, ad op[illegible]
dos, quos vocant, *Protestantes*. O[illegible]
autem fateri necesse habeo, multos in [illegible]
lia reipublicae gnaros expertosque [illegible]
nes me inuenisse, praesertim ho[illegible]
quem proferendi regni cupiditas [illegible]
quemque fortuna in maximis cona[illegible]
raro et memorabili exemplo adiuua[illegible]
to huic fastigio impositus videatur. [illegible]

ſic muniuit, vt aditum exitumque liberum habeat, contra nobis itinera praepedita ſint et clauſa. Quo fiet in poſterum, vt bellum pro libitu in patriae viſcera transferat, et vires noſtras prius conficiat, quam armis experiamur. Ita, cum rem ſpemque periiſſe vident Hiſpani, expilant ſui iuris Belgas, atque hoc tam ſtrenue agunt, vt nullum peſſimi inſtituti modum teneant, ac fortunis clam palamue inſidientur. Parum abeſt, quin Antuerpiam in Antuerpia requiramus, quam vexant inſigniter Hiſpanici quaeſtores, et prorſus exhauriunt, daturi tandem Gallis in praedam, ſi res conclamatae fuerint, vt deinceps ſeruari non poſſit ille vrbium ocellus, vnde commercia veluti per coloniam ad vos migrarunt. Anglia, quae Europae rationibus melius conſulere debuit, operam perdidit ſane, et perdet in poſterum magis, et ſibi ipſi exitii cauſa erit. De Vngaria opinor, ſi vel maxime vulnera ſanentur, cicatrices nihilominus eſſe manſuras. Tranſyluaniae res et motus, auctore Beledi coeptos, explicabit Gabriel Ritterus, Tranſyluanus, qui ad Batauos excurret, vt videat mores et inſtituta externae gentis. *Numophylacii Luderiani* exemplum petit Excellentiſſimus Gersdorfius, praecipuus in ſanctiori conſilio Senator, cui Torgauiae per hebdomadam adfui, ſi quidem id idonea

occaſione transmitti poſſet. Eundem Luderum et Vagelium ſalute, quaeſo, impertiaris. Daſſouius noſter, valetudinis cauſa, ad thermas Carolinas in Boiemiam diſceſſit. Orthii lis, quem exitum habitura ſit, animi pendeo, quamuis ille, vt ſolet, ſpe ſe conſolatur, moeſtitiamque vino mitigat ac lenit, vir profecto optimus, ſed meliori fortuna dignus. Viros in antiquitate et elegantiori litteratura maximos reperi, Iſ. Voſſium Vindſorii, et, qui tunc Pariſiis agebat, Emericum Bigotium, quo nemo priuatus in Gallia vel meliorem, vel ampliorem bibliothecam habet. Henricus Valeſius, Vir ſine controuerſia maximus, iam ante aditum meum e vita diſceſſerat. Quod ſupereſt, voueo, vt cum Magnifico fratre Conſule, et filio haud vulgaris exſpectationis, diu floreas et ſuperſis, meque veteri amore complectaris, cuius profecto inſigne documentum abs te datum mihi fuit, cum Hamburgi eſſem, vbi cum prolixe me accepiſti, tum omni comitatis officiique genere proſecutus es, liberaliterque ornaſti, et perpetuum adeo grati animi monimentum apud me reliquiſti, praeſertim, cum tot elegantibus et feſtiuis ſermonibus epulas condires, vt vel iucundiſſima eius conuictus recordatio mihi eſſe debeat, quoad viuam. Vale. Cal. Iun. A. clɔ Iɔ CXXCI.

LXII.

LXII.
CHRISTIANO SIGISMVNDO VVOLFIO,
Doctori Theologo.

PAucis abhinc diebus ex Anglia Galliaque redux literas tuas gaudii plenas reperi, illud vero prorſus atque omnino doleo, occaſionem gratulandi per itineris occupationes mihi ereptam fuiſſe. Adhuc te nihilominus diligo, et merita dotesque tuas veneror et colo, tum quoque, pro mea in te voluntate, cupio, atque in ſpem venio, fore, vt ſummis illis honoribus, quam diutiſſime fruaris, ac de re in primis ſacra ſumma et ſempiterna cum laude merearis. Eget enim Viris doctrina et vſu praeditis Dei coetus, in quorum prudentiam et mores vel maxime omnes intuentur, et inde exempla petunt, vnde caritas amorque promulgantur. Nam, qui doceat tantum nec frugi ſit, vitamque emendet, is parum merebitur de regno Chriſti, nec proteret hoſtes, qui inſidiantur animae, ſed alliciet magis ac fouebit. Proinde in eo genere opera tua permagna eſt, quod faciendo doces, quae alii docendo non faciunt, et rectiſsimis ſane exemplis muneris tui dignitatem ornas, vt non aliter ſumma tua eruditio, ac gemma quaedam in annulo, exſplendeſcat in opere et illuſtre-

tur in dies, ac rebus factisque declaretur. Quem laborem tuum ne ſinat Deus eſſe inanem ac irritum, ſed fortunet omnia, quae agis, vt nihil aggrediaris, quin feliciter atque ex vſu rei ſacrae perficias et abſoluas. Ita voueo, vt bene valeas, et patrocinio tuo me deinceps ornes, qui cupio omnia tibi bene euenire. Vitemb. Saxonum Cal. Iun. A. clↄ IↄCXXCI.

LXIII.
RVDOLPHO CAPELLO,
Doct. Theol. et Hiſtor. P. P.

NOndum mihi ex animo excidit comitas illa tua haud vulgaris, et cum primis honorifica, quam mihi, ad inuiſendum venienti, prolixe libenterque exhibuiſti, et vel hoc ipſo etiam cumulum quendam ad ſuperiora officia accedere voluiſti, quod me, tua commendatione ornatum, ad venerandum Schelhammerum vsque in Batauos beneuole ac liberaliter dimiſiſti. Is enim prout ſenſus atque cogitationes eius intelligere potui, te valde diligit, gratumque ſibi accidere iudicat nuncium, qui de bello ac florenti rerum tuarum ſtatu perfertur. Prudentiam eius viri cum ſenii veneratione coniunctam, et ſententiam quoque, ac inſigne de rebus ſacris iudicium, non facile obliuiſcar. Nam, quae vellem, accurate

te mihi enarrauit omnia, et caussas rationesque superiorum temporum pulchre aperuit, vt nihil non illi debere velim, si occasio sic ferat, vt de eo bene mereri possim. De Numophylacio tuo ago habeoque gratias, petoque, vt Illustrissimo Gersdorfio, exemplum eius habere cupienti, ne refrageris. Scripsi eandem ob causam consultissimo Andreae Schulzio, qui Luderum habet familiarem, et honori commodisque eius vna tecum fauet. Da hoc mihi, propter patronum maximum, qui praecipuus in sanctiore consilio Senator est, et de vniuersa Saxonia optime meretur, et studia conatusque nostros insigniter adiuuat ac tuetur. Alioqui nolim te celare, magnam numorum in Gallia esse copiam, pluresque ibi reperiri, qui in eruendis explicandisque operam insumant, quam apud Anglos et Belgas, nec paucos mecum attuli, et plerosque etiam Graecos nactus sum, et in spem venio, fore, vt insignes aliquot medii aeui Imperatorum numos accipiam, qui siue lucem aliquam, siue ornamentum, ad res Germanicas adferent, vt vel sic quoque Gallorum ambitioni, dubium, an curiositati, satisfaciamus. Illud etiam te rogo magnopere, vt bibliopolam Schulzium, cuius praenomen non succurrit, conciliare mihi ne graueris, a quo libros Anglicos, praesertim Zosimum editiones Anglicae, et

Schmidium de ſtatu Graeciae, aliosque codices, redimere ſtatutum habeo, ſi eo more agere et paciſci mecum velit, quo egit pactusque eſt antehac cum Schneidero et Greenio. Pecuniam per mercatorem huius loci repraeſentandam curabo, nihil dubitans, quin aequum iuſtumque pretium ſemper conſtituat, et Lambecii Syntagma rerum Germanicarum transmittat, cuius et habendi, et legendi deſiderio me teneri, fateor, prorſusque amori tuo confido, vt tuae fidei haec committi cupiam, ſi non graue fuerit laborem hunc ſuſcipere, mea et litterarum cauſa. Iuuenis, qui hanc epiſtolam fert, Tranſyluanus eſt, ex quo de illius regionis ſtatu multa et obſeruatu digna cognoſcere queas. Hamburgo iter faciet ad Batauos, vbi ſi quid nomine tuo expediendum ſit inſtructus paratusque erit ad has partes, quas obſeruantia poſtulat, ſuſcipiendas. Vitemb. Saxonum, A. cIↃ IↃCXXCI. Non. Iun

LXIV.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dresd.

Amplius tibi inſigne obſeruantiae munus praeſtabo, et, quale deinceps iter fecerim, ſtrictim, ac prout id iucunditatem quandam habet, enarrabo. Cum Gandaui niti-

nitidam vrbem, et natalem Caroli V. locum, quem in arce ibidem, ruinas fere, nec sine omine, minante, inscriptio demonstrat, oculis collustrassem, Teneramundam adii, quam docte et eleganter descriptam reliquit Dauid Lindanus, et situm profecto vliginosum, ac praestanti aquarum claustro operibusque munitum oppidum, conspexi, quod priori in Belgium expeditioni destinabat Gallus, Antuerpiam occupaturus, si eo quidem potiri potuisset. Patres illic superstitiosos atque indoctos inueni, nec dignum iudicaui locum, vbi diu subsisterem, et tempus inutili fallerem sumtu. Igitur Antuerpiam, ocellum illum vrbium, sed commerciis prope vacuum, videre cupiebam, perque Scaldim inuectus, cum Anglis, religionis Romanae causa exsulibus, in conuictu eram. Mox in consuetudinem Patrum veni, et eorum in primis familiaritate delectatus sum, qui a Iesu societatis nomen sibi adsciuerunt, quorum bibliothecam, illustre fanum accurate vidi, postea ad castellum ab Albano structum accessi, quod laceri, nec adeo multi, milites cum praesidio firmabant, vallum circumuiui, et munitiones, operaque spectaui, quae haud aequanda duxerim arci Dunkerkanae, qua in toto Belgio firmiorem nullam potui obseruare. Res autem Hispanicae in dies labuntur, postquam mor-

bi

bi Austriae sic iam Gallis cogniti sunt, atque a Patribus Ignatianis vafro studio detecti, vt credam ibi in posterum omnia ad Regis Gallorum sententiam constitutum iri. Hinc Mechlinium, vbi magnus Regis *Catholici* Senatus est, secundo Scaldi peruectus. Iam prope meae profectionis Belgiae finem statueram, cum mox omnium Belgii regionum accurate videndarum cupido me incessebat. Forte enim in Patrem Brabantiae haud indoctum incidi, qui, ex me sciscitatus, quas vidissem in Belgio *Ecclesias*, responsum sane promptum tulit, cumque audiuisset, Vicognium non peruenisse, vbi Bullionius nunc Praesul est, ingenue dixit, Vicognium non vidisti, nihil vidisti. Itaque iter huc non inani labore direxi, et multas ibi antiquitates, structuram profecto admirabilem, contemplatus, non adspectu modo, sed doctissimis etiam sermonibus, animum, diuturna molestia fatigatum, refeci, mox ipsum, qui commodum eo venerat, Bullionium conspicatus sum, patres certe omni liberalitate et benignitate me complectebantur. Plura inposterum perscribam, tuaeque beneuolentiae res meas ultro libenterque permittam. Vale, summe Vir, cum amplissima familia atque necessitudinibus tuis. VI. Id. Iun. A. cIɔ Iɔ CXXCI.

LXV.

LXV.

ILLVSTRI CVIDAM VIRO.

Simul ac Vitembergam reuerti, omnem adhibui curam, vt intelligerem reque ipsa experirer, quantum filius iis in studiis, quae ex eius vsu esse possunt, et societati hominum vitaeque seruiunt, profecisset. Nec id moleste tulit, et vltro mandatis, quorum interpres atque internuncius eram, paruit, ac erectum se minimeque perturbatum ostendit, atque totum hoc Tibi institutum, Illustrissime Domine, reuerenter probauit. Illud vero non sine dolore suo mihi affirmauit, Misenae parum diligenter secum fuisse actum, vbi moderatores studiorum multa quidem ediscenda proposuerint, vsum autem atque exercitationem neglexerint, in quibus tamen omne stili fingendi momentum debuerint collocare. Nunc vero non posse, quin stomachetur, si illius temporis, inutiliter per sex annos collocati, in mentem sibi veniat, nec repugnare, quo minus omissa ferme studia repetat, tantum spem ad summa enitendi sibi ereptam, nunc reputare, Viro in republica versaturo, exquisitae eruditionis suppellectilem non ita esse necessariam, vt sine ea virtus in actu rerum et bello exsplendescere non possit. Interim pro viribus operam dare velle, vt pa-

paternae exspectationi satisfaciat, et palmam alibi quaerat et ferat. Huius rei non mediocre subsidium fore, si eo, quo coepit, more palaestram frequentaret, et corporis decorum animi componeret atque exerceret; ceterum ab inertia et turpitudine, ... tae, ac perdita luxuria, omnino se abhorre, tum nihil permittere sibi in volu... bus, et recta monentibus obtemperasse ... haec non leuitatis, sed valetudinis ... deambulare, atque in hoc etiam modum ... nere, vt temporis et impensae rationem ... beat, ac rebus suis male non vtatur. ... re et amplecti, quae se deceant, etsi in ... diorum cura non possit plane defigere ... mum, ne fatiscens fatigatusque depri... aliquando et succumbat. Petere de... vt iratus animus ille Tuus demulce... Facile vero perspexi, litteras proxim... eum vehementer perturbasse, et ... certe religionem animo per se ex... tulisse. Iam tum enim pleraque, ... displicere possunt, mutauit, et pro... bus confirmauit. Priuatim docen... diligentiam satis comprobauit, ... mine indignor, quod iis magistr... qui nihil operae ad sermonem La... pedite intelligendum, ... prompt... opus est, habend... magna et nul... excusatione ... abente culpa, ...

Nam, ſiue enarrandum, ſiue explanandum aliquid ſit, patrio dictionis genere vti neceſſe habeo, vt penitus, quae dico doceoue, aſſequatur. Error autem eſt maximus, cum quis inſtituitur ad memoriam excolendam, ſpreto imitandi et loquendi vſu, in quo inſignis ineſt vis ad ſtilum expoliendum, cum dicta praeceptaue ſterilia ſint, niſi exercitatione vigeant, atque cum exemplis coniungantur. Conatum tamen, quem adhuc prae ſe fert, iure probo, ac de ceteris eius actionibus bene ſpero, neque dubito, quin ſponte ſua generoſiſſima indoles excitet ſe atque erigat, et tot inclutorum ſane maiorum, in primisque tuis, Domine, veſtigiis inſiſtat, rectisque et inſignibus factis gloriam Illuſtriſſimae gentis alat digne, augeatque, id volo, pariterque ſubmiſſe voueo, qui pro Illuſtriſſimo tuo nomine Numen aeternum, qua decet pietate, deprecor, meque iure ac merito clientem profiteor. V. Idus Iunias, A. cIↃIↃ CXXCI.

LXVI.
NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

Libellus, quem Gallia quidam profugus et exſul ſcripſit, in vernaculum ſermonem conuerſus, et priusquam de argumento conſtaret, Lipſiae venditus, multas Gallorum artes aperit, quibus Auſtriam ſupe-

riori bello circumuenerunt. Auctorem capitis anquirit, *Christianissimus* Rex, dedique eum sibi postulat, aliorum criminum esse reum. Accepi Rebenacium comitem, ac diu legatione functum hoc egisse nuper, vt sibi traderetur in Galliam mittendus. Non schedas, quas etiamsi contumeliosas, ridet et aspernatur, sed scelus vlciscetur. Nam res transactas, licet cum vitio coniunctas, hodierno more non morantur Galli, et solertiam interpretantur. Futura tegunt, callideue dissimulant, moresque nostros et studia ac partes acriter disputantium inspiciunt, et quod dolendum est, decreta imperii, cum adhuc deliberatur, norunt. Principatum Bipontinum, qui lege beneficiaria spectat ad Sueonum Regem, Birckenfeldio attribuit, donoque dedit. Ille contra ius esse, opem a Caesare petit, quod an serio fiat, multi subdubitant, occasionem vero quaeri Caesaris nouo bello implicandi. Et fateor, hoc agunt plerique et student, vt domum Austriam, quam norunt posthac regnatricem, iure imperandi priuent. Rex Galliae sane omnes eius morbos peraccurate cognitos habet, pro libitu omnia facit et molitur, Ordini Equestri Alsatiae, omnibusque eius regionis incolis ius prouocationum iuridicarum in monte Bresaco constituit, Argentoratenses Professores ad tribunal ibi institutum

tum per litteras ac praecones citat, nec paucas Palatinatus praefecturas eodem loco habet, et contendit adhuc plures cis Rhenum tractus ad se pertinere. Interim Obrect tus prodromum historiae Alsaticae euulgauit alieno, opinor, tempore, nec alio euentu, quam vt Rex praepotens magis magisque irritetur. Anhaltinus Seruestanus ob Ieueram nouas cum Dano experitur difficultates. Vereor ad vltimum, ne Emdae negotium vicinis periculum, vrbi exitium acceleret. De Vngaria enim nihil addo, vbi consilia post res afferuntur, et vulnera aegre coeunt, cicatrices certe manent. Interim tua sanctissima consilia omnium sermone celebrata fortunet Deus immortalis. IV. Id. Iun. A. cIɔ Iɔ CXXCI.

De Historia Erfurtensi priuatim succisiuis horis laboro, eamque ad rem Nicolai Serarii res Moguntinas, quas Moguntiae reperire non potui, mihi comparaui: de summo Imperii iure pariter disquiram, et si quid dignum aspectu tuo, Domine, reperiam, obsequentissime indicabo. Generosissimus Kanizius, Brandeus Administer et Praefectus honorificum heri sui iudicium, de meritis tuis ingenue hic retulit, et multa alia praeclare dixit, Domine, quae nunc silenda sunt, vt alibi copiosius dicantur.

LXVII.
PATRONO CVIDAM.

NOn poſſum non tibi ſignificare meum ex Gallia reditum, et breuiter ſtrictimque aliquid de meo itinere commemorare. Eruditos equidem in Gallia florentes, ſed ita paucos reperi, vt facile mirarer, quid eſſet, quod tanta et tam ſubita rerum, ingeniorumque conuerſio extitiſſet. Petauios, Sirmondos, Sammarthanos, Puteanos, Valeſios nemo iam aequat, niſi quod Bigotius Rothomagi litteris pariter atque doctrinae ſubſidiis abundat, et vnus omnium, maxime in Graecis excellere mihi videtur. Auguſtinus Lubinus, ſacri ordinis Vir, et Regis *Chriſtianiſſimi* hiſtoriographus non obſcure affirmabat, Regem hoc tempore ſtipendia non doctis, ſed militibus dare. Nam ex quo Germania tot proditores habuit, Auſtriaque ipſa a ſacris emiſſariis circumuenta eſt, occaſione vtitur, parumque abeſt, quin occupandum Europae Imperium ſibi deſtinet, limitemque vltra Moſam et Rhenum proferat, quod in tot Germaniae diſſidiis, aemulationibusque haud quaquam difficile foret. De Magliabechio vellem me ſcribere poſſe litteras, qui te aeſtimat valde ac ſalutat. Ioſephus ſtudio nimis lento Oxonii accuratur, ſed vetus et mendoſa para-

phra-

phrasis retinetur, quod statim mihi displicuit, cum viderem. Auctor huius instituti fuit Bigotius, quem tamen posthac fere consilii poenituit, atque id vltro fassus est, cum conueniendi sui locum daret. In Anglia sane Isaacus Vossius prorsus mihi satisfecit in omni doctrinae genere, Vindsorii praesulem agit, et amplissima bibliotheca vtitur, selectissimos, eosque MSS. codices magno numero habet, et si de externa tessera loquendum est, inter *Hierarchicos* regis causam agentes non est postremus. Nunc tandem valere te volo, et cupio, rogoque, vt amplissimus D. Ferberus, et iunior etiam, qui hic mecum in conuictu fuit, reuerenter, officioseque salutetur. M. Iacobaeus migrauit in saeculum, et se ad aliud, quam coeperat, studium, mira sane propositi commutatione, vix autem te assentiente, applicauit. IV. Non. Iun. A. cIↃ IↃCXXCI.

LXIIX.
ALTERIVS NOMINE.

PRaeter opinionem meam accidit, quod cum proximo tempore litteras ad te destinarem, tabellarius praepropere abiret, occasionemque scribendi eriperet, ac spem meam omnino frustraretur. Nunc vero pietatis et officii filium decentis, memor, in recta sententia persisto, et pro captu studia

excolo, occupationesque superuacuas recido. Illud vero inprimis facio, vt pro recta valetudine tua, prosperaque rerum et consiliorum omnium fortuna, Deo vota nuncupem, ac sperem, tua ope et praesidio omnia mea incepta felicem exitum esse habitura. Quo nomine rationes vitae et studiorum bene diligenterque constituo, nullus dubitans, quin id mihi ex animi sententia succedat, ac me adeo huius instituti minime poenitere possit. In hac cogitatione defixus repeto votum, et omnia felicia ac fausta tibi saepe ac iterum precor. IV. Non. Iun. A. clↄ Iↄ CXXCI.

LXIX.
VIRO ILLVSTRI.

SVperiori tempore binas litteras ad te perscripsi, quae, non dubito, quin redditae fuerint, quarum alterae rationem instituti nostri aperuerunt. Ego partes meas ago diligenter, et priuatim moneo hortorque, si quid facto opus est, neque haec alieno animo accipit, facilemque se filius praebet. Scribenti epistolas omnino adiutor fui, quod haud feres grauiter, cum in eo multa filii vtilitas versetur, vt vim rationemque imitandi vsu magis expoliat, viresque ingenii deinceps experiatur. Hoc tempore Nepotem et Caesarem, scitissimae latinitatis scripto-

ſcriptores, legit, morum capita, et inſigniores imperiorum euentus a meridie audit. Bene ſpero, ſi occaſio ſodalitatum conſtanti ſententia praecidatur, ſub veſperam domo egredi, ac diutius abeſſe, quidam mihi affirmauit, quod vitari, cum honoris, tum ſecuritatis, quam nox euntibus ſaepe eripit, magnopere intereſt. Cum de his aliiſque rebus interrogarem, ſimulque ab incepto haud decoro ipſum dehortarer, pernegauit hoc abs ſe factum. Mea tamen ſententia, haud erit ſuperuacuum, ſi admonitionis tuae grauitas, Domine, accedat, indolemque, pro aetatis conditione variam nec ſatis firmam, ad recta, conſtanterque tenenda exempla conuertat, atque ſic in iis defigat, vt ea quodam gentilitio ſuo iure aequare videatur. Quod vt Deus euenire iubeat, mentemque eius in dies ad gloriae tuae, quae iam toto orbe effulget, aemulationem accendat; ac non mediocri hoc gaudio te familiamque tuam vniuerſam perfundat, opto. Vitemb. Saxonum, III. Eid. Iunias, A. cIↄ IↄCXXCI.

LXX.
PATRONO CVIDAM.

REflexo itinere, Bruxellas, magnificam palatiis vrbem, et ab incolis *Paradiſum Brabantiae* dictam, adii, atque inſigniores

vrbis regiones ac domos, in quibus p[illegible]
que illuſtrium familiarum origines [illegible]
erant, oculis vſurpaui, in primis Eg[illegible]
qui a Francorum regibus duxit genu[illegible]
caeſis ad fanum S. Quintini Gallis, [illegible]
rem Galliae terrorem, quam quisquam a[illegible]
noſtro aeuo intulit. Locus, vbi Alb[illegible]
eum capite mulctauit, etiamnum o[illegible]
tur, quo tempore non mitius cum [illegible]
no Comite actum fuit. Itaque Hi[illegible]
res tunc ſaeuitia, nunc perfidia adm[illegible]
rum, euertit. In aula, vbi pro duc[illegible]
bat Villa de Hermoſa, nihil ſplendid[illegible]
dum inſolens, videbam, pecuniae [illegible]
rendae vna cura erat, nec aliud qua[illegible]
relas et calamitates populi, audieba[illegible]
pauci de Auriaco, tanquam de pr[illegible]
Hiſpanorum, loquebantur. Iur[illegible]
qui in Curia Brabantina ibidem ex[illegible]
tur, erudite de variis rebus, ac in p[illegible]
iuriſdictionis finibus et beneficiis, [illegible]
dis, inde pendentibus, mecum di[illegible]
ac eo quidem tempore, cum VVa[illegible]
ob aliquot clientelas a Florentio C[illegible]
gico ad eum deuolutas, in ius vo[illegible]
Patres neque libenter [illegible] neq[illegible]
tum ſupra domeſtica et quotidiana [illegible]
bantur. Vltra igitur progredien[illegible]
eus, per Flandriam tendere ad mar[illegible]
iecto, quod inter Caletanam Doue[illegible]

que vrbes eſt, freto, magnam ſane operam adhibui, vt vetus illud Albion, quod alti colles modice aſſurgentes, paſſim circumdant et muniunt, contemplarer. Reputaui apud animum iter et Traiectum Caeſaris, qui primus Romanorum inhoſpitales Britannos adiit, poſteaquam ex portu Iccio apud Caletum ſoluerat. Cantuariae, cuius antiquitates nemo ex monimentis Parkero melius eruit, Romani moris veſtigia, haud profecto obſcura, deprehendi. *Archiepiſcopus*, idemque totius Angliae *Primas*, nunquam a Regis ſocietate diſcedit. Vir non eſt mediocri doctrina praeditus, et pleroſque inſignes ac veteres codices habet, in primis Herodoti luculentum, in quo antiquam, de regni Aſſyriorum diuturnitate, lectionem inueni. Attamen eam doctiſſimus Angliae Eques, Marshamus, multis, nec inanibus, mihique tantum non diſplicentibus, coniecturis emendauit. Quid vero deinceps Londini et Oxonii acceperim, viderim et legerim, proximae litterae ſignificabunt. Ego ſicut nunc ita in poſterum, vt bene conſtanterque valeas, iuxtaque cum nobiliſſima familia floreas, omni ſtudio et pietate, precibus votisque a Deo contendam. IV. Eid. Iunias, A. cIɔ Iɔ CXXCI.

LXXI.

CHRISTIANO SIGISMVNDO VVOLFFIO.

Doctori Theologo.

MVltum fiduciae mihi facit beneuolentia tua, quae cum mihi nota satis et explorata sit, tum magnopere rogo, vt Zimmermanno eam ne deneges. Homo probus est, et in pio honestoque genere vitae versatur, quem iure huc vsque et complector, nec dubito, quin eius honori fauere velis Hic aliquandiu in conuictu Calouii fuit, ac aetate optime vsus est, et litteris pariter, ac bonis moribus, omnes nostri ordinis homines sibi conciliauit. Iter ad Batauos destinat, de quo si vel consilio bene merearis, omnem, crede, gratiae referendae occasionem quaeret XIV. Calend. Quinctil. A. clↄ Iↄ CLXXXI.

LXXII.

IOANNI SCHELHAMMERO,

Theol. Hagae Comitum Augustano.

MVltae et satis graues mihi causae sunt, cur mei officii ratio constare tibi debeat. Nam vel hoc vno beneuolentiae argumento me tibi deuinxisti, quod de statu Belgii Foederati, rebusque sacris, praeclare me commonuisti, et, quibus modis agantur omnia et fiant, vltro edisseruisti. Calouius

Iouius noſter multum te amat, cui pluribus enarraui, quae abs te accepi. Neque eo ſecius excellentiſſimus ſenator Gersdorfius placere ſibi oſtendebat, quae, abs te communicata, eandem in ſententiam dixi Noſtrae res impenſe iam florent, et ſummo conſilio omnia aguntur, vt vires ac neruos habeant et ad omnem fortunam parati, inſtructique ſimus. Vnum te rogo quaeſoque, vt Zimmermanno religionem noſtram amplexo faueas, et in conſtituendis fortunae rationibus operam, conſiliumque praebeas. Ita te Deus, cum optima coniuge, patriamque ſeruet, vt res ſacra et profana ſimul incrementum capere queat. XIV. Cal. Quinctil. A. cIↄ Iↄ CXXCI.

LXXIII.
NOMINE ALTERIVS.

QVam a me requiris diligentiam vitaeque cultum, ſtudebo, vt exemplo et vſu probare poſſim. Ac quidem domi aſſidue me continebo, vt conſulam ſaluti meae, quam nox eripere permultis ſolet. Pericula, quae in Nepotis et Caeſaris imitatione ſubinde facio, teſtari poſſunt, me tempus bene collocare. Rationes nondum perfecit ephorus, et moram nonnullam concedi ſibi eam ad rem, petit. Quod reliquum eſt, id unice ſpe-

ſpectabo et agam, quod tuae ac matris litterae volunt ac iubent, Deumque venerabor, vt te perpetuo ſeruet reipublicae, et mihi in primis ac familiae vniuerſae. VII. Cal. Quinct. A. cIↃ IↃ CXXCI.

LXXIV.
SACERDOTI CVIDAM.

VIx dubito, quin tibi diſpliceat mea tarditas, ac prope accuſo negligentiam ſuperioris temporis, quod, dum ſaepe multumque ſcribere cogitaui, ſero tamen id tandem perfeci conſilium, vt vel qualitercunque de vitae meae rationibus conſtare poſſet. Tranſii varia ac diuerſa regna, viroſque eruditos paſſim ſalutaui, paucos autem reperi, qui ſatiſfacerent exſpectationi meae, iamque ſenſim apud Batauos exoleſcit priſtina laus ac deficit, ſplendorque doctrinae nimia quaeſtus cupiditate tantum non obſcuratur. Apud Anglos mea opinione litterae Graecae magis florent, et plura rei litterariae ſubſidia ſunt, niſi quod turbida gentis ingenia, optimos conatus interdum remorantur. Vereor, quorſum euadat Anglica res, quae nunquam peiori loco fuit, ac noſtra quidem memoria eſſe coepit. Rex omnem in moderanda Galli potentia operam perdidit, quum Fratri Iacobo nimium, nec ſine periculo ſuo, indulget. Interim ma-

magnum *Europae Christianae* imperium molitur Ludouicus, cum, senescentibus Germaniae rebus, Austria suis vrgetur fatis, et Hispania vix ipsa se seruare potest. Omnes patriae morbos iam cognitos habet, quod pluris est, quam si iusta acie Germanos vicisset. Nihil, praeter Dei vltionem, ad frangendam eius regis potentiam reliquum est, quod iam patres Loiolitae in votis habent, cupiuntque Regem, qui sacra et libertatem, multo sanguine a maioribus partam, eripere nobis queat. Ita sortem nostram, futurorum incerti, exspectamus Germani, qui antehac non Galliae modo, sed orbi etiam, dare poteramus leges. De cetero pacti inter nos conuenti fidem, ea qua decet ratione, seruabo, nihilque defugiam, quod eiusmodi sit, vt vel ad merita tua recte aestimanda, vel ad laudes digne ornandas, referatur. VI. Cal. Quinct. A. cIↄ Iↄ CXXCI.

LXXV.

NICOLAO L. B. A GERSDORF.

IVs natu maximorum, quod *primogeniturae* nominant in *Electoratibus*, qui iure saeculi continentur, fundatum sane firmatumque est, nec solum Caroli IV sanctione, quam Aurea Bullae nomine celebrauit, sed etiam VVenceslai ac Sigismundi tabulis, egregie roboratur, illud autem ad ceteros sae-

saeculi Principatus porrigere vix liceat eo quod Carolina constitutio stricti iuris sit, solosque *Electores*, et eorum iura ac succedendi rationes complectatur. Ex quo sequitur, vt Br. - - Hassorumque *Primogenitura* aliunde praesidium petat, quippe quae hanc ob causam in pacis VVestphaliae tabulas relata est satis vtiliter et circumspecte. Haud vero impedit, quin rationis *paritate* vtamur, et more instituteque iuridico has omnino partes agamus. Nam nostras ille Saxonicus *Electoratus*, postquam in gentis Saxo-VVettinensis patrimonium addictus est, robur pristinum, quod, deminutis Ascaniorum rebus, amiserat, ex instituto Imp. Sigismundi recipere debuit, vt non minus Imperii quam Boiemiae, firmamentum esset. Ex hoc fonte pactum *vnionis*, quod inter Reges Boiemiae et *Electores* Saxoniae est, quodque ad mutuam defensionem spectat, dimanauit Cumque ita ad suscipiendum Saxoniae *Electoratum* circumspiceretur idoneus et habilis Princeps, nemo vel situ commodior, vel viribus instructior, occurrebat, quam *Marchio* Misniae Fridericus, quem cognomine bellicosi posteritas insigniuit. Itaque, cum *Electoratum* conferret in tam inclutam et praepotentem in limite Boiemiae stirpem, pro fundamento etiam non leui habuit coniunctionem potentiae, quam augeri, vel stabiliri, expediat, vt dignitas Impe-

perii et robur, in *Electoribus*, tanquam columnis, innitantur. Ea vero ratione noluit, vt *lineae regentes* multiplicarentur, viresque adeo frequenti diuisione exhaurirentur. Sed, quia hoc longius petitum videri poteſt, Domine, certe argumentum magis validum, ad aſſerendum *primogeniturae* ius, a continuata inde ab Alberto Animoſo ſucceſſione repetamus. Namque is voluit, ac ſupremis tabulis cauit, vt in propagine atque *linea* ſua *regenti*, ius penes vnum, eumque *primogenitum*, aut, ſi hic naturae vitio ad regendum prorſus inutilis foret, penes fratrem aetate proximum eſſet, atque haec ratio ſuccedendi deinceps ſeruaretur. Extincto cum heredibus Georgio, vſu euenit, et ab Henrici filiis pariter approbatum eſt, valuitque hoc ſuccedendi ius ex capite *primogeniturae* ſemper, in iure primi inſtituentis nondum valere deſiit, cum diuiſio alienationi ſimilis ſit, quam omnino praecauere voluit Albertus, vt *lineae* ſuae, cui ſuperior tranſactio cum Erneſto fraudi fuerat, in tempore conſuleret, viresque adeo prouinciarum florentes, et coniunctae permanerent, nec vlla poſthac noua diuiſione minuerentur. Haec ratio induxit Albertum, omnesque eius poſteros, vt hereditatem *primogenitus* quisque indiuiduo iure cerneret ac retineret.

ret, nec ambigi debet, quin, contemplatione huius *primogeniturae* conſtanter ſeruatae, Diuus Ioannes Georgius I. ius pacis et belli, id eſt, poteſtatem iure *ſuprematus* competentem, Ioanni Georgio II. veluti *primogenito* et *Electoratus* heredi, reſeruarit. Quod enim iure tranſferre non potuit, iure *primogeniturae* relinquere debuit, adeo, vt in eius poteſtate non fuerit mutare vel alienare hanc *ſuprematus* praerogatiuam. Quae ratio pro *ſuprematu*, eadem pro iure indiuiſo ex primogenitura competente valet. Tu vero, Domine, tanquam ab oraculo ſumſiſti haec, tamque euidenter demonſtraſti, vt ineptire et caecutire videar, ſi vel verbum addam. Cal. Quinct. A. clɔ Iɔ CXXCI.

LXXVI.

IO. GEORGIO GRAEVIO.

TEndenti ad vos Mayero, bibliopolae, non potui non litteras ad te dare, qui vir apud nos inter praecipuos eſt, et exteros libros ſummo ſtudio colligit, et perquirit, tuamque operam et auctoritatem eam quoque ad rem ſibi pollicetur. Ex inſtanti auctione Elzeuiriana peto magnopere, vt quidam libri, quorum adfert indicem, mihi ſeponantur, et codices in primis Graeci, quorum apud nos ſane inopia eſt, maio-

maiori cura perferantur, quin et te, pro eo, ac par eſt, rogo, vt, ſi quid abs te editum eſt, id eo auctore mittas in noſtras oras, quae abſenti permultum quoque debent. Proxime fui Torgauiae, et Excellentiſſimum Gerſdorfium inuiſi, qui multos et honorificos de te ſermones habuit, iuſſitque, vt quamprimum te ſalutarem. Neque eo ſecius Zieglerus, ſecundum viduus, cuius conuictu et conſuetudine iucundiſſima vtor, cuius et liber de Imperii ciuilis, quod maieſtatis vocant, iuribus, non ita pridem eſt emiſſus, in quo magno poſt ſe interuallo reliquit vulgares iuridicos viros, qui profecto Iureconſultorum nomen nullo ſuo merito ſibi ſumunt. De reliquo veniam dabis ſuperioris anni feſtinationi, cum Belgium veſtrum tranſirem, et tui alloquendi occaſionem enixe quaererem, ſed, neſcio quo vrgente iniquo fato, non obtinerem. Interim, ſi ita tibi placet, litterae inter nos commeabunt, vt vel eo nomine intelligas, me cum officii, tum obſeruantiae, tibi multis modis teſtandae, longe cupidiſſimum eſſe. Peto enixe, ſi occaſio detur, litteras has vt ne graueris Antuerpiam curare, vnde perferantur in Italiam, noſtroque amico, Magliabechio, reddantur. Eid. Quinctil. A. cIↄ Iↄ CXXCI.

LXXVII.

ANTONIO MAGLIABECHIO.

Magni Etruriae Ducis Conſiliario, et Bibliothecae Praefecto.

LItterae tuae multo ſuauiſſimae recte mihi redditae ſunt, nec verbis exprimere poſſum illud gaudium, quod illae admirabiles tuae elegantiae, et, ſi proprio nomine appello, Gratiae Italicae, attulerunt. Sine fuco loquor, et ſcribo, et Aſſyrio-Chaldaeorum primordia mitto, quin immo cenſurae tuae ſubmitto, vt intelligas, quanti a me fiat, quod abs te ſcribitur et iudicatur. Superiore anno, cum peragraſſem feſtinanter Belgium, libroſque perquirerem ignoratus, crebra et honorifica ſaepe tui mentio facta eſt; et his rebus veluti quidam cumulus ad alias easque magnas laudes acceſſit. Redux ſtatim veni Torgauiam, ab Excellentiſſimo Gerſdorfio, qui in ſenatu ſanctiore princeps eſt, accitus, benigneque habitus, qui inter conuictum et frequenter, et praeclare de ſumma induſtria tua memorauit, mox Kenizius, qui Sereniſſimo *Electori* Brandenburgico a ſeruitiis eſt, me accerſendum curauit, ac incredibilem doctrinam ſolertiamque mirifice commendauit. Vir eſt antiquae gentis, et imaginibus maiorum, ſuisque meritis pariter, fulget. Ita conſpiramus in

tuas

tuam laudem Germani, et gratulamur concordiam, et praedicamus benignam illam sortem qua nobiscum communicas, quae decora ingenia meditantur ac edunt. Si qua est occcasio, Bibliothecam Volantem Cinelli, quaeso, ad me cures. Nos alioquin hic, procul morbis pestilentibus et contagiosis, belle habemus, et floremus. Prid. Eid. Quinct. A. cIↃ IↃ CXXCI.

LXXVIII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dresd.

VEniam superiori negligentiae dabis, atque de Anglia cognosces, multa et decora ibi esse ingenia, quae, si melior fortuna e tumultu et bello ciuili eripiat, maximum et sibi et litteris ornamentum afferant, et Graeca cum primis studia illustrent. Londini crebro cum Thoma Galeo, Paulinae Scholae moderatore, collocutus sum, qui pleraque Photii, nec dum edita, monimenta possidet, et *Archiepiscopi* Londinensis familiaritate intima vtitur, et subsidiis praecipue MSS. abundat. Huius doctrinae fundamenta iecit Cantabrigiae, et Bosbeii ac Duporti sedulus auditor fuit, tantamque deinceps laudem sibi comparauit, vt suffragiis popularium Graece doctissimus habeatur. Nec puto, nostra memoria quenquam fore,

qui Hesychium aeque castigare ac restituere nobis possit, ac Galeus, quem nullae difficultates impediunt, quo minus hoc digne et feliciter assequatur. Decoxit enim spei Schreuelius, et promissa non perfecit, Suicerus autem iam diu hoc pollicitus est quod anxie satis exspectamus. Vtinam vero Lexicon Photii MS. emitteret, quod habet, et multas Patrum orationes, quas in scriniis asseruat, iuxta cum poetarum monimentis, quae lucem nondum viderunt. Nunc in Iamblicho industriam atque studium ponit, cuius omnia, quae inueniri possunt, conquisiuit, ac nihil solertiae, eo quidem in doctrinae genere, omisit. Medicos et Mathematicos, Londini florentes, non enarrabo, quorum magnus ibi numerus, et diligentia singularis est, qui omni honore me ornarunt. Oxonii Bernardum salutaui, qui in edendo Iosepho multus est, et Samuelis Petiti ἀνέκδοτα nactus est, ac varia Bosii eam ad rem adhibet, quamuis tanto par operi vix mihi videatur. Nam, quod tibi scribo, non respondet ingenio, nec opes copiasque tantas, quae instituto sufficiant, comparauit Emericus Bigotius, Vir in Gallia doctissimus, ipsi auctor fuit, ad laborem hunc suscipiendum, sed, quod ipse vix aegreque diffiteri poterat, iam minus de eo sperat, me tamen omnibus modis dilexit, et prosecutus saepe euntem est, saepeque me

me in tali opere adiutorem optauit; ratus, me in nulla ſtatione eſſe collocatum, quando ignoratus explorare doctorum virorum ſententias volebam. Io. Fellus, *Epiſcopus* Oxonienſis, Cyprianum magna cum cura emendat, quem breui, opinor, litterati adſpicient, et auctoris operam, impenſamque, pro eo, ac decet, collaudabunt. Eid. Quinct. A. cIↄ Iↄ CXXI.

LXXIX.

NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

INtereſt reipublicae, et antiqui iuris eſt, vt non modo principatus non diuidantur, ſed ne bona quidem et poſſeſſiones ſeparentur, vt cum ſaluti imperiorum, tum familiarum dignitati conſulatur. Hinc diuiſio res Francorum veterum euertit, et Hugonem deinceps Capetum admonuit, vt afflictae ſuperiorum temporum fortunae remedium prudenter adhiberet, regnumque diuiſum adhuc et collapſum vniret, quod regno bene vertit, nec mediocriter potentiam firmauit, atque in tantum faſtigium prouexit, vt regnorum, quotquot in Chriſtiano orbe ſunt, iure ſuo florentiſſimum habeatur. Neque dubito, quin Carolus M. ad generale orbis Chriſtiani imperium, quod in ſcholis atque vſu rerum *Monarchia Vniuerſalis* dicitur, contendere potuiſſet, ſi, pro

eo, ac decebat, cautior fuisset, et intempestiua diuisione abstinuisset. Non meliori fortuna vtebantur Merouei regis posteri et successores, propterea, quod regni diuisionem, qua regni robur confectum est, non euitarunt, neque gloriae suae, nec vtilitati publicae seruierunt, cum, quod coniunctum stare poterat, regnum, in partes tributum, amitteret vires, et vix nomen tueretur. Longum foret, reputare errores diuidentium, et adferre exempla, quae moneant, non floruisse, sed periisse respublicas, quae diuisionis instituto vterentur. Quamobrem Constantinus et Theodosius, Magni Imperatores, nulla re minus satisfecerunt sapientibus, et nulla re magis sibi ac Imperio fraudi fuerunt, quam, quod diuisionem approbarunt. Gentes populique Asiae sagaciores erant, et vel hac vna ratione regna sua, quam diutissime tuebantur, nec minus florebant Macedones, quoad ab vno regebantur. Prudenter Sueones regni bona et possessiones abalienatas repetunt, et Francorum siue legem, siue mores, legis vim habentes, imitantur, et prouentus emolumentaque regia eodem loco et numero, quo illi dominium habent. Est enim respublica pupilli instar, ac in omnibus damni accepti casibus restitutione indiget, ad eum fere aequitatis modum, qui iure praetorio con-

tin-

tinetur. Namque, ea redituum portio, quae *apanagium* nominatur, ius *proprietatis* et summam potestatem non transfert, atque adeo a diuisione rationes seiunctas habet, et regum, atque principum consuetudine et exemplo, vel in ipsa Gallia, vtilissime seruatur. Quicquid extra hanc aut vltra est, perniciem adfert, et imperiorum principatuumque saluti obest, nec in Germania contra primi instituentis voluntatem, contraque consuetudinem, recipi ac probari debet, praesertim, quum Fridericus III. Imp. alienationem pariter, atque diuisionem, principatuum beneficiariorum, prohibuit, quod more maiorum Saxones diligenter obseruarunt, nec alii, quam *primogenito*, successionem addixerunt, idque eo magis in propagine Alberti Animosi locum habet, quoniam hanc filiis successoribusque legem dixit, vt *primogenitus* ius successionis habeat, a quo instituto primi *lineae* conditoris recedere non licet. Etenim, quod suo iure fecit et sanxit Albertus, et diuturna consuetudine non aliter ac lege firmatum est, id nullus descendentium iure mutare potest, etsi forte persuasus mutare velit, propterea, quod facta non valent, vbi ius et primi instituentis sanctio aestimatur. Verum haec et tui arbitrii et iudicii sunt, Domine, in quo patriae et mihi omnia sita sunt, nec quic-

quam restat, quam vt pietati meae satisfaciam, et rem spemque tuam votis ac precibus Deo Immortali et Benignissimo, commendem, XVI. Cal. Sextil. A. cIↄIↄCXXCI.

LXXX.

PHILIPPO IACOBO SPENERO,

Doctori Theologo.

Citius equidem de statu meo perscribere debui, sed, quoties id sane volui, toties profecto consilii mei rationes mutatae sunt, nec potui resistere occupationibus, quae me ab incepto dimouerunt. Illustrissimus Gersdorfius honori tuo in primis fauet, et imperisse laudat volumen Insignium illustrium, nec quisquam in aula dissentit, praesertim quod iuris et vtilitatis Saxonicae rationes, magno cum nostratium applausu, confectas dedisti. Caloуius, pro ingenuo animo, bene tibi cupit, et gratiae referendae occasionem quaerit, cui de modo et ratione institutae abs te scholae pietatis multum diligenterque commemoraui. Nescio tamen quamobrem Scherzerus a te alienior sit. Siue enim ingenio suo indulget, siue, morum emendationem non arduam putet, non assequor tamen satis, quid ipsi eo in genere displicere possit. Vtinam plerique tui aduersarii legerent Chrysostomi *homilias*, quibus vitam moresque instituit, aliter opinorentur.

[illegible] saeculum est, reprimere co-
[illegible] optimos, more hominum, qui in mi-
[illegible] plusquam par est, furiosi, ac prope
[illegible] esse volunt, in magnis autem negli-
[illegible] sunt, nec prouident errores, nedum
[illegible] olent. Parum abest quin aliqui, pieta-
[illegible] dium superuacuum esse, censeant, rati,
[illegible] disputandi praesidiis muniri Theolo-
[illegible] Hinc vocabula captant, et aliorsum
[illegible] uertuntur, mox se in praelia accingunt,
[illegible] quam de bello consultant, discri-
[illegible] ubeunt, ac intempestiue tumultuan-
[illegible] dem pudet Calouius, vt Tunzelius le-
[illegible] Musaei locum surrogetur, contra illic
Theologi [illegible] untur, et, ex vsu suo esse pu-
[illegible] si quisquam Musaeo obnoxius succe-
[illegible] Interea Stengerus scriptum, conuiciis
[illegible] emisit, nec mediocriter Calouium
[illegible] strinxit et Hartnaccium. De altero ho-
[illegible] audiui, dixisse Pufendorfium, qui curiae
[illegible] ensis rationes moderatur, hominem
[illegible] esse iuuenem, quod, ambiguum est, de
[illegible] ate, an de iudicio, intellectum voluerit.
[illegible] zerus dedicationem continuati Mi-
[illegible] syntagmatis tam indigne tulit, vt
[illegible] conuicium illi dixerit, nec rescripse-
[illegible] Caussam non inuestigare potui, nisi
[illegible] Scherzerus non vult immisceri eius
[illegible] ersis, et de Ienensibus profecto be-
[illegible] sentit ac loquitur, et, quod maxi-

mum eſt, Calouio non vult poſtponi, minusque putat, nominari ſe Nazianzenum, quam Auguſtinum. Atque is tamen Budiſſinenſem in ſuperiori Luſatia praeſulatum nactus eſt, quod didicit inſeruire tempori, et,ſi opus eſt,cedere fortunae, aulicos et demereri. Quo nomine Fellerus ſingulari epiſtola, quam ad Calouium ſcripſit, conqueſtus eſt, vt iam intelligam, nos nihilo fieri meliores, et aemulationem contentionemque in conſuetudinem noſtram vertere,nec falli me, ſi credam, iſto temporum ſtatu domum certe ruinam minari. Aula in conſtituendas belli rationes incumbit, atque ea de cauſa a bibliothecis emendis alienior eſt, Illuſtriſſimusque Vir ille, quem tu noſti, etiam ab hoc inſtituto abhorret, quoniam filius animum ad belli artes conuertit, neque ex inſtituto litterarum ſtudia perſequetur. Hinc in aulam Brandenburgicam perſcripſi, placeretne conſilium, quod de Iungiana Bibliotheca propoſui ? ſed Kanizius, cum quo rem communicaui, nihildum reſpondit. Hoc circiter tempore Amſtelodami inſignis erit auctio, cuius exitum ſolicite exſpecto. Hiſtoria veſtratis Ludolphi a me curata eſt,quam ſanctiores Conſiliarii, praecipue illuſtriſſimus Carolus Friſius, et Nicolaus Gerſdorfius, ſumma laude ornarunt, ac ille etiam velut itineris comitem

ad

ad thermas vsque Carolinas secum sumsit, et, vt per internuncios accepi, familiariter legit saepeque in conuictu et sermone commendauit. Imagines, ab incluto viro promissas, quoque expetunt, atque omnem illi beneuolentiam promittunt, magnopereque confirmant. Non displiceret Proceribus, si morborum late grassantium periculum non obstaret, accessus Viri, de antiquitate Habessina immortaliter merentis. Contagio Oschazium miserum et finitimos pagos denuo infestauit, nec tamen meliores euadere solemus. Pauci nunc corrigi se sinunt, quibus poena imminens sensum rationemque eripit, nec studiosi nostri iuuenes, etiam, qui ad sacra se comparant, vitam in melius fingunt, plerique perpotant et rixantur, alii irritum ingenii acumen, paucissimi pietatem, exercent. Inter optimos et mihi amicissimos ad te venit Difenbachius, iuuenis probus, ac modestus pariter, et doctus, quem tibi, quo decet, modo diligenter commendo. Res Imperii quotidie magis ad perniciem inclinant. Domum Austriam fatalis sane casus, Germaniam nouum, idque terribilius, bellum exspectat. Hinc Galli, illinc Turcae, aquilas prement, ac depilabunt. Nobis vna in contemptu mundi fiducia superest, qui, omnia consilia conuerti in perniciem exitiumque, videamus. Ita te

Deus

Deus seruet, et ab omni temporum iniuria benigne ac constanter defendat. VI. Eid. Sextil. A. clɔ Iɔ CXXCI.

LXXXI.
AMICO CVIDAM.

REditum tuum laetus intelligo, et impense gratulor, ac voueo, vt fratri optimo eadem felicitas eueniat, et difficilis illa atque impedita iuris controuersia quidem bene ac optato finiatur. Nae Senatores illi praemiis se conduci patiuntur, et pollicendo faciunt, vt nihil perficiant, litesque aut non expediant, aut statum repente mutent ac impediant, si donis conciliantur. Cum adessem, facile olfeci omnia, et pleraque vidi haud optima, nec me isthaec opinio fefellit. Ipse tu experiris, promissa ipsorum specie, quam vsu, potiora esse. Iam simulant, iam tergiuersantur, quibus rebus permolestam moram cudunt, quam eo minus iniustam putant, quo vtilem censent. Vix Volterus, Calendariorum institor, venerat illuc et inuiserat, quum omnia bona consilia protinus conuertit. Nec pauci a parente tuo alieniores facti sunt, quod non eadem, aut non aequalia, dona acceperunt. Haec scena ibi instruitur, et auctore Stahlio adornatur, sicque, vt parens in senatu ne fiat nimis p...

tens, populique ſtudio ne extollatur. Itaque crede mihi, huius rei exitum tam eſſe ancipitem, quam tardum eius initium fuit, nec ſcio, an ſenatus veſtri auctoritate moueantur illi ipſi Patres, qui nihil poſthac poſſunt, quam premere magiſtratus vrbium. Potentiores non admodum teneri volunt, horumque plerique plane liberi ſunt atque immunes a ſententiis illorum hominum, atque adeo parum de commodis ipſorum laborant, quorum opera non vtuntur. Priuatos etiam deludunt, et, quem oſtentant promptum cupidumque iuuandi animum, contrario odio callide ſatis occultant, quod Rumſerus vſu et exemplo ſuo cognouit. Haec ſaeculi prudentia eſt, fallere incautos et iuuare eos, vnde vtilitas oſtenditur, a quo deprauato more longiſſime abſunt cordati homines, praeſertim amici ingenui, quales erimus, nec eſſe deſinemus. V. Id. Sextil. A. CIↃ IↃCXXCI.

LXXXII.
AMICO CVIDAM.

Vide, vt quamprimum recipias libellum, hominis negligentia amiſſum, et, quanto potes pretio, licitare. Soluam protinus, atque hunc ſane fructum amicitiae noſtrae maximum putabo. Parum abfuit, quin domum remitterem ignarum et immemorem, ſed

ſed condonandum id pro neceſſitudine fuit. Libelli auctor eſt Valentinus Andreae, ſi bene memini, nec alio pertinet conſilium, quam, vt viri nobiliſſimi honori ſeruiatur. Abs te peto, vt CL. Fabro, Gymnaſii Collegae, renuncies ac dicas, ſi velit ſex numis vncialibus Chronicon VVirtembergenſe MSS. venum mihi dare, promptum me paratumque emptorem fore. Cum primis autem cupio rogoque, vt Maffeii hiſtoriam a Zeznero emendam perferendamque ad me cures. Summa erit, ſecundum meas quas confeci, rationes, octo numi vnciales, ſiue, vt vulgo putant, octo Imperiales, quos ſoluet Orthius, quam pecuniam Virtembergae rependam, vbi filius eius contraxit aes alienum, quod diſſoluendum ſuſcipiam, ſi haec quidem conditio ipſi placet. Alioqui cum Schumachero agam, vt ſine mora promiſſos numos repraeſentet. V. Id. Sextil. A. cIↃ IↃCLXXXI.

LXXXIII.

CHRISTOPHORO ARNOLDO.

V. C.

TRanſeunti vrbem veſtram Glerecio literas dare volui, vt rationem ſuperioris amicitiae ducerem, reditumque in Saxoniam ſic tandem tibi ſignificarem. Erat enim dubii aduerſione rumores me

[illegible]andiu et impediebant, tamen [illegible]num, neque ea res male mihi eue- [illegible] praeſertim, quum patrono ſtudiorum [illegible] vtar, qui omnibus modis ſtudia [illegible]ornat, patriae cum primis ſolicitum a- [illegible] praeſtat. Dicere non ſatis poſſum, nec epiſtolae modus recipit, quantum in eo [illegible] reſpublica habeat, quippe qui omnia conſilia ad inſtaurandas belli et aerarii ra- tiones conferat, nec valetudini ſuae parcit. [illegible] diebus cum eo Torgauiae fui, vbi [illegible] ab eo didici, quam multis menſibus meo quidem Marte, praeſertim in recondi- tis negotiorum rationibus, diſcere potuiſſem. Itaque erigimur in ſpem omnes, hoc aucto- re et duce rem noſtram non modo ſaluam, ſed etiam longe meliorem fore, eo in pri- mis tempore, quo Germaniae ad Rhenum [illegible] ab occidente impendet, nec vlla ſpes reliqua eſt, niſi Germania vel Saxo- num veterum, vel Italorum, inſtituta ſibi ſequenda proponat, ac deinceps iniquo ſe foedere coniungat, vt externus iſte domi- natus ſaltem intra Rheni fines coerceatur, nec Germaniae noſtrati Transrhenanae [illegible] Auguſtam domum ſuam, nec ſatis deploranda, fata vrgent, nec Vngariae ex- itus melior eſt futurus ac fuit adhuc, quum nulla ratio expediendae ipſorum ſalutis [illegible]. Conflarunt hoc malum Patres Igna-

Ignatiani, dum optant, vt vna ruina omnes Respublicae prosternantur, quae ipsorum placitis obtemperare nolunt. Iam vero intelligit Anglia, se operam perdidisse, et errores suos agnoscunt Bataui. De Germanis erumpens indignatio prohibet, quo minus verbum addam. Vtinam vero falsus augur sim, nec deterior rerum nostrarum conditio sequatur. Vtcunque autem eueniat, nos totos in litteras abdamus, nec de consuetudine nostra abduci patiamur, qui priuatum et innoxium vitae genus, humanitati et Musis dicatum, retineamus. In Anglia cetero quin multus et honorificus de te sermo erat, quum ego et Hackius, ille optimus et officiosissimus, de doctis Germaniae Viris inter nos colloqueremur. Vindsorii magnam Vossii polymathiam iure aestimare debui, etsi ego non aliter, ac transfuga, idemquo ignoratus, ipsum inuisi, et multa humanitatis eius argumenta perspexi. Nec tamen vitio mihi ac dedecori sit, a viro doctissimo interdum recedere, ac, salua amicitia, diffidere. Cuius indicium sit disputatio, quam tibi transmitto, et magnopere peto, vt quemadmodum olim ita deinceps, fauere mihi pergas IV. Eid. Sextil. A. clɔ Iɔ CXXCI.

Epistolam quam scripsi ad Magliabechium, velim, cures. Is enim hoc genere officii

ficii bis me anteuertit. Filium tuum doctissimum saluere meo nomine cupio.

LXXXIV.

ANTONIO MAGLIABECHIO.

NOn dubito, quin doctissimus Graeuius vel sponsor sit, vel curator officii, quod proxime tua causa vel maxime suscepi, quoniam ipsi litteras dedi Traiecto Antuerpiam perferendas. Commodum enim quidam bibliopola noster tendebat in Belgium, vt auctioni Elzeuirianae praesto esset, qui spondebat mihi, futurum, vt inuiseret apud Graeuium, Virum nostri amantem, qui has partes eo minus recusabit, quod tua res in eo negotio versatur. Antuerpiae autem non defutura sane est occasio, vt in Italiam vsque sine impedimento nostrae litterae commeare possint. Daumius magnopere clarissimum nomen tuum aestimat ac veneratur, sed, veluti excusatione aetatis, priuilegium languentis industriae postulat, qui tamen mea sententia de contentione animi et diligentia pristina nihil remittit. In Dufresnii *Glossario* iuxta mecum multa desiderat, neque spes est fore, vt vnus homo tali, et tam immenso labore fungatur. De *Vitricis Ecclesiae* nihil ille auctor attulit, nec tamen in superioribus Saxo-Ascaniorum MSS. tabulis vlla dictio frequentior extat

ac reperitur. Vt de sexcentis aliis nihil dicam, quae priuatae cuiusque industriae reseruantur. Proxime in aula nostra iterum fui, cum de prolixo tuo in bonos litteratosque animo multa, et tibi honorifica, passim in conuictu doctissimorum hominum dicerentur. Vitemb. apud Saxones III. Eid. Sextil. A. cIↄ Iↄ CXXCI.

LXXXV.

IO. FRIDER. REINHARDO.

IC. Dresd.

Non recusaui, quod imposuisti, munus, vt vel hic conatus meae pietatis atque obseruantiae erga socerum tuum pignus sit, maneatque sempiternum, non in aere magis, quam in animis hominum, duret, qui aequo animo iudicant, et suis quemque meritis distinguunt. Ego, dum has partes exsecutus sum, nimiam sane industriam non adhibui, delegi autem apta, et, quae cum antiquitati tum grauitati, conueniant, verba, siquidem ea fastidium lectori pariunt, quae inflata et tumentia sunt, ac potius ex ingenio, quam ex inscriptionibus veterum, accersuntur. Vulgus quidem, nescio quam calamistratam orationem expetit et affectat, nouaque subinde commiscitur, pulchraque haec iactat, quae cordati sane et humanitatis periti omnes vitant ac merito aspernantur.

tur. De reliquo admirator Veckii ero, et, si quid possum, ad eius laudem conferam, ac venerabor nomen, fastisque inferam. Quanquam non satis assequor omnes viri laudes, quas inter secreta consilia, et arduas reipublicae curas, expromere consueuit. Illustrissimus Gersdorfius, Iuris consultissimus Iacobaeus, et vtrorumque applausor Ziegle-rus, ingenium, labores, iudicii vim atque vsum rerum, pro merito aestimant, quibus me adiungo, non, vt mea conspiratione et assensu pondus accedat summorum procerum auctoritati, quae per se maxima est, suaque et natiua luce effulget, sed, vt clientis locum tenere mihi liceat, cui satis est, in sententia virorum in republica maximorum conquiescere, ac ab eorum praeconiis petere materiam vberioris laudis. Ita bene agere te volo, et cupio, vt omnia laeta tibi et vniuersae Veckiorum familiae eueniant, et cuncta denique incepta et consilia tua fortunentur. XV. Cal. Sept. A. cIↃ IↃ CXXCI.

LXXXVI.
ILLVSTRI KANIZIO.

PRimum ac perpetuum mihi votum est, vt inclyta Kaniziorum familia sub tutela Principis Europae maximi floreat, ac suis ipsa praesidiis nitatur et crescat, atque hoc

et proprio iure habeat, vt nemini gloria et meritorum amplitudine, concedat Nam, etſi multa et egregia maiorum tuorum decora in faſtis ſunt, paſſimque celebrantur, tamen ibi non conſiſtunt, ſed longius ſe diffundunt, ac tuae praecipuae laudis acceſſione in dies augentur, praeſertim eo in loco, vbi velut orbis theatrum atque compendium eſt, et exemplorum in toga belloque optima ſedes ac officina explendeſcit, cuius inſtituta egregia et ſancta nulla aetas ignorabit, aut obliuiſcetur. Multi quidem tantas aulae veſtrae laudes non aſſequuntur, neque is ego ſum, qui ex aſſe aeſtimet res tota Europa maximas, quas et cogitauit et confecit Martius ille *Elector*, quem Rex noſtra memoria maximus ſuo merito celebrat, militemque appellat. Nihil dabo auribus, nec popularium et Germanorum, ſed hoſtium, ſermones repetam, quos neque gentis ſuae amor, neque Principum indigenarum auctoritas, deterruit ac impediuit, quo minus tantae fortitudinis ornandae cupidos ſe praeberent. Mirabitur omnia et ſeponet grata poſteritas, et manſuris atque ſempiternis monimentis conſecrabit merita, nullo orationis genere aequanda, quorum ea eſt ratio, vt ſibi ipſis pretium ſint, nullaque obliuione deleantur. Itaque in eum Principem Gallia in primis intuetur, eius-

eiusque amicitiam ſibi ſpondet, dum in fatalem et formidoloſum Europae dominatum incumbit, quando Auſtriam ſua fata urgent, ac in praeſentiſſimum diſcrimen vocant. Quod reliquum eſt, ſummis peto a Deo precibus, vt cum vires tibi integras ſeruet, tum res conſiliaque tua fortunet, et familiam pariter illuſtrem, ac neceſſarios inclutos, quam diutiſſime florentes praeſtet. Vitembergae apud Saxones, XIV. Calend. Sept. A. cIↄ Iↄ CXXCI.

LXXXVII.
N. HVBNERO.

COnſilium pariter, atque deſideria tua multò honeſtiſſima, intellexi quorum vt fructum capias, ſane pro auctoritate muneris efficiam, prorſusque enitar, vt locus ſacri ordinis dignitati congruens, meo et collegarum ſuffragio, tibi decernatur. Summi, celeberrimique Doctoris Theologi, Alberti, teſtimonium, quo ornatus es, tantum apud nos omnes momentum habuit, vt tuo abſentis honori faueamus, ac vno ſtudio et voluntate petitioni tuae aſſentiamur. Tantum monendus es de faciendo ſumtu, qui triginta numum, quos *thaleros* dicimus, pretio conſtabit. Quos ſi perſoluas, a reliquis impenſis plane immunis ac liber es, et expeditam adeo facilemque ad ſummos ma-

giſtri honores viam habes. Quid igitur facto opus ſit,in tempore aeſtimabis, vir perreuerende, ac de me polliceberis, animum dignitatis tuae amantiſſimum, vt nemini vel in te amplectendo, vel ornando,concedere poſthac velim. Summum Virum, ac de ſacris profaniſque litteris egregie ac immortaliter merentem, D. Alberti, diligenter ac perofficioſe ſaluta, neque eo ſecius reliquos Profeſſores, qui me norunt, ac ſtudia mea amant. Vitembergae XIII. Calend. Octobr. A. cIↃ IↃ CXXCI.

LXXXVIII.
IEREMIAE HAHNEVALDIO.

ACcepi, rationes muneris atque ſtudia tua iam diu mereri honores et ornamenta publica, nec mediocri gaudio affectus ſum, poſtquam intellexi conſilium hoc egregium, et doctrina vigiliiſque tuis dignum,cuius perficiendi iam prompta et luculenta occaſio tibi datur. Nam de me et collegis, quibus data examinis prouincia eſt, ſpondeo tibi propenſam voluntatem, quam re ipſa, nec obſcuris ſignis, ſed certis apertiſque indiciis cognoſces,ſi res tuae ita ferant, vt nomen inter candidatos profitearis. Age igitur,capias tandem tot laborum vigiliarumque tuarum mercedem, et praemia atque teſtimonia laudis expetas,

quo-

quorum facile impetrandorum: nunc sane tibi est facultas. Ego vltro libenterque cum te, tum virtutes tuas, amplectar et ornabo, Deumque venerabor, vt inceptum, honoresque benigne et constanter fortunet. XIII. Cal. Oct. A. clↄ Iↄ CXXCI.

LXXXIX.

IO. FRIDER. REINHARDO,

IC. Dresd.

ETsi tuae sponsio beneuolentiae satisfacere mihi potuit, nec praeter eam aliquid desiderare volui, quod Veckianae necessitudines, quibus virtus et fortuna te inseruit, plus sane debeo, et omni deinceps occasione testatum facere cupio, quanti eae a me fiant. Tamen insigne luculentumque beneficium tam propensae in me voluntati addendum censuisti, neque obnitor, quoniam sic placuit, ne videar non aestimare donum per se eximium, praesertim ab ea familia, cuius in omni genere decus enituit, cuiusque in rempublicam merita sunt multo pulcherrima, et in omnium ore animisque versantur. Atque optimus ille socer tuus inter has patriae curas, a quibus nunquam ei licebat esse vacuo, Academiae nostratis negotia haud neglexit, et commoda procurauit enixe ac diligenter, illud etiam magno et sapienti consilio effecit, vt, quum supe-

ſuperiori tempore ſalus eius, neſcio per quas turbas, in diſcrimen adducta eſſet, ipſius ac tuo ſingulari fauore noſtris omnium rationibus bene ac tempeſtiue conſuleretur. Itaque huius eruditiſſimae ſocietatis ego velut internuncius ac interpres hoc elogio talem, tantumque virum fraudare non debui, vt intelligeret poſteritas, qualem conſilii adminiſtrum curia ſanctior, qualemue Patronum Academia noſtra amiſerit. Ego, quoties aeternum hiſtoriae Dreſdenſis monimentum animo reputo, toties in eo Varronem, quo viro nihil maius Roma habuit, contemplari mihi videor, defixusque adeo in laude eius acquieſco. Sed nunc denuo tibi ac neceſſitudinibus ampliſſimis pro dono tam inſigni gratias ago habeoque maximas, Deumque precor, vt familia perpetuo floreat, maioraque incrementa capiat in dies ſplendoremque ſolidae nec fucatae laudis teneat ac tueatur ſempiternum. XIII. Cal. Sept. A. cIↄ Iↄ CXXCI.

XC.
NICOLAO L.B. A GERSDORF.

TVum principiſque reditum in vrbem felicem fuiſſe ac proſperum, varii ac diuerſi nuncii attulerunt, quem deinceps fortunet Deus, ac ſinat, vt non modo nunc eum fauſtis acclamationibus proſequamur, ſed

ſed in poſterum quoque ſacrum ſemper, et ſolemnem habeamus. Vota igitur concipienda et nuncupanda ſunt, vt res noſtras benigne reficiat, priſtinisque beneficiis frui concedat, rectamque aeris et firmam temperationem largiatur, ne ſinat, vt dura initia, quibus uſi ſumus, diutius durent, poenaeque in nos continuatae exemplum ſtatuatur, cuius finem modumque poſcimus, vt cum opes, tum commercia, inuiſo et noxio morbo intercepta, ſic tandem reſtituantur. De Italia non paruus metus omnium mentes animosque inceſſit, videntque iam Heluetii, ceſſo Burgundiae *comitatu*, cui patrocinium praeſtare debuerant, magnam ſecuritatis partem ſibi ademptam fuiſſe. Neque eo ſecius periculum Imperatori impendet, ſi quidem cauſam communem, et officium domini beneficiarii deſerere non velit. Sane, Caſali intercepta, non tantum Mediolanenſis Ducatus in praeſenti diſcrimine eſt, ſed etiam tota Italia proxime abeſt a iugo, nec ſatis praeſidii habet aduerſus omnes belli caſus. Magnus Florentiae Dux non abſurde aeſtimat periculum, quum filiam Caeſaris nurum ſibi deſtinat, atque eo connubio amicitiam ac neceſſitudinem prudenter firmat. In Vngaria res quidem valde turbatae ancipitesque ſunt, ſed vereor, ne poſthac Poloniae deterior conditio ſit.

Eo minus de Germania ſuperiori dubitandum eſt, quin Galli arbitria et leges ſequatur. Nam ille perſtat in ſententia vindicandi acceſſiones, ſiue, vt vocant *dependentias*, quas, ait, ſibi competere ex capite ſacerdotiorum, vulgo dioeceſium, Metenſis, Tullenſis et Virodunenſis, pariter propter Alſatiam, unde multos nec ignobiles terrarum tractus repetit, ac iuri ditionique ſuae adſcribit. Longi equidem temporis poſſeſſio inter gentes valet, atque huic ambitioni obſiſtit, ſed regi ius in armis ferenti non poteſt obtendi, cui fortuna temporum et occaſio ſane dant repetendi titulum ac robur. Quae res Deo committenda eſt, qui ſaepe, non cogitantibus nobis, expedit, quae non ſperabamus poſſe fieri, ac in tempore adeſt, et oppreſſis affert auxilium, et miſeros laborantesque ſeruat, neque eo ſecius imperia ruentia ſiſtit, ac principatus per ſe inualidos defendit et firmat, fluxamque et fragilem potentiam ſua vi et conſilio tuetur. At enim tu patriae conſule, Domine, et commoda publica diligenter procura, conatusque Principis optimos adiuua, ac de nobis omnibus ſic merere, vt inter multas alias laudes hanc certe maximam poſteris recolendam, pariterque imitandam relinquas. Vitembergae XVI. Calend. Octobr. A. cIↄ Iↄ LXXXI.

XCI.

XCI.
ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI
IC. Dresd.

QVod hucusque intermisi nunc breuiter expediam munus, et quid in Gallia acciderit, summatim ac velut per extremas lineas indicabo. Adultus erat mensis Augustus, quum nauem conscendere cogitauimus, sed Anglorum erga Gallos inuidia eam, quam conduxeramus, nescio quid suspicata, detinuit, quo fiebat, vt quarto die Septembris ex portu Londinensi solueremus. Lentum ac difficile iter nos merito solicitos anxiosque habuit, ac saepe etiam nauis nostra in periculum venit, parumque abfuit, quin apud littora Picardiae puluinis illideretur. Vicesimus erat dies Septembris cum ad fanum S. Valarici exponeremur in terram, et, obliti molestias, certa iam visendae Lutetiae spe duceremur. Igitur, conspecto *Abbatis* fano, ad oppidum, quod *Abbatis Villa* dicitur, recta contendimus, et, adito Mariae templo, in patres non admodum doctos incidimus, atque hinc in Ambianos mouimus, et vrbem Ambianensem intrauimus, ibique *Ecclesiam* Petro, *Apostolorum* Principi, dicatam, et splendore et cultu egregiam, perlustrauimus. Res vrbis et originem *Ecclesiae* ex instituto descripsit

Mo-

Morlierius, Vir minime ſpernendus. *Epiſcopi* munere fungebatur Franciſcus Vaur, vbi Picardiae moris et linguae imaginem velut in compendio videbamus. *Canonicos*, quos vocant, humanitas magis, quam doctrina commendabat. Vrbi arx adiacet, quae cum praeſidio tenebatur. Exinde Bellovacum, vbi Picardia incipit eſſe cultior, profecti, *Eccleſiae* monumenta et inſcriptiones pariter atque Ambiani contemplati ſumus. *Epiſcopus* eo tempore legati partes obibat, et apud Polonos verſabatur, vt gentis eius animos in amicitiam neceſſitudinemque Gallicam inclinaret. Dici non poteſt, quantopere conſpectu illius terrae laetatus fuerim, in qua Caius Caeſar caſtra habuit, et arma viroſque exercuit, atque per eam oram ad Belgas deſcendit. Nam apud Bellomontium veteris Romanorum militiae operumque non pauca, nec fallentia extant veſtigia et ſigna. Cumque hic aliquandiu conſtitiſſem, cepit me amor viſendi S. Dionyſii fani, cuius origo multo eſt antiquiſſima, et magno Dagoberto, Franciae regi, accepta fertur. Monumenta, tumuli, gaza *Eccleſiae*, et cimeliorum apparatus, tanta ibi cernuntur, quanta, qui non viderit, certe non credat. Dionyſii nomen a Dionyſio Areopagita tulit, quia Clemente, huius nominis primo, eodem-

que

que Romae *Episcopo*, in Galliam missus, laeto animo has suscepit partes, nullumque, Dei causa, periculum refugiens, coelestia oracula promulgauit, ac tandem, praefecto Galliae Fescennio Sisinio, *Martyr* ad posteritatis famam insignis decessit. Commodum aderam, cum memoriae et honori Ludouici XIII. sacrum anniuersarium institueretur, rituque solemni perageretur. Postea me in viam dedi, et Parisiorum vrbem, omni nitore et cultu, ac nihilo secius maximis ingeniis florentem, accessi, et, vix ingressus, de Emmerici Bigotii praesentia audiui, quem adii, et merito veneratus sum, ac pleraque eius Chrysostomi MSS. vidi et legi, quem vnum apud Gallos aestimabat Vindsorii Vossius, ac post Valesios seruare veterem eruditionis gloriam affirmabat. In extremo tibi commendo, Patrone Magnifice, Christophorum Adolphum Durerum, Liebenvverda Saxonem, qui, quantis potest precibus, stipendium petit, ac profecto meretur. Vitembergae XII. Calend. Octobr. A. clↄ Iↄ CLXXXI.

XCII.
EIDEM.

DEditio Argentorati fidae Imperio vrbis, omnes Germaniae rationes conturbauit, aditumque ad regiones Rheno Moenoque

que adiacentes patefecit, in qua vna vrbe plurium ſane vrbium, imo et prouinciarum, iacturam fecimus. Rex, cum adhuc in Gallia eſſet, occupationi diem dixit, vt fortunam non modo habere benignam ac proſperam, ſed etiam regere arbitrio ſuo videatur. Poſt voti compos, arcem, qua ciues in officio contineat, aedificare conſtituit, tormenta iam eripuit et auexit, templum Germaniae maximum auguſtiſſimumque ritu Pontificio inaugurandum curauit, in quo omnia Alſatiae templa, et praedia poſſeſſioneſque ſacerdotiorum, amiſimus. Iam Lotharingia non limes, ſed Galliae pars eſt, Rhenusque victoris imperio ac ditione continetur, et munitiſſimus Breſaci mons, huius acceſſione caſtri auctus, maiorem finitimis metum infert, Regisque potentiam exquiſitius firmat. Iam fere circumſepti ſunt Heluetii, ante hac ſocii, ac deinceps aut clientes, aut ſerui, Gallorum futuri. Rex ſiue ſerio, ſiue ſimulato, per Rebenaccium deditionis inuidiam iuris praetextu purgauit rogauitque Brandenburgicum, vt ſuas, aequasque et iuſtas rationes Caeſari approbaret, ad Moenum nolle tendere, aut quicquam vltra turbare, de Philippoburgo cupere, vt ſolo aequetur. Ita Rex ille illudit nobis, et arbitratu ſuo agit cum Germanis, et pacem vel rumpit impune, vel ex vtili-

ta-

tate ſua interpretatur. Iura,leges, omnibus ſcribit, alios cogit, alios terret, plurimis minatur. Iam ducit in Hiſpanicos Belgas, et vrbes occupat, iam Italis metum incutit, armaque oſtendit, iam Rheni oram ſubigit, vicinosque frenat. Accepi, Brandenburgicum futuri prouidum et cautum perlato deditionis Argentoratenſis nuncio, aliquot noctes prope inſomnes duxiſſe. Vitembergae,prid. Id. Octobr. A. cIↄ IↄCLXXXI.

XCIII.
EIDEM.

PAriſiis varios magnarumque rerum ſcientes viros paſſim ſalutaui, et bibliothecas prorſus egregias codiceſque manuſcriptos vidi et perquiſiui. Baluzium in aedibus Colbertianis litteris et bibliothecae pulvere abditum deprehendi, ſed ingenio acri ſane et prompto, qui plerasque Carolinae antiquitatis membranas mihi oſtendit, et de multis atque incidentibus rebus verum accuratumque iudicium tulit. De Bigotio, Menagio, Bullialdo, et perpluribus aliis nihil addo, quorum monimenta, quae reliquerunt, de vbertate ingenii atque iudicii praeſtantia teſtari poſſunt. Reliquum tempus in perlegendas deſcribendasque inſcriptiones, quae in portis columnisque inciſae erant, impendi; eae enim admonere poſ-

possunt, quid Galli de Germanis, ac superioribus eorum foederatis existiment, quorum Reges et Principes fracti, dissipati, et victi, quasique iam precaria imperia tenentes, non obscuris imaginibus et simulacris ibi adumbrantur. Legato Caesaris, Mansfeldio Comiti, illudebant sapientiores, cum priuatim inter se colloquerentur, illum petere et obtestari, Regem facere, quae vellet. Absurdam esse austriae pro Lotharingo intercessionem, qui, cum a Rege Franciae fiduciarium Ducatum recipere noluisset, iam omni sua spe excidisse, quod euentus comprobauit, cum inter concordiae pacisque meditationes pax Neomagensis rupta, et ianua claustrumque Germaniae Argentoratum, maximo cum patriae damno, ereptum fuit. Vix Campaniam, Verodunum, et Mediomatrices transieram, cum, Argentoratum delatus, homines nostri ordinis plerosque securos inueni. Obrechtus, in prodromo, quem vocant, Alsatiae, elaborabat, sed eo tempore, quo non rationes, sed arma, sumi oportebat. Hoc est infaustum seruitutis Germanicae initium, nec minus iam libertas, quam religio, in discrimen vocatur, quando in vna vrbe omnes Rheno finitimas regiones, atque in vno vrbis templo omnia Alsatiae templa sacra et sacerdotia, amisimus, iamque recogito illud, quod

pa-

Patres ſubinde mihi dixerunt, adduci ſe in ſpem Germaniae in vnum Chriſti ouile colligendae. Illi etiam, qui ſodalitati ſuae nomen Ieſu praeſcribunt, non poterant diffiteri, Regis eam voluntatem ſententiamque eſſe, vt vna lege et religione Europa Chriſtiana, pro cuius arbitro ſe gerit, deinceps vtatur. Auſtris imminere fatum, impendere orbitatem fatalem, ſolem ab occidente venturum, qui *haereticos* diſſipaturus ſit, omnia in poſterum eo loco fore, vt in vnum Franco-Gallicum nomen conſentiantur. Nam, quod Germani de inſtaurando Auſtraſiae regno tradunt, id tale eſt, vt inepte ſibi blandiantur. Sub Franciae nomine copulari vult prouincias, adeo vt quicquid ad Francos quoquomodo vnquam pertinuit, aut eo vel antiqui, vel noui iuris ſpecie referri vlla ratione poteſt, nomine ditioneque Francica coniungere cupiat, quo pacto neque Thuringia et Haſſia, neque vlla Germaniae regio, tuta erit et ſalua, praeſertim, quum patientia Germanorum in iocum Gallorum tranſierit, et victoria victoriam hoſti pepererit, vnoque die Argentoratum Germaniae, et Caſalim Italiae, intrauerit, nec minora in Belgio Hiſpanico moliatur, vt intelligamus, quid Reipublicae et *Eccleſiae* magni et formidoloſi iſti conatus ferant. Ad vltimum, Patrone maxime,

L Bar-

Barthelium, Mariamontanum, tibi commendo, si qua de eo in petendo sacerdotii vel alio muneris honore, bene mereri possis, vt tu vnus omnium maxime potes. Vitembergae, XIII. Cal. Nou. cIↄ IↄCLXXXI.

XCIV.

M. ABRAAMO FLIESBACHIO

Sacerdoti.

FIxum mihi deliberatum est, gratulari tibi praemia summosque honores, quos petiisti, ac merito tuo impetrasti. Res ea omnibus visa est memorabilis, quod pater et filius, eodem tempore, eandem dignitatem, pari et, aequo iure, susceperunt. Ego id, pro eo, ac par est, meoque doctoris historici, muneri sane convenit, in ordinis nostri commentarios referre volui ac debui, vt posteritas de exemplo tam laudabili nunquam apud nos, quod ego quidem sciam, edito cognosceret, idque secum recogitaret. De impensarum rationibus iam ita mihi satis factum est, vt gratiae referendae locum occasionemque quaeram. In primis Deum veneror, vt res consiliaque tua fortunet, et sacerdotium tuum laboresque in vniuersum felices esse iubeat, vt hoc tempore, quo Gallicus Hannibal nihil non ad perdendam polluendamque sacram pariter et ciuilem rem molitur, difficili fortunae resi-

resistas, et pietate atque constantia partes tuas obeas, teneasque hoc multo sanctissimum institutum, quod hostibus placere non potest. Sed dimicent illi de vita et fortunis, eripiant templa et vrbes, lacessant nos et persequantur, pietate, velut scuto, nos armabimus, et hanc vnam vincendi rationem putabimus, fore, vt Deus, fallendi nescius, non destituat peculium ab se dilectum, exitumque rei ferme conclamatae expediat, *Ecclesiam* tueatur et propugnet. Sed, cur haec scribo, qui honores tuos gaudio et gratulatione celebrandos suscepi? Itaque vota nuncupo, Deumque obtestor, vt patriae, familiae ac tibi, annuat, et plura maioraque incrementa, cum nouis, iisque recte partis honoribus tribuat ac perpetuo largiatur. Vitemb. apud Saxones XII. Cal. Nou. A. C. cIↄ Iↄ CLXXXI.

XCV.
SACERDOTI CVIDAM.

NOn opinor, feres grauiter, quod filium tuum, modestia in primis ac diligentia mihi conciliatum ad capiendos Magistri honores inuitaui, vel eo non contemnendo persuasionis argumento, quod minori, ac alias, impensa conficere rationes posset. Me enim annitente, aditus ipsi ad beneficium patuit, quod, ob frequentem

Candidatorum numerum, tunc erat vacuum, cuius impertiendi occasionem vt arriperet, sane ipse auctor fui. Eam ad rem consequendam inter nos conuenit, vt duodetriginta numos, quos vnciales, siue Ioachimicos nominant, aerario nostro inferendos, soluat. Cumque inter nos diu collocuti essemus, placebat tandem conditio, si quidem tibi hoc institutum commendarem. Etsi autem cupiebat in primis, tuam interponi auctoritatem et consensum, tamen res tempusque non ferebat moram, nec erat, cur de assensu tuo dubitarem, in causa praesertim honesta, et ad ornanda pariter, ac amplificanda studia pertinente. Rogo igitur magnopere, vt, si quid nimis maturatum est, id non filio, modesto et obedienti iuueni, sed mihi, tribuuas, atque, ex re eius fore existimes, quod cum laude doctrinae et commodo filii est coniunctum. Incitandi enim iuuenum animi praemiisque alendi sunt, vt nostra et *Ecclesiae* exspectatione dignos se exhibeant, ac incitati virtute sua altius enitantur, deque republica sacra magis ac melius mereantur. De me ipsi amicum adiutoremque ad ingredienda antiquitatum sacrarum studia spondeo, nec ignoro, in reliquis doctrinae partibus eum magna industriae contentione ingenium exerce-

…cere. Ita DEUS Immortalis omnia filii …cepta prosperet, ac tuo et familiae hono- …solatioque eum adolescere porro iubeat, …hoc noui decoris monumentum ei com- moda afferat, vitamque longam pariter et …cundam, perennemque famam praecedat at- que comitetur. Nos, pro ea, qua decet, …gione venerabimur aeternum Numen, …pericula ab *Ecclesia* et republica litteraria, quae astu et molitionibus *Pontificiorum* …antur, benigne auertat, Regemque …llum, nihil non hostile molientem, et sa- …s salutique imperii insidiantem, re- …llat et confundat. Vitembergae A. clↄ …CLXXXI. V. Cal. Nou.

XCVI.

NICOLAO L. B. A GERSDORF.

NVnc tandem eius controuersiae, quae, de stirpe et iure Anhaltinorum annis …hinc decem moueri coepit, rationem …genter nobiscum considerauimus, ac e- …ndae eius rei studium laboremque hoc magis collocauimus, quod Potentissimi Principis EL. dignitas pariter, atque vtili- …s eo in negotio certe maximo, versan- …Subsidia iuris et historiae, quantum fie- …potuit, ego et Consultissimus Zieglerus …nos contulimus, et plura mihi restant,

in posterum latine perscribam, et sigillatim exsequar accurateque explicabo. Etsi enim scriptores editi fere omnes, quos quidem sciam, Anhaltinos ex Bernardi Ducis Saxoniae sanguine deriuant, nec ignoro, Conringium istud Anhaltinorum A. clɔ CCCCLXXI euulgatum scriptum causae eorum palladium censuisse, tamen, opinor, ea res sic iam confecta est, vt credam, hunc velut Aiacis clypeum deinceps non amplius obtendi posse. Nam vt accepi, omnes prope Luneburgici Principes et finitimi Dynastae eam in sententiam adducti sunt, vt putent, cum Anhaltinis saltem iniquissime agi, si de praesidio obtinendi Ducatus Lauenburgici, qui iure sanguinis ad eos tanquam agnatos spectet, deiiciantur. Nec posse ipsis fraudi esse in vniuersum, quod *simultaneam*, quae in foro dicitur *inuestituram* neglexissent: morem Imperii et subtilitates iuris a Saxonum consuetudine arcessitas, non posse delere iura sanguinis et necessitudinum, ampliusque constat, iis hac in parte Brandenburgicum et Luneburgicos tacite patrocinari. Quanquam id apertum manifestumque est, sanguinis iura, quantum ad ciuiles effectus, vtpote successionis, facto quodam interueniente, intercipi posse ac tolli, tamen hic cauto opus est, ac in tempore rationem iniri expedit,

vt si

vt si quid Duci Lauenburgico Iulio Francisco humanitus accidat, ope auxilioque Daniae Regis eius Ducatus possessio obtineatur. Optandum est sane his miseris propeque conclamatis temporibus, vt Saxoniae nostrae accessio perantiqua fiat, et consilia hominum Germanos ad vnum Christi ouile reduci cupientium, dissipentur, viresque patriae nouo et auspicato exemplo firmentur, quae non potest esse tuta, si obtentu iuris *dependentiarum* et *reunionis* cum Regno Francorum omnia et vsucapionum et dominiorum iura conuellantur. Primo enim Thuringiae metropoli metuo, et vereor, ne in ea, si res iratiore fato sic prolabantur penitus, alteram Germaniae Troiam habeamus. Omnino enim Franço-Gallus ex capite praedicti et speciosi iuris, atque ex persona Francorum Regum Clodouaei, Dagoberti et sequiorum vult atque cupit in ius nomenque Francorum omnia et singula conflari. Hoc ipsum apud Gallos ex Patribus et Aduocatis audiui: haec sane alea luditur, haec scena iam ab An. cIↄ Iↄc LXVII. instruitur et astute paratur. Lacrimis temperare non possum, quum recogito in vnico illo Argentorato non modo totam Alsatiam, sed etiam totam superiorem Germaniam amissam, aut profecto praesentissimum periculum ac discrimen

adductum fuiſſe. Agitur religio, agitur dignitas Principum, et ſalus omnium, vt niſi Germania conſpiratione conſiliorum, et conſenſu aduerſus tam horribiles conatus ſe armauerit, non ſecus, ac quondam Graecia, perire teneatur. Deteſtor omen, et comitia, quae nunc habentur, et omnia conſilia tua, Domine, bene feliciterque euenire volo, Deumque precor, vt immortale gloriae tuae lumen nunquam extingui nobis patiatur. Menſ. Nou. A. cIɔ Iɔ CXXCI.

XCVII.

PETRO HOMFELDIO, IC.

CAlamitas Germaniae et iactura Argentorati omnes nos conturbauit, nec fere numerum inire poſſum malorum communium, quae nos circumſtant. Imminet occaſioni iſte Hannibal, et ſpem longius profert, et iura acceſſionum, ſiue *dependentiarum*, quotidie cumulat, ſpecioſeque adornat. Quo pacto ſancta, nec quondam in dubium vocata, longaque temporis poſſeſſione, et a multis inde ſaeculis firmata iura conuellentur, omniaque tandem in Franco-Galliae nomen ditionemque conflabuntur. Nec tutiori loco Bataui, Belgae et Friſii, poſthac erunt, ſi repetendi iſte nouus ac periculoſus adeo praetextus valebit, ac deinceps in immenſum vſque relinquatur.

Nam

Nam diu eſt, quod toti Belgio inhiat, et coniungi denuo omnes prouincias cupit, quas nunc *deuolutionis*, nunc *dependentiae* et *reunionis*, vt loquuntur, titulo facile deſtinabit. Tantum, more ſuo, occaſionem exſpectat. De Cadouio noſtro addo, eum, me hortante Magiſtri honores ſuſcepiſſe, beneque ſtetiſſe, et vitam probe gnauiterque emendaſſe, vt praeclare de eo deinceps ſperem. Ordini noſtro XXX. numos vnciales, nomine impenſarum, ſoluere neceſſe habet. Honori atque indoli et neceſſitudini id tribuendum duxi, vt excitaretur magis, atque a vulgo ſtudioſorum virtute praemiisque diſtingueretur. Ita valere te cupio et ſaluere. Prid. Cal. Decembr. A. cIↃ IↃCXXCI.

XCVIII.
CHRISTIANO SCHVZIO,
Conſil. Weiſenfelſ.

MVltae quidem, nec ignotae, tibi cauſae ſunt, cur de meliori temporum fortuna vel parum, vel nihil, ſperare debeamus. Vix tempero mihi, quin dicam, cum antiquis moribus priſtinam temporum felicitatem eſſe mutatam, quando ea nos omnia deſtituunt, quorum rationes expeditiſſimas haberi, oportebat. Profecto vrgemur fatis, et patiendo ignauiam, reſiſtendo imbecillita-

tem, ostendimus hosti. Nihil autem perinde doleo, ac Argentorati iacturam, in qua vrbe robur et praesidium insignioris Germaniae partis amissum est, neque modo gloria, sed etiam salus nostra, iam in periculo versatur, et, quod caput est, religio quoque nouo telo petitur, et inauspicato repetendi titulo omne diuinum humanumque ius conuellitur et conturbatur. Nunquam enim modus finisque erit vindicandi armis aliena, si tandem ista ab accessionibus, et, vt vocant, *dependentiis*, sumpta ratio sufficiat, vt nouum gentium nationumque ius conficiatur. Et tamen veterno suo indulget Europa Christiana, trepidatque Belgium, et circumspecte diffidit Anglorum Regi, Germaniaque prorsus exterrita et exhausta, et voluntatibus studiisque diuisa, ac nuper admodum sic denudata est, vt resistendo esse nequeat. Italia ipsa iam sero agnoscit, quam periculosum sibi fuerit consilium recepti in Italiam Gallici sanguinis, qui in Niuernensibus domicilium, non animum, mutauit. Forsan tamen Europa barbara excitabitur in vltionem, et distinebit maximas vires, neque permittet, clientes, suos regulos, in maritima Africae ora tam impune vexari, multo minus imperium Archipelagi eripi sibi patietur. Cum legato Gallico iam tum indignissime actum est, nec dubito, quin haec

distra-

distrahendarum, virium occasio sit futura. Sed nos neque consilia tempestiua asserimus, neque subsidia et neruos belli in promptu habemus, et patientia discordiaque sinimus perdi polluique rempublicam. Sed, cum huius sortis me, sane bonum ciuem, miseret, tum vulnus, quod in Serenissimo Duce Mauritio accepimus, satis deflere non possum, in quo pietas, constantia, et propensa in litteras voluntas, certe nostra memoria familiam ducebant. Miseros nos, qui tanti Herois funus non digne deplorare possumus, cuius virtutes per se lucent posteris, quarum lumen Saxoniae ademptum nunc maxime desideramus. Sed stabimus fidenter, et fortunam exspectabimus, Deoque permittemus rerum exitum, et caducas humanasque res spernendo vincemus. Ceterum Vngariae pax, nuper confecta, Caesari animum addit, propterea, quod Turcae inducias prorogarunt, turbidaque ingenia fouere ac stimulare desierunt. Sensim quoque Poloni et Sueones a Gallis redduntur alieniores, et, quorsum tanti regis consilia euasura sint, cum animis cogitant, nec tam facile, vt antehac, credunt. Genesius, qui scripsit βασιλειων libros est in mea manu, et libenter eius copiam tibi faciam. Illustri *Procancellario* me commenda, cuius summae virtutes aeternum in animo meo, moni-

nimentum reliquerunt. Prid. Iduum Decembr. A. cIɔ Iɔ CXXCI.

XCIX.
GVIL. ERNESTO TENZELIO.

SPero, fore, vt breui inter nos de loco *illo* Clementis Ro*mani* col*lo*quamur, ac ni*hil qui*dem attinet dubitare, quin de veteri et moribus aeui Apoſtolici recepta Eccleſiae diſciplina capiatur. Sed, quantuſcunque etiam fuit ille rigor, omnino a iurisdictione ciuili abfuit, quippe qui tantum intra fines eccleſiae manſit, ac nihil adeo cum legislatione et coactione externa commune habuit, adeo, vt Chriſtiani omni magiſtratu et honore gerendae reipublicae arcerentur. Ius tamen coercendi et prohibendi communione ſua lapſos permiſſum eſt, neque alio ex fonte arcani diſciplina manauit. Sed Patris ipſiusmet inſpiciendi otium mihi non fuit, propterea, quod aliae quaedam, et non ſpernendae, occupationes ab ea cura me disiunxerunt. Tantum tibi et ſumme reuerendo Parenti tuo, et vniuerſae familiae, felicem anni coepti curſum, feliciſſimumque in Saxoniam aduentum pro eo, ac par eſt, affectu ſane prolixiſſimo, precor. Prid. Id. Dec. A. cIɔ Iɔ CXXCI.

C.

C.
NOBILI CVIDAM.

Fides promiſſi et ratio obſeruantiae meae exigit, vt de filii vita, moribus et ſtudiis, perſcribam. Etſi autem ſperaui, fore, vt ipſe partes ſuas recte agat, tamen res aliter, ac putaui, cecidit, et ab officio immane quantum receſſit. Ignoſce mihi, liberius ſcribenti, Patrone maxime, quod ſcio, iuſſis tuis in primis eſſe obtemperandum. Nam, inſcio et inconſulto me, et patrono menſae vix appellato, hinc abiit, pluresque hebdomadas Halis traduxit, reuerſusque ſodalitati cuidam, furtiuos amores captanti, ſe addicere voluit, et non modo iuris, ſed etiam humanitatis ſtudia prorſus neglexit. Monitus quidem, modeſte ſe gerit, et obſequium ſpondet, ac inter coenandum nihil illiberale facit aut loquitur, ſed, vbi ſurreximus, domo exit, et tempus inutiliter conſumit, Tuae auctoritatis eſt, reſiſtere licentiae, et conatus haudquaquam laudabiles ſeueriori quadam comminatione deinceps inhibere. Mihi alioquin omnis diligentiae ratio in eo poſita eſt, vt bene ei cupiam et conſulam, ſi quidem velit eſſe audiens, et vitam inſtituere pro eo, ac par eſt, familiaeque illuſtris ſplendor requirit. Interea me ſummo patrocinio tuo commendo, Deumque, quantis poſſum, precibus vo-

tis,

tisque, rogo, vt Te Domine, cum incluta gente et necessitudinibus, quam diutissime conseruet. Vitemb. Sax. IV. Ian. A. clↄ Iↄ CXXCII.

CI.

ADAMO CHRISTOPH. IACOBI, *IC. Dresd.*

NOn ignoro, summam rerum consiliorumque tuorum dignitatem cum salute omnium esse coniunctam, et scio fateorque, neminem perinde esse de studiis nostris meritum, ac te, virum omnino his litteris et ornandis et fouendis, benigno quodam sidere genitum concessumque. Nam hoc coelestis cuiusdam auspicii est, et ad gloriam tuam in primis pertinet, ac vota precesque nobis exprimit, vt hanc tibi felicitatem sane perpetuam esse cupiamus. Itaque volo, Deumque oro, vt omnes vitae munerisque tui partes fortunet, et valetudinem prosperam esse iubeat, omniaque laborum taedia et curas leniat, suauiterque temperet, ut, quae tua merita praesens aetas non assequitur, posteri celebrent, atque in beneficii parte ponant. Illud in primis expeto, vt filius natu maximus laudis tuae retinendae pariter, et propagandae, materiam quaerat, et recte agendi constantiam seruet, atque adeo in spem successionemque paternae gloriae feliciter veniat, ac viribus deni-

que

que omnibus,ad augendum hoc tam illuſtre et nullis ſaeculis periturum decus, auſpicatiſſime annitatur. Reliquis tantundem precor, et opto, vt nobiliſſima Iacobaeorum gens nunquam male agat,ac nulla fortunae tempeſtate deflectat in praeceps, nulloque inuidiae impetu moueatur. Vitemb. IIX. Id. Ianuar. A. clↄ Iↄ CXXCII.

CII.

NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

PRaeſto ſum inter clientes fidei tuae deditos, et felix fauſtumque omen fero, vota etiam pio accompoſito animo, vt par eſt, ſoluo, Deumque veneror, vt omnia conſilia laboresque fortunati ſint, et res ſecundae nulla deinceps acerbitate perturbentur. Nam, quis noſtra memoria Gerſdorfium, ab ingenio, ab arte et vſu inſtructum, aequauerit, quem non fortuna, ſed meritorum gloria, euexit; vt in ſummo ſplendoris faſtigio ſtantem nemo citra admirationem contueri, ac digne ſatis venerari, queat. Pauci, et in pari felicitatis gradu poſiti, huc anniti, vix vnus et alter aſſequi, nemo certe aequali dexteritate id contingere poteſt. Ingenue dico, tua vnius laude omnes ſaeculi laudes contineri, in quibus non familiam, ſed agmen ducis, et capacem vbique animum, et omni nego-

tio

tiorum moli ſufficientem, oſtendis et vſu probas. Igitur, quantis poſſum, peto a Numine aeterno precibus, vt felicitas haec longe maxima, nec finem, neque modum, habeat, et valetudo proſpera perpetuaque ſit, et Gerſdorfiae atque Friſiae neceſſitudines, nulla temporum calamitate frangantur et pereant, contraque aduerſa nitantur et vigeant, atque arduis pro republica certaminibus ipſam temporum iniuriam vincant, ac ea denique auctoribus praemia rependant, in quae rerum aeternitas aſſidue et ſancta cum veneratione intueatur. Id quod nunc tibi, coniugi tuae, omnes laudes ſupergreſſae, ſocero, neceſſariis vniuerſis, ea, qua decet, pietate, feliciter euenire opto, cupio et precor. VII. Id. Ian. A. cIↃ IↃCXXCII.

CIII.

ANTONIO MAGLIABECHIO,

Conſiliario, et Bibliothecae Florentinae Praefecto.

AMbroſium, nomini tuo nuncupatum, vidi libenterque legi, et cum primis ſtili elegantiam in viro ſacri ordinis miratus ſum, nec dicere ſatis quaeo, quam gratum id munus mihi fuerit, quo tam multae, tamque inſignes, res continentur. Nam pulchre et diligenter omnia commemorat, pa-

riter

riterque delectat, et scite instruit, exemplisque docet, neque modo Eugenii Pontificis, aeuum illustrat, sed etiam ad Mediceas Venetasque res peropportune digreditur, et prudentiam vsumque rerum haud vulgarem ostendit. Tuum ergo beneficium, et Nicolai Bartholini, Viri certe doctissimi, labor, iure meritoque commendantur, et apud me plurimum valent, laetusque fruor his deliciis, quae animum explent sine satietate ac demulcent. Pergite in hoc laudis curriculo, et vindicate ab obliuione famam meritissimorum hominum, et date hoc nobis et posteris, vt in abditis ingenii monimentis effigiem sanctissimorum praesulum et antistitum deinceps frequentius intueamur. Nihil est, quod reddam tibi, nisi leue et ludicrum, spondeoque, data occasione, aliquid de Medis et Persis, quod iam operas distinet, breuique in lucem veniet, ac gratiam abs te inibit, id quod peto, et tempestiue admoneo, bis me nuper ad te scripsisse literas cum fasciculo, quas non dubito perlatas esse. Nostri te salutant, et beneuolentiam laudant, optantque mecum, nunquam te mori, quem virtus ipsa quoque iam diu reddidit immortalem. Ipsis id. Ian. A. clↄ Iↄ CXXCII.

CIV.

GEORGIO FRIDERICO MAGNO,

Gymnasii Augustani Rectori.

HAbendae pariter et referendae, tibi gratiae occasionem nactus sum, nec mihi excidit amor tuus, speroque, vt Spizelio deinceps amico vtar, cuius et eruditio et humanitas, iam dudum erudito sane orbi est perspecta. Tantum veneror Deum, vt rem Romanam, iniuria temporum prolapsam, fortunet in posterum, Germaniamque in antiqua sede sistat, et gaudium hoc nobis perpetuum esse iubeat, et praecipue sacra, quae nuper periculum adierunt, seruet benigneque tueatur. Simul ab vtroque vestrum peto, vt, si quid sit, quod ad me Florentia curatum velit Magliabechius, id libenter ad me destinetis, deque me, vt amico vero, et tu etiam, vt veteri et explorato, sentiatis. Vitembergae, festinantissime. XIX. Cal. Febr. A. cIↃ IↃCLXXXII.

CV.

AD PATREM NOMINE ALTERIVS.

OMnem curam in obsequium et venerationem tuam intendo, et quia conceptae de me exspectationi satisfacere non possum, vel in secundis tertiisque consistere conabor, et faciam vt non omnino male col-

collocasse operam videar, tum studebo pietate et diligentia res meas ornare, ac tibi in primis obseruantiam animique cultum filio morigero dignum, approbare. Praeterquam autem quod scio et fateor, omnem meam felicitatem cum salute tua esse coniunctam, cupio quoque testatam facere pietatem, praesertim quum temporis ratio me admonet, vt vota mea cum ceteris clientibus tuis coniungam, Deoque supplicans quanta possum religione contendam, vt rebus prosperis semper vti fruique possis III. Non. Febr. A. clↃ IↃCLXXXII.

CVI.
PETRO HOMFELDIO, IC.

Discessus Cadouii me admonet, vt de aere alieno, quod hic contraxit, perscribam, cum primis, quia id Academiae interest, quae, etsi detinendi eius consilium inibat, tamen, me deprecatore, factum est, vt dimitteretur. Honori quidem familiae, et existimationi iuuenis consulendum est, nec dubito, quin pro auctoritate tua hoc efficiendum suscipias, omnemque diligentiam adhibeas, vt nomina, quae M. Cadouius fecit, quantocyus dissoluantur. Ordo sapientum, cuius magistratum gessi adhuc, in vniuersum duos et triginta imperiales poscit, in quos consensit, fidemque dedit

ſine tergiuerſatione ſoluturum. Hamburgi opinor, ſubſiſtet aliquandiu, et parcius viuet, ac honeſta in primis ratione ſumptus vitabit. Academia te ſalutat, et petit magnopere, vt eius cauſam ne deſeras, quippe quae cupit leuari interpellantium moleſtiis, et tuae dexteritati prudentiaeque confidit. Si autem moram interponat, tempusque Saxonicis legibus receptum ac praeſtitutum negligat, in ius vocabitur, non paſſuris creditoribus, vt ſpem exſpectationemque ſuam fruſtretur. Alioqui res Germanicae, praeſertim conuentus Francofurtenſis, omnium animos ſuſpendunt. Caeſar, emendato Vngariae ſtatu, ad nouum idque neceſſarium bellum ſe comparat. Copiis eius cum ſummo imperio praeerit Lotharingus, Imperator militiae acris, ſed non ſatis maturus. Rident Galli lentos apparatus, et ſciunt, Germanos aut trahere aut cauponari bellum, quod ſuperiori tempore nauiter fecerunt cohortes quaedam, magnamque apud Germaniae Principes inuidiam ſibi concitarunt. Saxo noſter Golzium ad ſummam belli praefecturam inuitauit, et nuper adſciuit, magnoque ſumptu milites iam conſcribit. Alius pacis ſtudio vtilitatem metitur et numos Ludouiſios libenter accipit, ſarcitque ſuperius damnum. Valde autem

tem vereor, vt Argentoratum, in quo tota superioris Germaniae ſalus ſita eſt, conſiliis copiisque noſtris recipiatur. Interim ferendum eſt malum, quod communi patriae impendet, nec alia ratio conſtare ſapienti poteſt, quam contemptus viciſſitudinum, quas mutari et corrigi, non eſt humanae opis. Ceterum Deo ſupplico, vt ſeruet Friſones, auertatque pericula et bella, ac tibi, et egregiae familiae tuae, omnia proſpera et felicia largiatur. Prid. Non. Febr. A. clɔ lɔCLXXXII.

CVII.
IOANNI IACOBO STVBELIO.

PEto abs te, pro veteri inter nos amicitia, commodo meo ſeruias, operamque ſumas, atque in auctione publica partes licitantis meo nomine agas, Fuhrmannumque adeas, eique mea deſideria exponas. Cupio emere Adrichomii Theatrum terrae ſanctae, et codicem Athanaſii in Pſalmos Graecos, ſiquidem potiundi vtriuſque occaſio nondum amiſſa ſit, quod facile perquires. Pecuniam ſtatim curabo, ſi de pretio certum me reddas, et prima quaque occaſione perſcribas. Viciſſim annitar, vt de te bene mereri poſſim, ac, mea quidem culpa, nihil omittam, quod eiuſmodi ſit, vt cum honori, tum vtilitati

tuae, consulatur. Quin cumulabis superiora beneficia, quae nondum animo exciderunt, et subinde memoriam librorum abs te donatorum refricant, totumque in aere tuo esse iubent. Quid Iunghansius noster agat, quid moliatur, quaeso, facias, vt sciam. Volhardus antiquum obtinet, et, fidei oblitus, extra patriam errat, nimiumque sibi indulget. IV. Id. Febr. A. clɔ. Iɔ CLXXXII.

CVIII.
AMICO CVIDAM.

PErit tempus, quod paci impenditur, quum pacis nomine Germanis illuditur, nec vlla spes, nisi in armis, superest, postquam de animo Regis, nihil reddere cupientis, constat. Omnes Germaniae morbi Gallis explorati sunt, et tota rerum nostrarum salus in defensione tempestiua versatur, quanquam ludo vincit Ludouicus, et eluuio, quae aliis damnum, ipsi commodum attulit, vt materiam et lapides commodius adueheret, et nouas munitiones eo diligentius celeriusque adornaret. Belgium contra ex maris fluminumque inundatione, magnum detrimentum cepit, parumque abfuit, quin tota Seelandorum regio submergeretur. Rupti passim aggeres sunt, quos ingenti sumptu reparari interest. Plus amissum esse, fama attulit, quam hostis deprae-
dari

dari potuisset. Apud nos omnia fere consilia ad bellum spectant, sine quo libertas posthac retineri non potest. Quid Francofurti agatur, ipse tu optime nosti. Gallorum blanditiae venenum tegunt, nociturae magis, si negligenter agamus. Iam diu habent, quod videant, quum meminerunt, deliberationes Germanorum esse frigidas, et subsidia belli exigua nimisque tarda. Quanquam occasio resistendi iam opportuna esset, si Brandenburgicus armorum societate se coniungeret Saxoni, pariterque Luneburgici reciperentur in foedus, conatusque nostros adiuuarent, quorum alter a tergo sane tutus est, postquam ipsi Suecones bona et salutaria consilia amplectuntur: alteri, situ, et viris viribusque validi, amorem patriae firmis et constantibus animis, seruant. Saxoni difficile tempus et diuturna contagio multum aduersatur, Lipsiamque impedit, quo minus cursores, more iam recepto expediat, nec dum commercia florent libereque exercentur, propterea quod aditus plerique adhuc interclusi sunt, et Luneburgici cupiunt Brunsuigam, aere alieno oppressam, erigi, Batauorumque commercia eo transferri, quae huc dum Lipsiam opibus auxerunt. Finitimi nostri animus passim cernitur, quanquam id non prohibet, quin consilia eius publice placeant,

praesertim, quum de bello agitur, quod suadet nobis, dum pacis studium praefert. Ipse, opinor, occasionem exspectat gerendi belli, neque patriae salutem deferet, si nullo Sueonis metu impediri se sentiat, atque ceteros etiam paratos videat, et societate consilii armorumque coniunctos. Nuper tamen in comitiis, circuli nomine, Lipsiae habitis iudicari potuit, nondum inter eum et Sueones oblitteratam esse superioris temporis offensam, quando, ob Pomeraniam vlteriorem, Meindersius et Hartmannus subtili ratione vetera et vltro citroque illata damna mutuo sibi exprobrarunt. Quid Bauarus agat et moliatur, omnes nunc solicitis animis exspectant. Nam Argentorato intercepto, fines eius aperti sunt, Galloque patent, et Francia, Sueuiaque et Boioaria, in pari atque eodem discrimine versantur. Sumit iste Rex sibi pacis bellique in Europa arbitrium, et rerum ad se non pertinentium rationes exquirit, et, quid sibi velint Germanorum apparatus delectusque militares, ambitiose interrogat, non aliter, atque si pro auctoritate dictatoria impedire aut vlcisci vellet. Ipse contra pro lubitu facit moderaturque omnia, pacem frangit, quum, seruare se, ait, accessiones dependentes, nemine obnitente, amplificat et speciose instruit, ludoque vincit. Conniuet Anglus,

glus, pacis ſponſor inutilis aut ſubdolus, et vicinorum iniurias negligit, ac nihil non ambitioni Gallicae indulget. Etſi autem res miſerae afflictaeque ſunt, tamen Lipſienſes in erudita ſocietate, quam nuper inierunt, perſeuerant, et libros ab A. clↄ Iↄ CLXXXI. editos, diligenter recenſent, ſed iudicio et elogiis conſulto abſtinent, indicesque et ſummam librorum non inſcite complectuntur. In quibus ſi Photii limam requiras, ſaeculi moribus, qui cenſuram non ferunt, ad ſcribendum putauerim. Acta ſtilo non ſemper aequabili, et nitido, ſed plano tamen ſatiſque apto, deſcribunt, ſumptuſque non inutiles faciunt, et iam tum viros horum temporum praeſtantiſſimos, artificeſque non inglorios, Heuelium, Titelium, ac rei librariae peritiſſimum Leibnizium, adſciuerunt. Vale XVI. Calend. Mart. A. clↄ Iↄ CLXXXII.

CIX.
OTTONI MENCKENIO,
P. P. Lipſienſi.

INſtitutum ſocietatis veſtrae egregium eſt, idque libenter probo, cum, quia ad aeui huius laudem pertinet, tum quia vel praecipue diligentiam commendat exteris, et prodeſt pariter ac delectat. Eo minus dubito, quin auctoribus rependat inſigne de-

cus, quorum consilio et labore hoc agitur, vt respublica litteraria incrementum capiat, magisque deinceps floreat, et exemplis elogiisque, pulchrum modum seruantibus, ornata impensius illustretur. Amplius tibi gratulabor, qui feliciter agis has partes, et Germanos in certamen ingenii vocas, et diligenter excitas ad aemulationem externae laudis. Nihil posthac nostri concedent Gallis, Italisque et Anglis, et decora gentis suae nomina, haud minus in togae studiis, quam in belli artibus, ostendent. Ac tametsi quidem illi saepe declamant in multitudinem Germaniae eruditorum, et requirendos nunc potius esse milites, non obscure innuunt, tamen inuiti intelligent neutrum in nostrate Saxonia omitti, ingeniorumque delectum haberi. Nec gentis, sed discordiae vitium est, si aduersa fortuna patriam vrgeat, vt tantam nuper potentiae iacturam fecerit, quantam alias nunquam. Patientia, fateor, tandem in contemptum vertetur, quum non quidem fortitudo, sed patriae caritas, friget, quumque Germania, distracta in partes, mauult periculum exspectare, quam praecauere. Id vero nos, quorum studia ab hac culpa prorsus remota sunt, haud quaquam deterreat, animosque contra fortuita muniamus, et, quantum in nobis est, squalorem barbariemque imminen-

nen-

nentium temporum a noſtris temporibus, omni ſtudio contentioneque mentis, arceamus. Deus vero, reipublicae huius praeſes et arbiter, fortunet ſocietatis veſtrae laudabile inceptum, prouehatque conatus et proſperet, vt ſalui ſoſpiteſque diu et multum laboribus perfungi, ac de aeuo in primis noſtro bene mereri, queatis. Exemplum, quod voluiſti, Illuſtriſſimo Gerſdorfio obtuli, qui hoc dono mirifice laetatur, et per me interpretem, magnas agit habetque gratias, et enixe cupit, occaſionem dari beneuolentiae vobis comprobandae. Pro me ipſo loquor, et nihil, praeter duas, eaſque non aequantes beneficium tuum, diſputationes addo, magnopere opto, vt iuxta cum ſocietate diutiſſime valeas, ſpemque et exſpectationem rei tam pulchrae firmiter ſuſtineas, et virtute tua conſtantiſſime fruaris. Vitembergae Saxonum, XV. Cal. Mart. A. cIↃ IↃ CLXXXII.

P. S. Zieglerus mecum honorifice ſentit et loquitur de inſtituto hoc veſtro, fortunatumque eſſe iubet.

CX.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI, *IC. Dresd.*

NOn modo non libens, ſed qnoque inuitus, negotia tua, multo grauiſſima, inter-

terpello, nec recuso, quo minus iuste abs te reprehendar, et confido tamen summae tuae passimque celebratae beneuolentiae, qua conciiias tibi et foues eos omnes, quotquot litteris se tradunt. Fidem excedit, nec tacebit grata posteritas, quantum ordini liberalium hominum tribuas, quantumque horum aequissimis petitionibus concedas. Igitur, sicut me adhuc, non merentem, nec ulla oratione tua beneficia aequantem, benigne complexus es, ita rogo et obtestor, vt pari et eodem beneficii genere fratrem meum ornandum tuendumque suscipias, proque tua auctoritate efficias, vt honesto deinceps stipendio subleuetur. Patre dudum orbatus, quem amisit quadrimus, ipse sibi ferre opem nullam potest. In matre, quod destinat, praesidium non inuenit, nec habet. Mihi quoque, rerum mearum satagenti, non licet meis opibus adolescentem, discendi cupidum, leuare, propterea, quod te non fugit difficultas horum temporum, praecipue autem rationum Academicarum, quae tam perturbatae sunt, quam miserum est aerarium ipsum. Tota haec fortuna nostra ex te pendet, Patrone maxime, nec speramus, sed plane confidimus, te ea in re non esse petitioni nostrae defuturum. Existimaui autem prius de hoc instituto ad te perscribendum esse, quam frater Illustrissimo Senatui ve-

stro

ſtro eam in ſententiam ſupplicaret. Aliquis Ephororum paruam quidem ſpem fecit, ratus, externum eſſe hominem, qui petat. Fateor, ſed mea, clientis, cauſa tuetur audaciam, et, velut indigena poſtulat, optimamque ſpem tenet. Recordor hic ſuperiorum temporum, quibus Ephori beneficium mihi promiſſum alieniore animo praeripuerunt. Vix enim extraordinariam docendi prouinciam cepi, quum id Senatus veſter decernebat, et, vt primo quoque tempore fruentium numero adſcriberer, per epiſtolam mandabat. Sed nihil inde ad me peruenit, quoniam, ipſorum arbitratu, forte alius multo dignior cenſebatur. Tuli, pertuli, indignationem timui, neque ad Illuſtriſſimum Senatum retuli, vitamque honeſtis et continuis laboribus toleraui. Nunc demum ſpero, fore, vt, quod ſiue inuidia, ſiue odio, tunc ademptum eſt, in fratrem meum clementiſſime conferatur. Hac ſpe erigit et ſolatur ſe adoleſcens muſteus, et pro tua, ac illuſtriſſimorum ſummorumque Patrum ſalute, mecum ſemper et religioſe deprecatur. Ita Deus te et familiam longe nobiliſſimam aſſerat ab iniuria temporum, et a caſibus fortunae, atque ab omni noxa, defendat, Iacobiosque perpetuos bono publico largiatur, continuetque decus in filiis, honoremque deriuet in ſeros nepotes ac poſte-

ſteros, vt nomen honosque tuus nullo vnquam tempore oblitterentur. Vitembergae. VI. Cal. Mart. A. cIↄ IↄCLXXXII.

P. S. Luneburgo ad me perſcriptum eſt, fuiſſe ibi Conſiliarios Guelficos, qui de me ad Academiam Iuliam inuitando inter ſe collocuti eſſent, modo de voluntate mea ſcirent: de lauto ſalario rem expeditam fore, ſi quidem de animo abeundi conſtaret. Sed nihildum reſpondeo, et tacendo conſilium manendi oſtendo, nec dubito de gratia patrocinioque Senatus veſtri conſtanti. Bielckius Mirandulae et Holſteinii epiſtolas Ienenſi praelo recudendas curabit. Wagenſeilius in numis euulgandis operam ponet. Ambroſii Moralis hodoeporicon, ſi placet, ad te curabo.

CXI.
EIDEM.

De animo in me fratremque meum tam propenſo, quantas poſſum, ago habeoque gratias, et ſpondemus viciſſim vterque cultum et parem obſeruantiam, votaque concipiemus certatim, vt longi feliciſque aeui fructum feras, et tot benignitatis exempla ad ſeros poſteros tranſmittas. Hodoeporicon Ambroſii benigno animo accipias, peto, vnde pleraque ad quinti decimi ſaeculi hiſtoriam pertinentia, deſumere liceat,

quae,

quae, vel ob digreſſiones ſatis nitidas, placeant, vel ob res Italicas, et congruentes temporum rationes, vſui eſſe poſſint. Aelredi inſigne et perantiquum monumentum eſt, multaque prodit, quae hiſtoriam Anglo-Saxonum vel praecipue illuſtrant. De cetero conſilium tuum probo et veneror, planeque ad nutum tuum me fingo, optoque, vt in merita tua recte aeſtimanda non oculos magis conuertant omnes, quotquot virtutem per ſe ac ſine fuco conſiderant, aptique ſunt, vt hoc tam iuſto, et tibi honorifico officio, perfungantur. V. Non. Mart. A. cIↄ Iↄ CXXCII.

CXII.
NOMINE ALTERIVS.

FElicitate tua merito gaudeo, et, diuturnum atque conſtantem hunc votorum meorum fructum eſſe, cupio, Deumque pie et reuerenter oro, laetitia haec mihi aſſidue contingat, ſtabilisque permaneat et fixa. In ſtudiis quantum aſſequi poſſum, pergo, et Ciceroni Caeſarique geographicas tabulas adiungo, quas Doctor meus iuxta cum vtiliori nouaque hiſtoria, diligenter explicat atque illuſtrat. In hac mediocri rerum mearum fortuna obſeruanter peto, vt, cum decori cauſa, tum ob conuentus, praeſertim publicos et ſacros, et faciendam, et mittendam,

dam, mihi tunicam holoſericam cures. Ego nihil dubitabo, quin omni pietate et obſequio proſequar hoc beneficium, Numenque venerabor, vt te, vna cum matre, protegat diutiſſime et conſeruet. III. Id. Mart. A. clↄ Ioↄ CXXCII.

CXIII.
NOMINE EIVSDEM.

ITerum ſe dat occaſio declarandae meae pietatis, gratiaſque habeo pro voluntate in me propenſiſſima et paterna, quam non ita pridem noua et inſigni benignitate ornaſti, pecuniamque curaſti, vt impenſae, in menſam factae, recte ſoluerentur. Conabor deinceps pro virili agere meas partes, et tueri vitae ſtudiorumque decus, nec de induſtria committere, vt quidquam diſpereat, quod in me confertur. De aui valetudine angor, quae afflicta eſſe dicitur, metumque et curam mihi pariter, atque amicis, auget. Ceterum te rogo, vt cauſam meae petitionis diligenter commendes patri, ego, quod mei muneris eſt, facio, Deumque inuoco, vt te diu, feliciterque propitius tueatur. III. Eid. Mart. A. clↄ Ioↄ CXXCII.

CXIV.
PATRONO CVIDAM.

DVdum ratio meae pietatis flagitat, vt de filii ſtudiis perſcribam, quae non pror-

ſus quidem remiſſa ſunt, ſed cetera eius nihil minus placent. Etenim cum militibus nimium familiariter eſt, et captat occaſionem coenandi cum ipſis, quae vita ſicut mihi probari non poteſt, ita facile degenerat in licentiam, et leues ac lepidos ſermones, moreſque eius dignitati haud quaquam conſentaneos, quibus iſtud hominum genus impenſe delectatur. Tum fallacibus fucatiſque horum blandimentis captus quaſi atque irretitus mihi et Stempelio dehortantibus non dat locum, atque eam viuendi rationem in honore poſitam, iuuenili credulitate deceptus, putat. Igitur pro humilima pietate quaeſumus vterque, id ſumma benignitas tua concedat nobis, vt a via, quam ingreſſus eſt, praecipiti, ad rectam et periculo vacuam, revocetur. Francofurti res friget, in pace dedecus damnumque, in bello periculum metuſque animis tractantium occurrunt. Et tamen pacis conſilia praefert, cuius ſpecie Germanis illudi putat hoſtis: bellum interim incruentum ſecure gerit, dum repetit, et vindicat, quae libido ſuggerit. Anglus cunctando, ſimulandoque ſpem fallit. In Tekelium Vngariae Camillum percuſſor immiſſus dicitur, more Hiſpanorum artes has vſurpantium, quum aliter redintegrandae tranquillitatis ratio iniri non poteſt. In extremo Deum rogo,

tuae prudentiae meritorumque lumen his terris aut nunquam, aut serissime eripi, nulla autem fatorum acerbitate extingui vnquam patiatur. Proprid. Id. Mart. A. cIↄ Iↄ CXXCII.

CXV.
IOANNI VVALTERO,
Senatui Luneburgensi a Secretis.

INter varias rerum temporumque horum molestias, permagnam mihi voluptatem litterae tuae attulerunt, et, quam propenso in me animo esses, satis dilucide significarunt. Iactura quidem Conringii, Viri summi, vehementer affectus sum, in quo non Iulia modo, magnum ingenii lumen, sed etiam Germania immortale decus, amisit. Sed nunquam animis hominum, qui litteras amant aut aestimant, excidet viri gloria, quae omnibus, in doctrinae partibus tam exquisita erat, vt vnum praecipue eum haberent exteri, quem mirarentur. Isaacus Vossius, quo, mea quidem sententia, vix doctiorem nunc Anglia complectitur, sic praedicabat, merito suo, Conringium, vt infra eum reliquos omnes haberet, sapienterque sic censor ingeniorum maximus iudicaret. Lutetiae Parisiorum effuse gaudebat Stephanus Baluzius, cum, saluum esse, ex me intelligeret, quin dixit et fassus est,

nemi-

neminem perinde ab ſe aeſtimari, ac Iulium hunc doctorem. Alibi eum Socraticum, non minori ſane praeconio, appellabant, quippe in quo induſtria et iudicium paria facere viderentur. Pars gloriae eſt, ſuccedere tali Viro, ſed, eum exprimere et imitari, eſt inuſitatae laudis, aequare, difficilimum, vincere, ne hominis quidem. Gratulor autem mihi, non deeſſe fautores, qui efficere cupiant, vt vacuam ab eo relictam prouinciam capeſſam. Sed nunc mihi gerendus Academiae magiſtratus, reſtantque alia, quibus ante ſemeſtre defungi non poſſum. Tum non conſtat de ſalario, quod hic modicum eſt, etſi non ſemper tempeſtiuum. Id vero in deterius mutari, nolim, praeſertim, cum ad profeſſionem meam facta ſit acceſſio, quam benignitati Pr. EL. ſingulari acceptam fero. Conſtare ergo oportet de modo ſtipendii, et rerum neruo, de profeſſionis ordine, totaque ratione, quae inſtitutis Academiae continentur. Adhaec, quam late pateant illius muneris fines, porriganturne pari et aequo iure ad res *Eccleſiaſticas* et ciuiles, an beneficio ſingulari ſit opus, ad obtinendum id, quod Conringio ſine vlla dubitatione licebat Hic enim velut in acie ſemper mihi ſtandum fuit, ob tot et tam multas aemulationes hominum, ſtudiis male volentium, vt meminiſſe etiam graue

videatur. Sed ita res humanae ſunt, vt exterui hominis fortuna nunquam non aegre introſpiciatut. Quod ſi quiſquam, ego certe meo exemplo didici, parumque abſuit, quin tribus quatuorue annis abhinc de ſtatione mea deceſſiſſem, niſi Coelo receptus Conringius, idonea et grauitatis plena epiſtola, me erexiſſet. In hac tam difficili rerum conditione ſemper cauendum duxi, ne libertati meae vincula iniicerentur. Manſi ergo hucuſque coelebs, futuri anxius et prouidus ſimul, omneſque opes et copias in bonos exquiſitoſque codices emendos praeſenti animo impendi, cenſuique id vtilius, quam ſeruituti ſuperbientis Helenae totum me mancipare. Nam res ſpeſque hic ita miſera eſt, vt mora prae inconſulto impetu mihi probetur. Ne de aliis dicam impedimentis, quae ſubinde ſe offerunt, nec paruum ad mutandas res momentum habent. Has aliaſque curas tuo ſaepe conſilio leuarem, ſi propiori eſſe liceret. Nunc autem meae mihi ſolicitudines moleſtiaeque priuatim muſſandae, quaſique deuorandae ſunt, vt aemuli ac inuidi nihil eorum, quae deſtino, reſciſcant. Quo circa Daſſouio, collegae meo, iam Hamburgum tendenti, epiſtolam apertius, liberiuſque, et ſane tibi, ſcriptam tradidi, vt certo perferret. Aliam quandam, ſed, obſcure de induſtria

ſtria exaratam, iam diu ante miſi, ratus, hanc ſane tutiſſimam occaſionem eſſe exſpectandam. Vnum te rogo enixiſſime, vt libellum de vita Buvvinkhauſii, Luneburgi praelo excuſum, et a Theologo Io. Valent. Andreae, ſi recte memini, editum, ad me quam primum cures, Nobiliſſimumque Laſſertium, patricii ordinis virum, multo obſeruantiſſime ſalutes. Prid. Id. Mart. A. cIↄ IↄCXXCII.

CXVI.

IOANNI SCHEDIO,

Sacerdoti Staricenſi in Miſnia.

PErmagni aeſtimo tuam amicitiam, ſineque fuco te complector, et diligo, ac probo etiam ſingularem induſtriam, quam in antiquitate elegantiori, magna cum laude, hucdum collocaſti. Illud autem te fugere non poteſt, diffidere Ebraeorum magiſtros ſubinde, et, more ſuo, nugari, quum ſermonem animantibus, rationis expertibus, vindicant, idque ſerpentis, Heuam, primam illam et communem noſtram matrem, allocuti, indicio probare cupiunt, vehementerque contendunt. Princeps auctorque huius ſententiae eſt Aben Eſra, Iudaeus alioqui non indoctus, et magnae inter ciues ſuos atque ſocios, exiſtimationis. Sed fallitur, et abſurde iudicat, nec dignus eſt, cui

hac in re aſſentiamur. Proinde R. Saadias ad eum refellendum aggreſſus eſt, et, ſermonem rationis eſſe comitem, recte tradidit atque confirmauit. Verus quidem et naturalis ſerpens fuit, qui Euam alloquebatur, ſed cauſa altius perquirenda eſt, vt modus loquendi intelligatur, recteque diſtinguatur. Abſit enim, exiſtimemus, ſerpentem ſua et inſita vi fuiſſe locutum, nam, qui loquitur, intelligit et ratione vtitur. Dabat igitur ſine mente ſonos, quum diabolus fraudis pariter, ſermoniſque huius architectus erat, ſinente quidem, ſed non approbante, aeterno ac iuſto numine, quod Heuae ambitionem et erga ſe diffidentiam prouidebat, nec multo poſt, non obſequentem ſuae legi, puniebat. Non leue peccatum fuit, cum vel dubitaret de veritate Dei immutabilis et immortalis, grande autem et capitale crimen admiſit, quum ſerpenti, id eſt, diabolo, per ſerpentem loquenti, indulgeret, perſuaſionumque illecebras audiret pariter et aſſenſu exciperet; legemque Dei veram et iuſtam praefracte violaret, neque ſola peccaret, ſed Adamum quoque in eam ſententiam falſa perſuaſione induceret, ſibique et poſteris culpa ſua accerſeret mortem. Appoſite Theologi dicunt, *verum quidem, ſed non merum*, fuiſſe ſerpentem, qui tam callide fallaciterque ſermocinaretur.

tur. Christiani quod sciam, non ita delirarunt, vt putarent, bestias fuisse locutas, alienumque est, quod de magno religionis nostrae interprete et instauratore, Luthero, affertur, qui non de sermone, sed de incessu, serpentis tradit. Psittaci, picae et corui, non loquuntur proprie, sed figura quadam imitantur loquentes, quum reddunt species, vsu et assuefacientium instituto, easque, non menti, qua carent, sed memoriae, impressas, sine iudicio promunt, quas deinceps ope phantasiae, non rationis auxilio, sibi reuocant, nec proprie loquuntur, nec intelligunt, quod loqui videntur. Exempla ergo adducta non fraudi sunt nobis, et facile diluuntur, quippe quae ad artes praestigiasque daemonum certe pertinent, probantque, esse malos genios, qui spectra exhibeant, et simulacra, fallendi terrendique causa, adornent, callideque moliantur. Asina Balaami etiam per se nihil locuta est, sed motor magisterque loquendi Deus fuit, vocemque modo, naturae vim excedente, elicuit, vt Balaami stupor vel sic tandem castigaretur. Hic disputauit quidam Hilligerus, Chemnicensis, de Asina Balaami, nec absurde de plerisque absurdis Hebraeorum commentis, sententiam dixit, cuius deinde copiam tibi faciam, si facias, vt intelligam, tibi placere.

Etiam Kunadus de ſerpente, Heuam allocuto, aliquid commentatus eſt, ſi recte memini, de quo in poſterum perſcribam. Aben Eſrae verba in Latinum conuerſa, haec ſunt: *Mihi rectiſſimum videtur, textum hunc accipere ſecundum litteram ſuam, ita, ut purus ſerpens ſit haec locutus, idemque ante illam poenam inceſſerit erecto corpore, et, qui poſuit intellectum in homine, etiam in ſerpente potuit tale quid ponere, et hanc meam expoſitionem comprobat textus, dum dicitur fuiſſe aſtutior, ſiue callidior, prae omnibus agri beſtiis.* Nunc demum opto, vt belle valeas feliciterque agas. Vitembergae, Id. Mart. A. clɔ lɔCLXXXII.

CXVII. AMICO CVIDAM.

PVlchra et magna, atque, quod praecipue aeſtimo continua ſunt beneficia tua, quibus et me ornas, et, quanto potes ſtudio rem litterariam auges. Liber itinerum Ambroſii, *Abbatis*, mihi fuit multo acceptiſſimus, nec aliter, quam theſaurus elegantiae ſapientiaeque, aeſtimari debet. Et profecto mihi ſe commendat illa, quam tranſmiſiſti, P. Faſſei docta et luculenta diſſertatio, quae non ſomniis ac ſimulacris fallentibus, ſed veris et euidentibus argumentis, conficit rationes temporum, vt non modo certus

ba-

baptiſmi diui Auguſtini annus nunc plane intelligatur, ſed accurato etiam quodam charactere definiatur. Modus ſcribendi placet vtrinque, cum ob nitorem ſtili, quem amant hae litterae, iureque ſibi vindicant, tum etiam ob variam lectionem. Habitant apud vos Muſae, et natiuam habent ſeruantque elegantiam, nec amant ſtribliginem et ſordes, quas multi, neſcio qua ſubtilitatis ſcholaſticae affectatione, conſectantur. Pleraque exempla miſi Dreſenam, et conſiliariis, quorum in me extant merita, ſtatim reddenda curaui, vt haberent, quo leuarent moleſtias, quibus tunc patriae cauſa, diſtinebantur. Nihil opinor, praeter voluntatem tuam feci, et Sennerto pariter, quod velles, approbaui. Hekelius prope inops et exſpes agit, quod res eius cum patrono quodam inſigniter conuerſae ſunt, ac nondum apparet ratio, qua conuenienter et recte deinceps emergat. Lipſienſes noſtri, honeſta quadam externae induſtriae aemulatione, nuper Acta Eruditorum ab A. cIↃ IↃ CLXXXII. auſpicati ſunt, ſed in ſententiis dicendis perparci ſunt et abſtinentes, et diſparis quoque notae ſunt libri et ſcripta, quae ibi tractant et expendunt. Aula tota eſt in explicandis belli conſiliis, quae res ipſa poſtulat, et ſumma exprimit, neceſſitas, neque alia conſtat ratio depellendae ſerui-

tutis,quae nunc quidem Germaniae impendet,nisi armis se expediat, gloriamque maiorum et fines tueatur. Inter hos strepitus turbasque nihilominus litterae diligenter commeabunt, et pacem otiumque retinebunt studia et artes,si vel maxime Reges Principesque collidantur et pugnent. Ita bene agere te volo, et decus tuum aeternum esse opto, quod Dresdenae ac Berolini, inter summos maximosque reipublicae proceres, celebratur. Vitembergae apud Saxones, Id. Mart. A. cIↄ Iↄ CLXXXII.

CXVIII.
EIDEM.

Romanae curiae odium tibi gratulor, quod virtute conflatum est, nec frangere te potest, sed iure erigere debet, vt nihilo remissior sis, quam antehac fuisti. Dabis hoc reipublicae et nobis, ac prouinciam hanc laudis deinde trades filio, cuius itinera et labores praeclaram mihi spem faciunt,et hortantur, vt credam,tibi non dissimilem fore. Apud nos de Theologo ad partes Professoris capessendas multum diligenterque deliberatur. Aula, quantum perspicere possum, de Bebelio bene sperat, et praesulis vna munus in templo arcis,quod hic est, spondet atque affert. Patres etiam votis expetunt viri aduentum, et suffragiis no-

nominarunt, Principique commendarunt. Helmſtadii e vitae gloriaeque theatro exceſſit ille ſummus Conringius, cuius obitum non mediocriter doleo, nec ſcio, quem ſucceſſorem habiturus ſit Vir nullis ſaeculis tacendus. Annotatis, quae in librum de Finibus Imperii Germanici moliebatur, glorioſe immortuus, nec ſine omine ſiniſtro, quum prope finis, aut triſtis luctuoſaque ſeruitus, imperio iam impendet. Itaque e republica viſum eſt belli conſilium, quod ſumma induſtria perficit Sereniſſimus Princeps EL., militeſque conſcribit, et ſupplet cohortes, delectuſque habet, quae vna et neceſſaria libertatis ſeruandae ratio eſt. Iniqui enim in nos poſteroſque ſimus, ſi patiamur ignaui obſoleſcere prorſus et intercidere maiorum gloriam, ſanguine belliſque partam, et diu, ſemperque ſtrenue, defenſam. Agitur praeterea religionis cauſa, et ſacra, ob templa paſſim intercepta, periculum adeunt, et pari atque eodem iure acceſſionum cenſentur. Pontifex ab Auſtriis non quidem alienior eſt, ſed Patres, qui ſe a ſodalitate Ieſu nuncupant, ſuaſores impulſoreſque ſunt ad has triſtes formidoloſaſque res conficiendas, non aliter, ac ſi effoeta iam Auſtria nec ſibi ſufficere, neque conſiliis reſiſtere, in poſterum poſſet. Primus credo, impetus in Sueuiam effundetur, cui et vicinis

regionibus vincula iniecta ſunt, vt tuto libereque de libertate ſua non audeat conſultare. Sero tamen et prudenter ſapit Br. Sueoneſque nunc malo intelligunt ſuo. Deus nos reſpiciat, et conſilia ambitioſa diſſipet. Vereor enim vel bellum triſte et luctuoſum, vel pacem quoque bello deteriorem. Ita valere te volo, celeberrime Vir, quem iure amo veneror que. Vitembergae IIX. Cal. Apr. A. cIↃ IↃ CLXXXII.

CXIX.
PHILIPPO IACOBO SPENERO, DOCT. THEOL.

RES noſtrae in veteri ſtatu ſunt, niſi quod Meiſnerus vacuam reliquit prouinciam, nouo deinceps ſucceſſori capeſſendam. Pro te, quantum in nobis fuit, multi ac in te propenſi ſententiam diximus, ſed Theologi, neſcio, an conſulto, ne verbo quidem tui mentionem faciebant. Suſpicor, quoſdam abs te eſſe alieniores, quanquam Calouius afferenti librum tuum omnia amicitiae officia ſignificabat atque confirmabat. Ex aula mihi affertur, de Bebelio ad nos inuitando, deliberari, quod conſilium fortunet Deus, ac poſtea te nobis exhibeat, benigneque impertiatur. Praeſulis in templo arcis munus ſine dubio, cum acceſſione Profeſſionis Theologicae, in eum

eum conferetur, tum, si decesserit Calouius, Antistitis generalis dignitas nouum successorem exspectat, quam tibi cedere, beneque euenire, cupio, si Bebelius te, virtutis meritorumque consensu, huc inuitet ac trahat, quo nihil prius mihi, nihil felicius Academiae accideret vnquam. Rogo te magnopere, vt in litteris, ad VVittsteinium perferendis, me de mora rescribendi ad Illustrissimum Comitem, Georgium Fridericum, purges, cui prima occasione scribam. Consulatus Academiae, quem Rectoratum vocant, mihi, ad conficiendum Historiae Waldeccensis negotium, Arolsam profecturo, velut vincula iniicit. Quomodo me expediam, ignoro. Si recuso, odio non vacat, si accipio iter ad semestre differetur. Orthii vestri res, vt audio, nondum meliori loco sunt. De Illustrissimo Gersdorfio consilium non succedet, quoniam, vt nunc saeculum est, belli artes pretium habent, quae tam sunt necessariae, quam amor est libertatis. Satis diu veterno indormit Germania, et malo suo laborat, discorsque est ad vltimam vsque perniciem, et, nimis speciose falli se, patitur, ac sero damna sua intelligit et aestimat. Vtcunque res cadat, aut bellum geritur anceps, atque luctuosum, aut, pace decepti, paciscemus foediorem seruitutem. Quid agamus priuati homines?

nes? Inter temporum miſerias pietate nos firmabimus, et pacem quietemque ſtudiis tuebimur, et votis, quaſi armis, in acie ſtabimus, quibus modis in ſpem venio, fore, vt hoſtis praeualidus et inſolens deſinat infeſtare rempublicam, et, fato metuque confuſus, iuſtas vel ſic poenas, non aliter, atque olim Nabuchodonoſor, pendat, fabulamque in communi hoc rerum humanarum theatro, exitu tragico et infelici, claudat abſoluatque. Ita te Deus cum nobiliſſima familia ſeruet, protegat, tueatur. XI. Cal. Apr. A. clↄ Iↄ CXXCII.

CXX.

IOANNI GEORGIO ORTHIO.

Patricio Francofurtenſi.

BEne tibi cupio et ſincere volo, vt res tuae meliori loco ſint, et in primis paternae floreant, quod omnes prope in Saxonia mecum optant. Illuſtriſſimus Vir, quem noſti, miſſa faciet litterarum ſtudia, totumque ſe belli artibus tradet. Nec male, ſibi Procerum filii conſulunt, quum Principem *El.* propenſo in milites animo vident, cogitantque, hanc opportunam facilemque eſſe emergendi viam. Aut enim Graecos imitabimur et ſeruierimus, aut bellum gerendum eſt, vt ſeruitus depellatur. Tu vero ſerua animum, et propoſito inſta

et

ac fac, vt redeas ad nos, et mecum ſis, vnaque domo et menſa vtaris, niſi mauis, vt prius ad vos veniam, quod credo futurum, ſi, itinere Arolſam confecto, idonea expeditaque occaſio detur. Inuitat enim me, et, iure quodam ſuo, iubet, Illuſtriſſimus VValdecciae Comes, ad ſe vt veniam, et rationes hiſtoriae Valdeccenſis perficiam, annuit Saxo meus, et magni aeſtimat prudentiſſimum, fortiſſimumque hunc bellatorem. Sed vix licebit, priuſquam conſulatu Academiae decedam, etſi adhuc dubius incertuſque ſum, onus mihi tam moleſtum imponi patiar, nec ne? Librum actorum itineris compingendum curaui, et reliqua ad meum iter ſigillatim pertinentia, collegi et conglutinaui, quae ſimul omnia libere vſurpabis, et non magno negotio deſcribes. Ignoſce huic poſtulato, vt mea opinio eſt, non iniquo, quod ſi nolis probare, ſeiungam rurſus, et te non fruſtrabor. Vale, ac patrem, fratrem, neceſſarioſque, ſaluere meo nomine iube. Id. XI. Cal. Apr. A. cIↄ IↄCXXCII.

CXXI.
CORNELIO DE LVKOVVIN,

In ſuprema prouocat Curia Sax. EL. Senatori.

DIfficile adhuc et varium filii ingenium ſenſim fingitur ad conſtantiam probi moris,

moris, et, quantum diuinare possum, litterae illae seueriores, quas Dresda misisti, permagnum habent momentum. Pflugii, optimi ac diligentissimi iuuenis, consuetudo multum ei prodest, qui praeterquam quod laudis exemplum praebet, cohortando quoque instat. Vitae morumque praefectum, nescio, an patiatur eius indoles, quae paullatim comiterque flecti potest, sed reprehensioni durisque verbis obnititur ac resistit. Quanquam per se vtilis foret haec ratio, et moderationi rerum omnium conduceret magis. In scholis Iuridicis L. Pompeii omnem adhuc operam ponit, sed amoeniora studia humanitatis ac historiarum remissius tractat, ratus, suo se Marte proficere in his posse. Sed longe alia mens est Pflugio, qui pari diligentia coniungit necessaria et iucunda, agitque sedulo has partes, et recte putat, ornamenta haec non esse negligenda, praesertim iuueni Equestris Ordinis, qui his praecipue se distinguit a vulgo, atque ad fastigium reipublicae contendit. Hospes D. Zieglerus in reliquis vitae partibus modestiam et decora colloquia spectat, et seria interdum iocis temperat, excitatque conuictores et recreat, cuius latus apud mensam claudit. Tantum rogo te, Domine, et obtestor, interdicas ipsi nocturnis deambulationibus, quas, inscio hospite, insti-

instituit, et, me ex aedibus egresso aliorsum dilabitur, sodalesque quaerit. Haud dubito, quin, semel iterumque grauiter monitus, tandem lubrico incepto desistat, et omnes vitae studiorumque partes ad voluntatem et iussa tua conformet. Id quod ego vehementer cupio et opto, atque te cum inclu-ta gente, felicem fortunatumque esse, omnibus votis precibusque a Deo immortali contendo. V. Cal. Apr. A. clↄ lↄ CXXCII.

CXXII.
BENEDICTO KRESSIO,
Aerarii EL. Sax. praefecto.

GRatulor tibi partes in curando principali aerario susceptas, et, qua ducor religione animi, vota facio, vt diu et feliciter munus hoc geras, meque in primis tuae beneuolentiae commendatum habeas, ac de me ita sentias, vt fama te fert et aestimat ab animo in eruditos propenso. Hac fiducia fretus, qua decet, peto obseruantia, vt salarium auspiciis *Serenissimi* dudum mihi attributum, et huc usque perceptum, quo per annum iam careo, pro summa in litteras voluntate et amore singulari, maturare ne graueris. Annitar pro virili rependere hoc beneficium, et, quia nihil est, quod a me in tua merita extare possit, dabo operam, vt in filiis tuis, si quando huc venient, instruen-

dis nemini concedam. In extremo Deum veneror, vt nobilissimae familiae, et, Misenensi reipublicae, et patriae, ac sigillatim Academiae nostrae, quae nouum benefactorem sibi expetit, et non vano omine exspectat, felicem sospitemque te seruet. Prid. Cal. Aprilis A. cIↄ Iↄ CXXCII.

CXXIII.

SAMVELI HEMSDORFFIO.

SOlemnia ordinis creandis Philosophiae artiumque Magistris sacra instant, et te socium honoris expetunt, ac, me interprete, nunc perquam comiter inuitant. Da ergo hoc meis precibus, et profitere nomen inter candidatos. Mihi prima cura erit et iuuare te, et commendare Decano, et omni studio efficere, vt honestissimo loco orneris. De pretio ita conueniet, vt XXV. numis vncialibus omnes impensarum rationes conficere queas. Opinor, hoc te non defugere, et spero Patronum ab ea sententia non esse alienum, et sumptus non grauato suppeditare. Vale V. Eid. Apr. A. cIↄ Iↄ CXXCII.

CXXIV.

CHRISTOPHORO ARNOLDO.

ILlo ipso temporis articulo, quo tuae multo suauissimae litterae cum fasciculo perlatae sunt, Io. Christoph. Langius, e vestigio

gio abiturus, mihi indicauit, se Norimbergam esse transiturum. Igitur non potui, quin aliquid tibi mitterem, quod nullo quidem, nisi grati animi, indicio aestimabis. Rara, et prope inusitata, filii tui felicitas magnopere mihi placet. Recte enim prudenterque facit, quum occasione utitur, et virum tota Europa doctissimum demeretur. Non pigebit te impensae, nec temporis poenitebit filium, quod nunquam, mea opinione, vtilius sane collocare potuisset. Magliabechius Italiae suae lumen est, et radios ingenii sui iam diu mittit trans Alpes, Germanosque et Belgas collustrat. In posterum ei et tibi, de Imperii Carolini diuisione, veniet aliquod animi propensi pignus, quod testetur, quam praeclare de vtroque sentiam. *Decima prosa* transmissi ex Italia opusculi ingenium prudentiamque ostendit, et apprime placet, ac singulare nouumque, et his temporibus aptum sane argumentum complectitur, et quaedam non vulgo obuia rerum ciuilium capita declarat. De *Patriarcha* apud Gallos constituendo suaue commentum est, quod, non dubito, quin per se intelligat, quisquis consilia istius regis, et acta in parte regiminis *Ecclesiastici*, et *regalium* siue, vt vocant, *regaliarum*, nouit. Neque id non officit prudentiae et securitati regis, et exemplis superiorum regum aduer-

ſatur, quae ad Pontifices in ordinem redigendos, pertinuerunt, vel intra minas ſaltem manſerunt. Franci enim Romanae ſedis defenſores et vindices fuerunt ſemper, et, fuiſſe, gloriati ſunt, et extorres eos tuendos ſuſceperunt, non autem *Eccleſias* ab iis ſeiungendas eximendaſque, cenſuerunt. Nam, ſubducere ſe Romanae ſedi, et adſciſcere *Patriarcham*, non intelligitur, qui vult et cupit, vt regimine ſaltem moderato fungatur quod Galliarum libertati minime fraudi ſit, quodque cum ſuperioribus et antiquis earum priuilegiis non pugnet. Id. April. A. clɔ lɔ CXXCII.

CXXV.
PETRO HOMFELDIO.

SEueritati Patrum interceſſi, cauſamque Cladouii quanta potui, diligentia in ſenatu egi, et pleriſque renitentibus, effeci, vt poena *relegationis* ei ne irrogaretur. Nam, exiſtimationi familiae id dandum eſſe, cum primis cenſui, vt eum gnauiter tuendum ſuſciperem, in quem publica doctrinae praemia contuliſſem. Peto autem magnopere, non meo ſolum, ſed praecipue totius ordinis noſtri, nomine, vt pecunia, quam debet in ſolidum, ſoluatur. Verſatur in eo dignitas Cadouiani nominis, et mea fides, quam dedi Academiae, fore, vt creditoribus ſatiſfaciat, prae-

praesertim Ordini, qui sumptu suo eum adiuuit, benigneque ornauit. Ego, quoad possum, enitar, vt sentias, me nullo non tempore et auctoritatis, et officii tui, rationem esse habiturum, uenerorque DEum, vt florentem te saluumque patriae tuae seruet, et pericula impendentia clementer auertat. De rege Daniae huc fama affertur, quae metum iniicit noui belli, habentque Sueones, cur a vicino et affine sibi timeant, quem Gallus sibi deuinctum habet. Francofurti postulata quidem mitiorem in partem adornantur, sed fucus est. Incauti sumus, vereor que, ne, blandis speciosisque promissis decipi nos, patiamur. Ideas Platonicas, in apparatu et effectu consiliorum Germanicorum, quis prudens non intelligat? Male agitur cum patria communi, quae diu deliberat, et tandem exsequitur nihil. Prid. Non. Iun. A. cIɔ Iɔ CXXII.

CXXVI.
AMICO CVIDAM.

POstulas a me, vt rescribam, quid mihi de Simonis historia critica videatur, quod non admodum difficile est, quando ex rebus ipsis deprehendi, scriptorem hunc sibi nimis indulgere, et mouere veteres terminos, Hebraeique codicis veritatem vocare in dubium, et corruptelas obiicere pluri-

mas, Latinamque veterem versionem nimiis ornare ptaeconiis, et primo etiam diuinoque anteponere instrumento. Res haec ingenium scriptoris ostendit, et nititur coniecturis, certisque monimentis probari non potest, et viam munit ad Scepticismum, in sacris valde periculosum, neque a cordato Critico ferri, nedum laudari, debet. Miror autem, Theologum quendam apud Batauos eximium, discessisse fere in eius sententiam, et, vel eo nomine, multum de fama opinioneque sua detraxisse. *Hugonotti* in Gallia, et ceteri *reformatarum* partium, prope detestantur nouum criticum, et deplorant audaciam hominis maximam atque inauditam, quippe qua et sanctae linguae, et veritatis coelestis, firma et vera fundamenta subruuntur. Sed agam de eo alibi, et, quid de Mabillonio Lipsienses sentiant, referam, strictimque explicabo. Non. Iun. A. clɔ Iɔ CXXCII.

CXXVII.
OTTONI MENKENIO,
Prof. Publ. Lips.

Adhuc strenue desudas, et superiora incepta diligentissime persequeris, et magnum felicemque eruditorum prouentum tempestiua sedulitate ostendis, saeculumque hoc tibi grauiter deuincis. Etsi enim perpau-

pauci ſunt, quos Socratici ingenii gloria commendat, tamen non plane negligendi ſunt, quorum doctrina modica et vtilis eſt, quos aliquo ſaltem loco eſſe patiamur. Et in his ſaepe aliquid reperimus, quod alibi legiſſe non meminerimus, neque id non variae eruditioni expedit, quam tot tamque diuerſos, et inſtituto ſucceſſuque diſpares, ſcriptores in vna veluti tabula, cum iudiciis congruentibus, intuemur. In quo negotio et boni, et docti, iure tibi ſuffragantur, et, ex re litterarum eſſe, per ſe intelligunt, ac vltro confitentur. Vnum doleo, quod, cum multa bonitati tuae accepta referam, tum in praeſens non habeam, quod tibi reddam. Sed impeditae ac permoleſtae conſulatus Academici rationes omne prope tempus, quod ſtudia ſibi vindicant, vel inuito mihi eripiunt, vt nihil ad ſpecimina publica relinquatur. Interim vale, et amorem, quem, pro eo, ac par eſt, magni facio, conſtanter in poſterum ſerua. Idib. Iun. A. cIↄ Iↄ CXXCII.

CXXVIII.

NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

NOn deſerui, ſed intermiſi, hucuſque partes meas, quas agere diligentius cupio, et iure debeo, ſi moleſtiae ceſſauerint, quibus ſubinde impedior, et ab incepto retra-

hor,cuius perficiendi desiderium toties animum meum incessit,quoties de infinitis tuis in Academiam, atque in me ipsum, extantibus plurimis maximisque meritis, cogito, quae nostris venturisque aetatibus et saeculis omnino et digne praedicabuntur. Saluianum,diu expetitum, Illustrissimae Coniugi mitto, libenterque dono, cuius comparandi difficultas me de mora purgabit. Ipse enim meo exemplo carere non possum, ubi varia ad oram annotaui ac emendaui, quae priuatim seponi, et mihi seruari, oportebat. Pars in eo inest historiae Burgundionum, Illustrissimo nomini tuo a me inscriptae. Qui vim rationemque diuinae prouidentiae pie sapienterque explicauit, et alienas improbasque *paganorum* sententias docte et gnauiter confutauit. Inclinata Imperii Romani fortuna,et,conuersis populi Martii rebus, multi et velut ad desperationem redacti homines affirmabant,non esse Numen prouidum et regens, quippe quod, omnia perturbari et ad peius recidere,patiatur. Id vero culpae religionis *Christianae* datum est, cum qua felicitas Imperii senescere coeperit, vt friuole audacterque *pagani* calumniabantur. Quod praeclare refellit venerandus ille *Presbyter*, et in mutatum Christianorum vitam inuehitur, grauiterque per omnes partes tractat hoc insigne argumentum.

tum. Ne vero Saluiani tempora nobis redeant, orandus eſt Deus, quando impietas fere regnum tenet, et petulantia in Academiis nimia graſſatur. De ſunt Saluiani, poſtquam ex Theologia ars facta eſt, pietaſque ab hominibus pietatem profitentibus tantum non contemptim habetur. Itaque non potui, quin delatum ad me Academiae Conſulatum, iuſta ſeueritate temperarem, vomica a corpore reſciſa. Nam, vbi patientia augetur malum, leges expromendae ſunt, vt aequi honeſtique diſciplina conſeruetur Hanc in rem edidi exemplum, et Sileſium Equitem, de ſententia Patrum, relegaui, qui nihil non tentabat, vt ſiue lites ſereret, ſiue ciues contumelioſe tractaret. Patrimonium fere profudit, propeque ad incitas redactus eſt, cuius exitus vtinam homini potius, quam ferae, conueniat, ſalutique ſuae conſulat, ac tandem melior fiat. Interea pro incolumitate Illuſtriſſimae tuae Gentis, et pro gloria fortunaque tua, vota facio ſupplex, vt bonitate tua ſemper fruar. XVI. Cal. Sextil. A. cIↄ Iↄ CXXCII.

CXXIX.
PETRO HOMFELDIO, IC.

SVmma aeris alieni, quod conflauit Cadouius, continetur hac ſchedula, quam vna mitto, quia creditores omnes cum ſyngra-

phis apparuerunt, et rationes perſpicuas manifeſtaſque mihi fecerunt. Triginta numos vnciales, quos ad Heberum curaſti, repraeſentandos, iam certo accepi, ad quos illi quatuor pertinent, quos ſub titulo ordinis Philoſophici deſignatos vides. Non enim in meo arbitrio poſitum eſt, de pecunia, decreto Patrum conſtituta, quicquam remittere, nec te fugit, quam accurate exigant Patres, quod iure ad eos ſpectat. Impenſae, quas facere me oportuit, ſexcentis aureis conſtant. Praeter has aerarium Academiae, cenſores ſtudiorum, quos *examinatores* vocant, miniſtri Academiae, homines mercenarii, et ad apparandas epulas publicas conducti, petunt poſtulantque bonam partem. Vnum ſolatium eſt, quod hi ſumptus honeſtae laudis cauſa facti ſunt, quibus ſenſim paulatimque ſe liberabit, et, nihil amiſſum eſſe ſentiet, quod in talium expenſarum codicem refertur. Interim reipublicae noſtrae adminiſtrandae ratio fere deperit, et miſeriae publicae nondum finis moduſque eſt. Ciues quotidianis vectigalibus exhauriuntur, militeſque ad onus potius, quam ad defenſionem, conſcribuntur. Controuerſia reſtitutionis Francofurti haeret, caputque firmandae pacis VVeſtphalicae et Neomagenſis commouet animos, non componit. Erit tandem haec Germaniae ratio, ut,

ut, si ipsa deinceps sic agat, vel male affecta concidat, vel iugum infelix perferat et patiatur. Nisi forte Deus nos respiciat, et pericula ac probra in hostem, sua felicitate insolentem, vertat, remque publicam labentem fulciat, et benigne tueatur. d. v. id, Aug A. cIↄ Iↄ CXXCII.

CXXX.
IO. GEORGIO ORTHIO
Patricio Francofurtensi.

VIx dies abit, quin de te cogitem, quin optem et voueam, vt quamprimum inter nos colloquamur. Volo enim, cupio que facere tibi satis, et stare promissis, ac prouehere tua studia altius, et spectare meliorem tuam fortunam. Nunquam amor familiae tuae animo meo excidet, si ferat occasio, vt ostendam rebus voluntatem in te propensissimam. Tempora quidem, nunc ancipitia et calamitosa, multos conatus impediunt, sed te, laudi et commodis reipublicae natum, non frangant, nedum prosternant. Spes vtrumque teneat cumulandae fortunae, quae nondum ita benignam se praebet, vt arcta officiorum necessitudine et aspectu mutuo fruamur. Scio constantiam tuam, et vim excitam meritis, quae dudum a vulgo te distinxit. Vide, vt hanc serues, ne langueat industria tua, cuius fru-

ctum abs te ſperant boni, aequique omnes. Zieglerus ſaepe de te loquitur honorifice, et, quid agas, quaerit, et, vbi nobiliſſimus frater ſit, ſciſcitatur. Cui pro dignitate familiae tuae reſpondi, rationemque reddidi, quae tibi praeſertim et fratri non minus decora videbatur. Tantum de lite Spirenſis fac, vt certiora ſciam, cuius, exitum precor optimum fortunatiſſimumque. Eſt in eo negotio ſitum gentis tuae decus, et quid non? Ego, ſi laeta proſperaque fata reſciſcam, niſi venias, poſitis faſcibus, ipſe te viſam et anteuertam. Deſtino enim iter in Batauiam, Celſiſſimi Principis VValdecciae gratia, cuius vitam ſuſcepi ſcribendam, ſi inſtitutum ex animi ſententia ſuccedat. Cal. Sept. A. cIↄ IↄCXXCII.

CXXXI.
OTTONI MENKENIO.
Prof. Publ. Lipſienſi.

NVnc me iterum mihi vindico, poſtquam magiſtratu abii, atque ad litterarum ſtudia, quod praefiſcine dixerim, me referre coepi. Tanto frequentius deinceps ad te commeabunt epiſtolae, quanto liberior ſum, ex quo me reuocaui ad priſtinos labores, quorum pars quoque mutuo literarum commercio continetur. Nulla enim, opinor, excuſatione opus eſt, praeſer-

ſertim apud te, quem, ſcio, eſſe aequiſſimum, et condonare ſuperioribus moleſtiis grauem, et probe liberalem moram. Quod de Kunckelio voluiſti, libenter et vltro facturus eram, ſi praeſens cum illo conferre potuiſſem. Non autem neſcio, promptum fore, ſi, vlla in re probare ſtudium queat. Multa enim et eximia habet adiumenta, quorum aliqua apud nos, Annaeburgi et Dreſenae, ſibi comparauit, et argumenta operarum Auguſti tractauit et perquiſiuit, quarum ratio, iudice Vulcano, ipſi conſtat. Intuentur in eum Angli, et artis exempla aeſtimant, in qua opinione nuper admodum Prageſtus, ex Italia redux, me confirmauit, qui, Berolinum tranſiturus, apud Kunckelium inuiſet, propiuſque eius res explorabit, et deinde Hamburgo in Angliam traiiciet, ad ſocietatem relaturus. Nam et ipſe huic arti plurimum indulget dedituſque eſt, et in aula Lichtenſteinii Principis experimentum fecit, Romaeque acceptus fuit, ac Regina etiam Chriſtina de ipſo retinendo cogitauit, ſi ab eo ſane impetrare potuiſſet, vt ritui Romano nomen daret. Libros quoque raros et nouos, praeſertim in Italia et Anglia editos, in numerato habuit, et magnopere mihi ſatiſſecit, ac de eruditorum in me ſtudio plura dixit et aſſeueraūit, libroſque optimos ad me curatu-

turum ſe, recepit. Nunc mihi, de reddenda tibi vice deliberanti, nihil ſuppetit et in promptu eſt, praeter diſſertationem de Diuiſione Imperii Carolini, quam beneuole vt capias, enixe rogo. L B. Gerſdorfius, iunior, pariter te ſalutat, et, deuinctum ſe tibi magnopere, fatetur. d. IIX. Cal. Nov. A. cIↃ IↃCXXCII.

CXXXII.
IOACHIMO FELLERO,
P. P. Lipſ.

NOn me continere potui, quin ſubriderem, poſtquam bellam facetamque tuam de Hercule comparationem legi. Vide autem, quomodo te expedias, cum de regula ſimilitudinis nimium deflexeris, Herculique cothurnum aptaris. Sed bene res habet, et ſcio, te ſalibus delectari, iociſque etiam ſeria prudenter temperare. Ego vero iam gratulationis tuae fructum capio, et litteris, a quibus me negotia ſtrepituſque litium ſeiunxerant, me totum vindico et trado, ſaepeque opto tecum eſſe et confabulari. Interim per epiſtolam inter nos colloquamur, et animos, temporum miſeria propemodum fatiſcentes, erigamus. Demum accipe diſputationes, et benigne inter tuas repone, et collegas tuos diligenter ſaluta, in primis Albertium, Virum in curandis ſuis

is ad me, ſupra quam dicere poſſum, libera-lem XIIX Cal. Ian. A. cIↄ IↄCXXCII.

CXXXIII.
MATTHIAE ZIMMERMANNO,
Doct. Theologo et Antiſtiti Miſen.

MAgni ſunt mihi litterae tuae, et, repetita vice, beneuolentiam ſignificant atque confirmant, niſi quod ego negligentiae et tarditatis culpam deprecari debeo, quam tamen mihi, hucuſque impeditiſſimo, crimini non dabis. Poſtquam enim magiſtratu Academiae abii, multae, vt fieri ſolet, moleſtiae me exceperunt, praeſertim tales, quae ad conficiendas rationes geſti muneris pertinent, quibus operam tempuſque impendi. Nunc, vbi liberior factus, quaſique in libertatem vindicatus, ſtudiis me reddo paullatim, commerciaque litterarum cum eruditis rurſus inſtituo, ac tibi, quod debeo, mutuus do, largiorque exiguum, et acceſſione auctum libenter transmitto. Opus tuum cupio videre, et opto, ut quamprimum edatur, petoque, ut ad Schumacherum de eo perſcribas, qui, etſi temporum difficultates conqueritur, et obtendit, tamen ad ultimum, vinci ſe, patietur, et petitioni meae concedet. In primis autem Inſcriptiones et Graecae lectiones veterum, corrigentis operam requirunt, ac de me polliceor omnem dili-

diligentiam, quantam quidem eo in genere nauare tibi poſſum Sine dubio autem Graeciam Latiumque priſcum illuſtrabis, et antiquitates thermarum balneorumque egregie ac erudite explanabis. Ex numis quoque multa colliges, et imagines ut, fieri par eſt, deſignabis, totumque hoc laudis et induſtriae plenum inceptum perficies, pluraque litterato orbi, diligentiae tuae teſti et ſuffragatori, feliciter dabis. Ita bene agere te volo, meque tibi commendo, qui ſum et honoris tui cupidus, et laboris tui aequiſſimus aeſtimator. A. CIƆ IƆ CXXCII, XIIX. Cal. Ian.

CXXXIV.

IOANNI CHRISTOPHORO BECMANNO,

Prof. P*ubl. Francofurt.*

EVnti ad vos Philoni litteras dare volui, ut propenſae tuae in me voluntatis memoriam renouarent, quas tibi non diſplicere confido. Nec tamen hucuſque te oblitus ſum, ſed iuuenes, ab vrbe veſtra profectos, ſemper de rebus tuis interrogaui, et, cum, florentes eſſe, intelligerem, ingens ſincerumque ex eo nuncio gaudium cepi. Diſputationem de Diuiſione Imperii Carolini, Meyero ad te perferendam tradidi, et iam Thiloni Iuſtinianum Ortho-

Orthodoxum addidi comitem, vt, amorem tui nominis penitus mihi insitum esse, cognoscas, sentiasque. Is, tibi commendari, gestit et petit, nec patrocinio indignus est, rogoque, vt eum beneuolentia tua complectaris, et aditum ad Nobilissimi Strykii amicitiam aperias, ac, quantum in te est, benigne consulas, et opituleris. Pater ipsius, Consul, dignitate Syndici hic fungitur, et iureconsultus est, sed, vt durissima iam nostratis reipublicae tempora sunt, et vectigalia tributaque frequentius exiguntur, rationes vitae tenere arctius et circumscribere necesse habet. In Graecis Latinisque mediocriter versatus est, et historiae meliorisque philosophiae rudimenta sic didicit, vt iam in scholis Iureconsultorum stare cum laude possit. De republica communi incerta alioqui spes est, recuperatio Argentorati difficilis, aut nulla erit. Omnia prope Germanis desunt, concordia diu periit, fines hosti aperti sunt, consilia et morbi aularum patent. Quid agamus? fatum nos vrget et ira Numinis, dolendumque litteratis est periculum sacrorum. Principes de libertate videant, qui nullo loco in Gallia sunt, et passim ridentur. Caesari ipsi non parcitur, resque eo redit, vt ferme nos suppudere debeat, incidisse in ea tempora, dum Germani Gallorum ludus iocus-

que ſunt, dum vnus omnibus dictatoria auctoritate praeſcribere regulas, et definire pactorum tempora, contra libertatem gentium audet. Legati enim Regis, omnia pro nutu agentis et ordinantis, conuentum, pacis gratia Francofurti inſtitutum, diſſoluerunt, quod claſſicum noui belli eſt, niſi Ratiſbonae tractandae pacis ratio ſuſcipiatur. Sed priuatis haec muſſanda ſunt, et rerum conſiliorumque exitus Deo permittendus, tibi vero nihil non precandum optandumue eſt, quod cum famae, tum familiae tuae, conducat, neque dubito, quin Thilo noſter tuam beneuolentiam ſibi colligat et conciliet, conciliatamque ſeruet, gratus, pro modo facultatum, futurus. X. Cal. Ian. A. ↀↄ ↄCXXCII,

CXXXV.
OTTONI MENCKENIO,
P. P. Lipſ.

SVpplementum actorum liberalitati tuae acceptum fero, voloque, exiſtimes, libenter et iucunde legi, praeſertim contemplationum naturalium coeleſtiumque arcana, quibus nemo offenditur aut laeditur, atque eo magis placent, quia ſecurius adornantur. Germani quidem plerique has delicias non magnopere aeſtimant, et in munere quaeſtuoſo verſari malunt, ipſaſque etiam litte-

ras,

ras, quibus continetur humanitas, auersantur. Quod etsi nos, hac temporum difficultate, impedire quodammodo ac retardare potest, non tamen franget deprimetque animos, in doctrina rerum optimarum defixos. Pragestus Londini agit, laboremque sumit in collegio operarum chymicarum, a quo libros et litteras exspecto, quae simulac perferentur, faciam, vt copiose omnia scias. Me inuitauit, vt altera vice transirem in Beatorum Insulam, si quidem id a Principe et studiorum rationibus impetrare possem. De Tschirnhausio, equite, iam diu ante audiui, et luculentam conditionem illi gratulor, dubito autem, an exemplum hoc nostros accendat, qui, laudem, doctrinis Mathematicis partam, ad Scholasticos pertinere, dicent, et gradum potentiae dignitatisque aulicae, et, vt nunc tempora sunt, bellicae, tenere cupient magis. Non multos Maecenates Virosque munificos Germania habet, et vix splendori domestico sufficit, subsidiisque caret, quibus exteri plane abundant. Sed conabimur tamen, quantum in nobis est, operam studiumque conferre, et id regnum nostrum existimabimus, quod interior eruditio nos a vulgo seiungit. Nisi quod rerum domesticarum cura tangit eruditos, ne communem cum Platina et Caselio fortunam habeant,

beant, quos ob inopiam tenuiter vixiſſe, et ab imperitis, ſed diuitibus, propemodum deriſos fuiſſe, conſtat. Incertae temporum vices, impeditaeque commerciorum rationes, tributa immodica, nouique metus belli, et tot ante oculos poſitae calamitates, exiguam, aut nullam, ſpem melioris reipublicae faciunt, et fata ipſa communem certe patriam vrgent. Stabimus tamen et feremus, parteſque impoſitas tuebimur, innixi in ſcuto diuinioris prouidentiae, quod non ſinet, hoc noſtrum decus nobis eripi, elegantiamque ſitu et barbarie confundi. De libris ex Gallia volo, vt Sammarthanorum opera meo ſumptu cures. Faciam, vt, quod eo nomine impendes, ex aſſe tibi ſoluatur. Deus te ſeruet, et, bene te agere, diuque vitam producere in longum tempus, velit. VII. Cal. Jan. A. clↄ lↄCXXCII.

CXXXVI.

NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

NOn magis conſuetudine, quam pietate, moueor, vt quicquid incolumitati et conſiliis tuis felix fortunatumque eſſe poteſt euenire tuo nomini meritiſque cupiam, cum id tuae curae, quae ad ſalutem omnium ſpectant, a me poſtulent, pluraque exigant, quam mea conditio recipit, quae infra tuam magnitudinem eſt, et in votis adeo

con-

conquiescit. Sed maxime honori tuo gratulor, quod in generoso filio moderandae indolis notae appareant, quae lumen familiae afferunt, atque eum omnibus nobis sic commendant, vt iam ipse se regere posse videatur. At vero Stamplicius morum praefectus quotidie mutatur in peius, et dignitate illustris filii abutitur, ac libidinis suae modum non tenet, litesque serit, et, nulla legum ratione habita, gladio vltore decidit. Quin et seruum concitat ad inuadendos tenuis fortunae ciues, et tot impotentiae specimina dat assidue, vt tandem ea reticere non possim. Sermones eruditos ferre non potest, doctosque conuictores odio habet, nec modo ingenii cultum, sed moris honestatem, spernit, ac per itinera vrbis discurrit, effringit ianuas et quaerit, quos stricto ense persequatur. Amoribus quoque indulget, et omni labe se inquinat, vt pudor me prohibeat, quo minus referam, quae agit et molitur. Nudius tertius malitiae mensuram impleuit, nec Ziegleri auctoritati pepercit, noctemque illi miseram reddidit ac insomnem. Artes et astus, calumniasque singulas, quibus me et innoxios, atque in veneratione et cultu tuo, curaque optimi filii, defixos, petere consueuit, vel inuitus praetereo, et tibi, Domine, supplico, hominem, eruditionis et honestae di-

 scipli-

ſciplinae oſorem, auctoritate tua coerceas, vt vel ſic in ſe deſcendat, et tempeſtiua poenitentia mutetur. Ego vero Deum immortalem oro, generoſo filioq; hanc mentem, digne ſe in virtutis tramite explicantem, ſeruet, et illuſtriſſimae tuae genti, coniugi omnibuſque, qui te neceſſitudine contingunt, meritaque pariter aeſtimant, ac venerantur, fortunam proſperam, ſalutem propitiam, gloriamque in terris illibatam et ſempiternam, concedat atque largiatur. Non Ianuar. A. cIↄ Iↄ CXXCIII.

CXXXVII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dreſd.

PRoximis Calendis votum ſolui, ſacrumque pro te feci, quod bene euenit, auſpicatumque omen datum eſt, cum Muſae noſtrae applauderent, laetiſque verbis omnia proſpera adiutori ſane et vindici Iacobaeo ſuo praecarentur. Nihil enim tam inſigne pretioſumque eſt, quin tibi offerre cupiant, quem inter ornamenta ac praeſidia ſua habent, atque id, me interprete, petunt, quantis poſſunt, a DEo precibus, vt omnia feliciter agas, belleque valeas, et, more tuo, cum de Academia, tum de patria quoque, ſic deinceps merearis, et nomen memoriamque his rebus poſteritati commendes,

des, quam nulla vnquam obliuio delere posſit. Neque vero ſinat propitium Numen, vt vlla te calamitas tangat, aut turbet, quo perenne propriumque gaudium ex te reſpublica noſtra capiat, quam tot meritis ornaſti, vt vberius non poſſet alius quiſquam. Ergo ab vna tua virtute ductuque pendet maxima ſpes noſtra, et ipſa etiam litterarum ſalus, quam circumſpecte et iuſte moderaris et ſeruas, nec valetudini tuae parcis, quum ſe dat iuuandi occaſio, quam non omittis, ſed quaeris, nec ſeiungis auctoritatem a propenſa in nos voluntate, cuius et plurima et periucunda exempla ſemper oculis animoque meo obuerſantur. Itaque, in eo genere deſinit pietas, vnde coepit, et hoc agit expetitque, vt ſine languore et valetudinis infirmitate floreas, teporque, vt ſic dicam, vernus aetatis tuae idem maneat, familiaeque tuae multo nobiliſſimae vernantes pariter arbores ferat, gloriamque paribus et felicibus incrementis propaget. Hoc vult, hoc vouet, et omni ſtudio contendit, cliens. XIV. Cal. Febr. A. cIↄ IↄCXXCIII.

CXXXVIII.
NICOLAO L. B. A GERSDORF.

QVod diu ſperaui ominatuſque ſum, id adeo me non fefellit, vt quoque mihi

 gratu-

gratuler, haud vanam fuisse sententiam, quam laetus felixque euentus confirmauit. Academia etiam honori suo ducit, quod filium tibi saluum atque incolumen remittat, quin immo reipublicae transmittat, cui se is praeparauit, et multas quidem naturae munere consecutus est dotes, sed, eas virtute et industria augendas, putauit, nec minus docere corpus, quam ingenium, hic exercuit, et apte digneque finxit. Quo fiet, vt illa diuina et admirabilis stirps tua, et illud tot tantisque meritis auctum ornatumque genus Gersdorfium, floribus nunquam marcentibus, et contra turbinem tempestatemque firmis, simile sit, radicibusque alte defixis perstet immotum, ac, ducto semper ab integra vigenteque radice succo, colorem odoremque non mutatum retineat, et diffundat ex magna tua arbore in omnes descendentes Gersdorfios, Frisiosque surculos, et constanter adeo ac perpetuo se felicissimis auctibus propaget. XIII. Cal. Febr. A. cIↄ IↄCXXCIII,

CXXXIX.
AMICO CVIDAM.

Terruit me rumor de morte Nicolai Heinsii, cuius ingenii elegantiam saepe miratus sum, sed luctum minuit spes de Graeuio, qui iusta et graui oratione vindi-

dicabit eius memoriam ab ingrata saeculi obliuione. Vauassoris iacturam nemo satis defleat, qui tam bene merebatur de litteris, vt optarem, eum nunquam mori. Sed Lutetiae Menagius floret, sarcitque damnum, et melioribus studiis quotidie enitescit, atque horum gloriam in iurisprudentiam infert. Carmen, Michaeli Amelot, *Christianissimi* Regis Oratori apud Venetos, scriptum, legi, quod in arguta suauitate ostendit grauitatem, et natalis Delphini aeternam memoriam seruat, laetumque omen dat Franciae, quae iam nouo insistit munimento, nec metuit deinceps sibi ab orbitate. Vna haec reliqua erat, futura hostis maximi Regis, nisi eam benigno Numinis auspicio vicisset. Haec est uero non illa Romanorum, sed Francorum, AVGVSTA IVNO, quae in ore omnium est, et faustis passim auguriis celebratur. Priuatim abs te peto Nubiensis Geographiam, Aristidis Orationes a Guil. Cantero editas, Medicos Scriptores Graecos Stephani, quos Reinesius omni studio versauit, Melchioris Goldasti seniorem, item opera doctissimorum fratrum Sammarthanorum. Si occasio ferat, vt emi conquirique possint, non dubito, quin id amicitiae et desiderio meo concedas. IX. Cal. Febr. A. cIↃ IↃ CXXCIII.

CXL.

GVILIELMO ERNESTO TENZELIO.

QVod de meo in te ſtudio perſuades tibi, non falleris, propterea, quod rationibus tuis libenter conſulo, voloque, vt id certiſſime de me credas. De Nuranienſi, caue, exiſtimes, eo denotari Noram Cappadociae, quae ab hoc inſtituto prorſus aliena eſt. Sine dubio dynaſtarum ſcriptor Noram Sardiniae intellexit, quae et Nura ſcribitur, in Itinerario Antonini. Hinc oritur gentile Noranus, ſiue Nuranus, quod Abul Pharaius flexione diduxit, et Nuranienſis extulit, et apte conuenienterque appellauit. Nora Cappadociae non Nura, ſed Nereaſſus quoque, dicta eſt, quam Strabo Geograph. XII. memorauit. Sed Noram, ſiue Nuram Sardiniae V. Geograph. conſulto praeteriit, eamque plurium Sardiniae vrbium appellatione intellexit, duas tantum praecipuas eius inſulae vrbes nominaſſe contentus, quas iam diu uetuſtas oblitterauit. Nec fugere te poteſt, Nuram iacere in ruinis, et multis abhinc ſaeculis fuiſſe deletam, vt fata vrbium ſunt, et ſaepe a fundamentis euertuntur. Quod de ſcriptione reſtat, certum habeas, in omnibus antiquis codicibus, et ipſo etiam Me-

di-

diceo,quo vſus eſt Iſaacus Voſſius,legi Ignatium,et ab Euſebio,Euagrio, aliiſque conſtanter retineri. Neque tamen ignoro,eas litteras interdum commutari,faciliſque hic eſt librariorum lapſus, qui veterem veramque ſcribendi rationem mutare non poteſt. Valde autem amplector et probo, quod exiſtimas, Abul Pharaium Ignatii patriam tradere voluiſſe. Id enim more Arabum confirmare licet,qui,cum illuſtrium hominum nominibus, patriam fere exprimere ſolent,ratioque expedita eſt, quamobrem non dubitem,quin locus iſte, de patria Ignatii capiatur. Omnino autem coniectura tua probari poteſt, nec ratio falſa eſt,quam a more Arabum petiiſti,etſi auctore veteri opus erat,quo fidem faceret iſte alioqui fabulis indulgens Arabs. VI. Calend. Febr. A cIↄ Iↄ CXXCIII.

CXLI.

IO. GEORGIO L.B. A GERSDORF.

Singularem tuam induſtriam magnopere probo, et ſpero planeque confido, fore, vt in poſterum patria te in oculis ferat, maximi in toga herois filium, et propria virtute ad ſumma quaeque nitentem. Adhuc videre mihi videor, vitae tuae ſanctimoniam, qua non tantum aequales tuos, ſed etiam multos ſapientes ſuperaſti. Pruden-

dentiae incrementa cumulosque peregrinatio tibi spondet, quam praecipue vsus confirmat et auget, vt non vulgaris sit, sed Socratica plane habeatur. In hoc genere Maluezzi, Caimi, Parutae, scripta valent et eminent, quorum tibi nunc copia est, et talia adiumenta afferunt, quae animum in omni fortuna sibi similem, et prorsus egregium, praestant. Historiam veterem duntaxat tibi degustandam esse, memineris, noua autem illa, et a Maximiliano I. ducta, atque hinc continuata, quasique rebus praesentis aeui coniuncta, tuam praecipue ac reipublicae utilem diligentiam exspectat. Similiter Geographiam recentiorem, prout in Gallia excolitur, vehementer commendo, neque dubito, quin, si huius interpretem magistrumque habeas, breui sis maior iis futurus, qui ex instituto apud Germanos docent. In his et aliis recte ordinandis salubre et tempestiuum consilium capies ab ephoro tuo, viro et elegante, et erudito, qui nihil eorum ignorat, quae ad huius muneris partes requiruntur. Ego vero nunc et deinceps absens pro te vota faciam, et hoc agam atque experiar precationibus meis, vt omnia consilia atque res tuae bene et recte vertant, neque vlla vnquam aduersa valetudo conatus optimos impediat, aut frangat. Ita vero cum Illustrissima Gente, cum

cum Excellentissimo Patre, et incluta matre, et vniuersa domo vestra, sospes sis maneasque, et feliciter habeas, ac felicissime reuertaris. Cal. Februar. A. cIↃ IↃ CXXCIII.

CXLII.
IO. GEORGIO ORTHIO,
Patrit. Francof.

DE incepto conatuque tuo iam diu nihil audiui, nec tamen non bona spes me erigit, vt credam, tecum non male agi, qui cupiam primo quoque tempore te ad nos venire. Illud autem me in primis solicitum habuit, quod de consulatu Nobilissimi Patris res aliter cecidit, atque mea opinio fuit. Ex eo, opinor, pendet *Scabinatus* ampla et perpetua dignitas, quam et familiae vestrae conditio, et merita pariter, requirunt. Dum ita angor et perturbor, DEO approbante, euenit, quod saepe multumque volui, et iam ab aliquot annis mecum cogitaui. Praefectus Gersdorfio muneris rationes solutiore vita mutauit, et loco motus est, eamque prouinciam meliori sane successori reliquit. Non dubito, quin fratri tuo iam patefactus sit aditus ad eximios honores, et intelligo, senatus sanctioris principi omnia eius instituta, morisque elegantiam probari. Opto, vt nutu consilioque diuino, pari nec irrito successu tibi

pro

prouideatur, virtusque tua excitatior secunda fortuna quamprimum confirmetur. In publico statu rationes adhuc impeditae sunt, et Gallus facile obtinebit, vt postulatis eius detur locus. Argentoratum habuimus, non recuperaturi, quamuis arma capessamus. Pax nihilo tutior erit, maiorique periculo nostro frangetur, si deinceps iniqua facta et vim iure pactionis perpurget. Mox enim bello ardebit Italia, magnoque impetu Genua lacessetur, quo fiet, vt aut Caesar iterum in eum moueat, aut omnem prorsus in Italia auctoritatem suam exolescere patiatur. Data hac occasione Gallus nouos repetendi titulos adornabit, pactumque cessionis regnandi libidine molietur, neque se continebit, quin trans Rhenum Moenumque progrediatur. Francofurtum ad componendam pacem non auspicato delectum est, et saepe alias spe pacis frustrari consueuit, vt superiora tempora testantur. At vero benignum Numen auertat hanc tempestatem respiciatque patriam, et nobis omnibus benigne opituletur. Kal. Mart. A. cIↄ IↄCXXCIII.

CXLIII.
PASERINO, IC.

Binae tuae litterae, cum dissertationibus luculentis, mihi redditae sunt, ac tuum in

in me ſtudium non indicarunt primum, ſed clarius confirmarunt. At enim controuerſia illa, antiquitatis *eccleſiaſticae*, quae Theologos tangit, dudum confecta eſt, nec potui non mirari naenias auctoris, qui carpit, quos non aſſequitur, et in eo genere tantum non ſibi placet. Libido rixandi cum imperitia ſane coniuncta eſt, neque dubito, quin is ſe vindicet, qui nimis audacter, et diſparibus quoque armis eſt oppugnatus. Modeſtiores ſunt Angli, et parcius talia obiiciunt, curſimque et ſine inſectatione attingunt, propiuſque ad nos accedunt, in primis *hierarchici* viri cordati, et noſtris gladiatoribus doctrina et prudentia ſuperiores. Interim, per me licet, otio abutantur, qui eo abundant, nos partes noſtras tranquille agamus, et amicitiam veteri lege animorumque coniunctione ſeruemus. Conſultiſſimi D. Schulzii inſtitutum laudis plenum, operamque eximiam et diligentiam probo, et iuuentuti gratulor, de viro, iuris pariter, et antiquitatis iuridicae, perito. Contracta inter nos eſt amicitia conciliatore Pabſtio, et recordor auſpicatiſſimi temporis, quo inter nos collocuti, ſermones habuimus, et in veſperam uſque traximus. Eum, ſi graue non eſt, diligenter ſaluta, et obſeruantiam nuncia, prolixiſſimumque animum confirma. In conſiliis

pa-

patriae communis dubiam periculoſamque, et tantum non paciſcendae ſeruituti, pacem exſpectamus. Miſeret me Germaniae, dum fortuna melior cum omni prope inſtrumento ſuo in Galliam migrauit. De Turca non eſt, quod metuamus, et latet forſan aliquid diu cogitatum, quod breui ſed vtinam feliciter, erumpat. Sed vrgent fata Auſtriam, nec minus premunt Germaniam, iamque Italiae inſtant, et mirandam pariter, atque miſerabilem, rerum temporumque conuerſionem moliuntur. Cal. Mart. A. cIɔ IɔCXXCIII.

CXLIV.
BENEDICTO KRESSIO,
EL. Aerarii Miſen. Praefecto.

ALiquot hebdomadae ſunt, quum abs te petii, vt attributa mihi penſio aliquanto ocyus ſoluatur. Interpellant enim me librarii, qui multos pertioſoſque codices ex Gallia, armorum et elegantiae parente ac magiſtra, ad me curarunt. Fac ergo, patrone optime vt acipiam, quod beneficio Saxonis mihi ad ſtudiorum ſumptus conſtitutum eſt, vnde diſſoluendi aeris alieni ſubſidia petam. Pro viribus annitar, vt honori pariter, et vtilitati tuae ſeruiam, neque vllam de filiis bene merendi occaſionem negligam, quando prima mihi cura eſt, vt ratio

tio officii et obſeruantiae meae tibi probetur. Non dubito, quin, pro voluntate tua in me propenſiſſima, hoc mihi tribuas, et Hanischio noſtro negotium des, vt ea quidem, et valde opportuna occaſione, pecunia ad me perferatur. In publicis ſperamus pacem, non honorificam, ſed neceſſariam, quam rerum temporumque fortuna poſtulat, cum Ludouicus eo loco ſit, vt pacis faciendae et interpretandae arbitrium, vix quoquam repugnante, ſibi ſumat. Morbi Germaniae, quos parit diſcordia, et afflictae aerariorum res, vetant, quo minus Germania tam praepotenti, et omnibus belli neruis abundanti Regi, deinceps reſiſtat. Spes noſtra in DEo ſita eſt, qui non ſinet inultam iſtam regnandi libidinem, patriamque nutantem fulciet, ac praeſidio ſuo defendet. Te vero cum familia et ſobole Deus benigne ſeruet, et nutu conſilioque ſuo omnes vitae munerisque tui rationes benigne moderetur. III. Non. Mart. A. cIɔ Iɔ CXXCIII.

CXLV.
SACERDOTI CVIDAM.

DVdum mihi grata eſt beneuolentia illa, quam non merenti conciliauit tuus, quem iure amo, et gaudeo eum eſſe, qui ſtirpis ſuae veſtigia referat, et vera ingenii laude cum omnibus certet. Modeſtus eſt,

Q nec

nec minus ipſum commendat probitas, digna ſtudiis virtus, atque eo gratior, quod cum moribus compoſitis coniuncta eſt, et iuuenem egregie inſtitutum decet ornatque. Diſputauit nuper, ſtetitque fortiter, et de rebus obiectis eximie diligenterque reſpondit, et auditoribus, praeſertim intelligentibus, et Profeſſoribus abunde ſatiſfecit. Nihil dabo auribus tuis, et has dotes conſecuto tantum optabo precaborque firmam valetudinem, quae ſufficiat laboribus, quibus ingenium ſine languore, ac ſine intermiſſione, exercet. Inter haec gaudia exſpectationemque de filio tuo maximam, occaſio cauſaque publici doloris ſe offert, praeſertim ob libertatis et religionis diſcrimen, quod ſenſim adit patria, et niſi me fallit coniectura, in perniciem ſeruitutemque Germaniae omnia ſane iratiora fata conſpirant. De pace inter Caeſarem Gallumque coaleſcente vix dubito, ſed ea magis neceſſaria, quam tuta vtiliſque, erit. Cum Argentorato periit finium ſecuritas, et gloria Germanici nominis, quam iacturam nulla forſan poſteritas ſarciet, et mirabitur diſcordiam ſocordiamque maiorum. Non quidem nolo putare, nos inuidia temporum fatoque vrgeri, quod concordiae fructum eripiat, et inſidiis hoſtium obiiciat, qui aperto Rheni aditu nihil non moliri poſſunt.

Iam

Iam sero vident Sueones, quorsum spectent consilia, quae diu multumque, ratione quadam ciuili, fouenda susceperunt, nunc vero ne cum sociis quidem foederis dissipare simul possunt. Bebelio, librum de ritu *missae* edituro, interdictum est luculento artis specimine, quod rationes afflictae *ecclesiae* non ferunt. In Silesia et Vngaria adhuc sibi indulgent, qui specie religionis pacem pactaque conuellunt Ignatiani, quorum fere consilia in eo sita sunt, vt religionem vi et armis moderentur, suasque opes et auctoritatem firment. Sed quorsum haec refero? nota haec sunt vulnera, et a te in specula sacra cernuntur, praesertim sub Principe magnanimo et pio, qui, quantum in ipso est, nihil omisit, nullique operae pepercit, quam sciret ad decus et libertatem patriae esse vtilem, et laudi suae conuenientem. Veneror Deum, hanc gloriam optimo Principi seruet, vt sub eius tutela, et procerum sanctiorum prouidentia atque consilio, omnes perpetuo floreatis. Vnum abs te peto, Venerande Vir, vt tua et senatus *ecclesiastici* ope et auctoritate, Georgius VVilhelmus Ditericus redigatur in ordinem, et vt pecuniam mihi ordinique nostro debitam soluat, eo modo et honesta ratione, qua sancte et stipulant *Decano* promisit. Videbo vt hanc operam omnibus

prudenter diffidis ingenio, et praecipitas nihil, si quid ſtatuendum eſt ſemel, quod recte cogitatum eſſe oportet. Locus Ioſephi, me iudice, a Suida, Graeculo, multis ſaeculorum interuallis ab illius aetate diſiuncto, confictus eſt, neque in vllo codice, quem ego quidem viderim, extat, neque in ipſo veteri et probo Baſileenſi reperitur. Deceptus eſt credulitate rhapſodus, nec ſibi conſtitit, cum id ſcriberet, atque deinceps aliis errandi occaſionem dedit. V. Id. Mart. A. cIↄ Iↄ CXXCIIII.

CXLVII.
IOACHIMO FELLERO,
P. P. Lipſ.

DIu quidem nihil abs te accepi litterarum, idque, exiſtimaui, tuis occupationibus, quas ſcio eſſe maximas, tribui oportere. Nam, quin belle valeas, non dubito, quod ſera Poetarum fata eſſe debent, vt diu ſuauiterque, more tuo, canant, et in primis Cygnei illi veterumque ſimiles, etiam viui gloria ſua perfruantur. De Daumio, quid agat, quid moliatur, dudum nihil audiui. Rumor enim falſus, et initio mihi acerbus, ſuperiori menſe de obitu eius afferebatur. At enim vero, Heinſium, Danielis filium, litteris ereptum deflemus, cuius vitam cum recogito, imago rerum humanarum, diſſi-

milium ſemperque fluxarum, animo meo occurrit. Sed gloriam nomini aeternam auguror, nec de ingenii laude unquam inuidia detrahet, etſi inter eum et pleroſque alios virtutis ſane aemulatio fuit. Dignus laudum praedicator erit Graeuius, et vitam, opinor, ſcribendam ſumet, ac poſteris ſaeculi tradet commendabitque. Vix dum omiſi dolorem, quem ex tanti tamque incomparabilis viri morte cepi, quum alia, nec minor, dolendi cauſa ſe offert, propeque ſtupor me inceſſit, quando iam intelligo, Michaelem Ethmullerum, rei medicae decus et lumen, non modo Academiae et ſuo ordini, ſed etiam ſocietati veſtrae, et quod caput rei eſt, toti reipublicae litterariae eſſe ſubtractum. Cuius amicitiam mihi ſaepe multumque teſtatam, et beneficia in Io. Antonium, fratrem meum, praemature defunctum, in cuius ore is ſemper erat, cumulate libenterque collata, nunquam obliuiſci poſſum. Iratum, credo, Numen eſt, quod votis placabimus, vt ibi tandem ſiſtat, unde coepit, voſque omnes diu florentes ſeruet. IV. Id. Mart. A. cIↄ Iↄ CXXCIII.

CXLVIII.

CXLVIII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dresd.

QVam ſuperiori anno teſtatam feciſti propenſiſſimam in me voluntatem, et rebus factiſque etiam comprobaſti ſaepius atque confirmaſti, eam, peto, nec aliter tua conſuetudo poſtulat, latius patere ſinas, fratremque meum Henricum Leonardum, pariter admittas, et clientibus tuis adſcribas. In quo paulatim ſe explicat vis ingenii, et, ſuperato, cum quo diu conflictatus eſt, morbo, ſenſim ſe colligit, modiciſque ſpatiis in doctrinae curriculo pergit, et quod caput rei eſt, piam caſtamque mentem ad ſtudia affert, atque in hac vitae ratione ſibi conſtat, ſcholaſque ſuas diligentiſſime obit. Da itaque adoleſcenti vel mea cauſa, vt alumnorum fruentium numero ſit, animumque tuo beneficio erigat, magiſque enitatur. Vix bimus Patrem amiſit, qui ſuprema voce eum mihi, ſtudiorum cauſa abſenti, commendauit, atque eo minus ipſum deſtituere potui, memor curae, quam, parente auctore, ſuſcepi. Nec minus vidua mater eum fidei meae credidit, totumque litteris conſecrandum duxit, ne vltima patris verba non reuereri forte videretur. Non deerant, qui inuitarent ad genus vitae quae-

ſtuoſum, mercaturamque offerrent, ſed ei ratio bene ſapienterque viuendi prae arte diteſcendi placebat, vincebatque, vt in ſententia perſtaret, non repugnante filio, cuius vtilitas agebatur. Ego quidem temporum difficultates non ignoro, et ſubinde aeſtimo ſtudiorum neruos, et cupio, me ſeiunctum eſſe a moleſtiis, quarum pars redundat, ad Patronos, quos fratris nomine interpello. Tota vero huius rei ratio in te poſita erit, capiamque ex euentu conſilium, propterea, quod circumſpicienda ſunt fortunae adiumenta, ſi quidem volo, vt ad ſolidam eruditionem contendat, et meas res copiaſque, et libros codiceſque omnes in poſterum nanciſcatur. Erit ille memor patrocinii, et aſſecutus, quod ſperat, beneficium in animo infixum ſeruabit, et in tuo nomine colendo pariter mecum certabit, neque in parte referendae gatiae cuiquam concedet, et pietate, plurimos etiam clientes tuos, ſuperabit. Ita bene agas, et nutu conſilioque diuino ſoſpes agas, firmuſque ſis contra inuidiam temporum, atque omnes ſaeculi calamitates, quae te nunquam tangant, multo minus obruant, vt in ore famaque omnium poſterorum tua benignitas verſetur. VII. Cal. April. A. cIↄ Iↄ CXXCIII.

CXLIX.

CXLIX.

OTTONI MENCKENIO,

Prof. Publ. Lipſ.

QVem mihi grauiter commendaſti patruelem, eum libenter admitto, et eius parenti talem filium impenſe gratulor, qui cum dotibus ingenii, tum elegantia morum iampridem effecit, vt digne abs te laudari poſſet. De pretio facile, licet, inter nos conueniamus, modo ſciam, in quo doctrinae genere opera mea requiratur, temporiſque ſpatium labori deinceps ſuſcipiendo conſtituatur. De me, ſi quid poſſum, polliceor humaniores litteras, hiſtoriam ciuilem et Grotianam belli paciſque philoſophiam. Hinc tranſituro expedit audire veram ſolidamque iuris prudentiam, quam, mea ſententia, auſpicabitur duce Hebero, qui multum diligenterque in arte ſua elaborat, et quod caput rei eſt, facilitate docendi magnopere ſe commendat. Quod reliquum eſt, iuſſa Maecenatis exſpecto, et nihil recuſo, quod eiuſmodi ſit, vt de eius tam magnae ſpei filio bene mereri queam. Domus, quam conduxi, ipſi patet, eligat, quod libet, hypocauſtum. De couictu nihil poſſum ego conſtituere, niſi quod eum ſuadeo, ad quem propiori itinere veniat, ne cum viae moleſtiis, praeſertim hiberno

tempore, conflictetur. Vtcunque sit, assentior et pareo, voloque, vt Patrono de obseruantia curaque, meo nomine, spondeas, et obsequium cultumque diligenter confirmes. Prid. Cal. April. A. cIↃ IↃCXXCIII.

CL.

THEODOSIO LEHMANNO,

IC. et Consiliar. Merseb.

OMnes, quos ego quidem nouerim, inprimis tibi dant laudi, quod litteratos benigne accipias, honoribusque augeas, ac nullum erga eos officium praetermittas. Cuius tam propensae voluntatis saepe interpres fuit Clarissimus Stolbergius, et perinde mihi confirmauit humanissimus Blechschmidius, cum a me peteret dissertationes, quas aliquo in pretio haberi, valde laetor gaudeoque. Nunc paulum me ab historia contineo, et in Henrici Frisii laudatione elaboro, quam simulac effectam reddidi, curabo vt ad te perferatur. Vnum quaeso concedas mihi vt Buchnerus, Augusti nostratis filius, tuo praesidio muniatur, in causa difficili et ardua, ex qua tota eius spes vitae fortunarumque pendet. Ego pari studio et obseruantia te venerabor et colam, Deumque orabo, vt te quam diu-

diutissime sospitem, florentemque seruet. III. Id. Apr. A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLI.
PATRONO CVIDAM.

SEptem abhinc diebus litterae tuae prandenti mihi redditae sunt, quod scribere debeo, vt intelligas, quid causae fuerit, quod non statim responderim, rationesque consilii mei significarim. De conuictu Ziegleri habeas, ad eum patere aditum, si quidem singulis hebdomadibus triginta asses Saxonici persoluantur. Stolbergii quatuor et viginti assibus, nec pluribus mensa praefecti quaesturae, Hahnii, constat. Igitur pro arbitratu statuat perillustris Maecenas, et quid factum velit, renunciari mihi iubeat, vt omnia apte ac tempestiue curentur. Illud autem consilium valde probo, quod Graecis quoque litteris operam nauabit ille tantae exspectationis patruelis tuus, in quo doctrinae genere Stolbergius nihil in se desiderari patietur, nec ego committam, vt huius instituti vtilitatem in imitandis Latinis concionibus pari fide, atque diligentia, ostendam. Prid. Cal. Maias, A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLII.

CLII.
IOSIAE A. VELTHEM
Equiti Saxonico.

Confido ſummae tuae beneuolentiae, nec erubeſco ſcribere amici cauſa, quem valde diligo, et, quoad poſſum, magnopere commendo. Non, quia id mihi ſumo, vt, vllo meo merito hanc gratiam inire me poſſe, exiſtimem, ſed, quoniam honeſti iuuenis gratia hoc officium ſuſcipio, qui tuum ſane clientem ſe profitetur. Is eſt Trandorffius, ciuis Academiae noſtratis, iam pridem mihi cognitus, et doctus idem modeſtuſque homo, ac, ſuaſore Daſſouio, et ſtudiorum ſapientiae moderatore, inſignibus Magiſtri auctus. Petit autem, quantis poteſt, precibus abs tua liberalitate, vt ſtipendium ſibi decernatur, quod maiores tui monimentum ſuae pietatis et munificentiae eſſe voluerunt. Nec minus ſperat, fore, vt confectis ſtudiorum rationibus, conſilio beneficioque tuo honeſtum aliquod munus capiat, ſacerdotiumque conſequatur. Totum eius ſtudium in re diuina poſitum eſt, vt nunc ſunt iuuenum ingenia, recta ad metam proficiſci volentium, et difficilia tempora ſumptuſque reputantium, qui, cum ſubſidia ſibi conſtituta non habent, tum facile, et in ipſo etiam doctrinae quaſi aditu, deter-

deterrentur. Ipſi Profeſſores, qui in parandis doctrinae inſtrumentis omnes prope fortunas noſtras conſumpſimus, id quotidie videmus, nec ſine dolore experimur. Saeculum anceps et miſerum, diſtractaque Principum conſilia et belli diſcrimen, metuſque ingens, erectos animos ferme deprimunt atque confundunt. Quare comitas tua mihi ſpem fiduciamque facit, vt audacior ſim, et pro affine ſtudium iuris ingreſſuro, experiri cupiam, reuerenterque petam, vt tuo quoque auſpicio tanti, tamque inſignis, beneficii compos fiat. Simul atque hoc intellexero, in aere et clientibus tuis erit, et Academiae Iuliae, quam ſemper colui, ciuem dabit, ſi quidem tua ſententia fuerit, vt ad capiendum ampliorem animi cultum eo diſcedat. Nullus dubito, quin Illuſtris Tua Generoſitas temporum calamitati, et hominis amori, et meae etiam in ſummum nomen tuum obſeruantiae, concedat, aut ſaltem audaciae meae, quam neceſſitas exprimit, ignoſcat. Ego pietate, et obſequii religione affinis, eniti ſtudebimus, vt intelligas, nos non ore ſolum, ſed etiam publicis monimentis, hoc tale, ſi aſſequamur, patrocinium benignitatemque eſſe celebraturos. Ita Deus aeternus perilluſtrem tuam familiam ſobolemque

que inclutam et necessitudines egregias seruet. Cal. Maiis A. clↄ Iↄ CXXCIII.

CLIII.
IO. GEORGIO GRAEVIO.

Litteris tuis valde confirmatus sum, non improbari tibi desiderium, quo teneor, vt per epistolam ratio officii et obseruantiae tuo praecipue nomini reddatur. Reputo saepe comitatem, nec animo excidunt merita, quibus ornasti rempublicam, quatenus litteratorum ambitu continetur. Iam Nicolai Heinsii panegyricum abs te expeto, et, nisi iniquus sum, plane exspecto, vt summi viri doctrina laudesque per te illustrentur magis atque explendescant. Ego, quantum surripere occupationibus possum, tantum confero ad Henricum Frisium digne ornandum. De Philostrato scias, eius mihi copiam esse factam, cuius omnia mihi placent, et ratio dicendi elegans, et character sophistam decens, nitidusque. Codices manu exaratos quaero, quibus tu abundas, et librorum bonitate cum omnibus aeui doctissimis facile certas. Neque tibi inuideo sane gloriam, cupioque extare plura ingenii tui monimenta, atque in spem venio, fore, vt tandem aliquando inter nos colloquamur. Hic belli Turcici, et, quod magis curam patriae intendit, Gallici, exspe-

ſpectatione omnium animi ſuſpenſi ſunt, Principumque conſilia tantum ad arma et aerarium ſpectant. Lipſienſes tamen noſtri perquam ſeduli ſunt, et non inutilem laborem ſumunt, multoſque ad notitiam librorum excitant et inſtruunt, ac de mediocriter doctis optime merentur. Modeſte iudiciis parcunt, et varios atque exteros ſcriptores conquirunt, et faciunt, vt noſtra iuuentus ab altercationibus Theologorum ad ſolidam eruditionem reuocetur. Non diſſentio et probo conatus, optoque, vt, diſtractis bello regibus, litteratis inter ſe conueniat, quoniam, vt ille ait, nullum eſt regnum ſine regno litterarum. Ita valere te volo, et florere familiam, ſemperque belle habere. Non. Maii A. cIↃ IↃ CXXCIII.

CLIV.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dreſd.

NOn libenter ſcribo, quae tibi diſplicent moleſtaque ſunt, nec tamen recuſare poſſum, quin amicorum preces ad te perferam, eorumque cauſam modeſte tuendam ſuſcipiam, nec minus aliis commendatam eſſe velim. Habeo quidem ipſe, quod agam, nec ſcio ſatis, quemadmodum propinquo ſtudium iuris ingreſſuro, conſulam, dum proſpicio ſumptus in doctrinam,

nam, tam amplam, tamque inſignem, faciendos, quorum ratio in eo poſita eſt, vt publico beneficio ornetur, aut cito deſiſtat incepto, cuius exitus difficilis eſt ac longus. Qui magnam abs te iniret gratiam, ſi auctor eſſes, vt tandem cooptaretur in ſocietatem alumnorum fruentium, aut ſtipendium obtineret iuridicum, quale, opinor, breui hic vacabit. Alioqui conſilium cepi, eum ablegandi ad Iuliam, vbi ſpes mihi facta eſt potiundi ſtipendii, et, ſi eo ſe conferat, non difficulter impetrandi. Princeps eius voluntatem in iuuanda eius ſtudia perbenigne mihi ſignificauit, ſed volo, eligat domum ſuis opibus validam, et pleroſque maiorum meorum complexam, nec a noſtra familia alieniorem. Quare, ſi mea petitio forſan irrita fuerit, pro indigena, Io. Theodoreto Flieſbachio, apud te intercedere viſum eſt, cum quo iam diu amicitiam contraxi. Iuuenis eſt modeſtus ac ſedulus, et vita ſtudiiſque conſentiens, qui in examine ſapientum bene ſtetit, ſineque nota hic ciuem egit. Dabis hoc mihi, et bene mereberis de homine optimo, ac ſecundum Deum omne fortunae honoriſque præſidium in tua ſumma auctoritate ponenti. Faciam ego, et mecum Fliesbachius, vterque cliens tuus, vt ex rerum tuarum ſucceſſibus intelligas, vota et voluntates noſtras in ſupplicationibus,

pro

pro vita et omni felicitate tua faciendis, ſincere ac ſerio conſpiraſſe. XIV. Cal. Iun. A. clɔ Iɔ CXXCIII,

CLV.

SALOMONI FRIDERICO LINCKIO, IC.

Conſiliar. Saxon.

Saepe mihi gratulatus ſum, quod filium tuum iuſſu tuo ornandum ſuſcepi, in quo omnia mihi probantur et placent, et doctrina pariter atque vita conſentiunt, ingeniumque et mores, arcto et indiſſolubili quodam foedere, conſpirant. Tantum de valetudine eius angor, quae interdum vigori ipſius non reſpondet, ac infirma eſt, et forſan nimiis laboribus frangitur, quorum modum habere in poſterum debet. Plus ab eo exſpectat patria; quam vt vires tam repente conſumat, credoque, per te ſtare, quo minus tam acri contentione pergat. Dandum eſt animis aliquid; vt magis excitati ſurgant, corporeque non affecto vtantur, quod, temperando induſtriam, obtinebunt. Auctor itaque et ſuaſor ſum, paternam auctoritatem interponas, et moderandi laboris rationem filio tuo praeſcribas. Alioquin in omnibus eius vitae partibus acquieſco, et probo conatum ad ſumma nitentis, qui elegantes quoque litteras et ornamenta varia ad iuris prudentiam affert, ac ſpon-

det reip. virum idoneum et integrum, ſeiungitque ſe ab eruditorum vulgo, et comparat inſtrumenta, quae in luce verſaturo expediant atque conducant. Habenda enim eſt ratio talium ingeniorum cum primis, quae ſpem noſtram ex aſſe aequant, tantumque non vincunt, et ſingulari eruditione ſe ab aliis diſtinguunt, nec mutantur in peſtes ac degenerant, ſed vnam, eamque non confragoſam viam tenent, atque in hoc inſtituto laudis pleniſſimo perſeuerant. Inter hos praecipuo numero eſt filius tuus, et, verbis meis commendari, recuſat, dum rebus factiſque praeſtat vltro, quod multi ſaepe commoniti non ſolent. Nihil do auribus tuis, Patrone, Deumque veneror, vt ſub eius tutela in dies nouis acceſſionibus haec filii tui ſtudia augeantur, et tua quoque conſilia, ac omnes nobiliſſimae familiae rationes, perpetuo fortunentur. XII. Calend. Junii A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLVI.
IOANNI GEORGIO GRAEVIO,

PRomiſſi nuper panegyrici exemplum mitto, petoque, beneuole accipias, atque exiſtimes, non experiendi ingenii, ſed teſtandae pietatis meae cauſa, ſcriptum fuiſſe. Nam praeter voluntatem meam accidit,

dit, quod rhetori noſtro haud datum id negotium ſit, qui expedite praeſtat has operas, et opinione celerius abſoluit, tarditatemque in vitio ponit. Sed, qui meus animus eſt, moram ſaepe interpono etiam non arduis negotiis, et lente ago has partes, quas ſaepe inuito mihi imponi patior, vt tot, tamque repetitis obſecrationibus cauſam occaſionemque praecidam. Forte etiam pietatis laudem habet conatus, qui eo pertinet, vt non viri modo, ſed etiam mortui, in primis bene meriti, atque in litteratos propenſi, vltimis ſane officiis colantur. Nam, vt mea opinio eſt, in Henrico Friſio doctiſſimum totius patriae ſenatorem amiſimus, et fateor ego libens, me permulta ab eo didiciſſe in omni humanitatis genere, et variis reconditiſque doctrinis. In proſae latinae cultu, ciuilique elegantia, et omnium ſaeculorum antiquitate, nemini impar, et ad amuſſim expolitus erat, ac te ipſum eo loco habebat, vt, niſi verecundiae tuae memor eſſem, litteris adſcriberem tuis. Sed nihil auribus tuis dabo, neque teſte opus eſt, vbi rerum teſtimonia epiſtolaeque ſuperſunt, quibus multas atque eximias tibi defert laudes. Albertus quoque, Doctor Lipſienſis, ſed aeque, ac ego, ab Henrico Friſio iuniori interpellatus, cupidus ſane fuit ipſius ornandi. Stilum exercet, et amoenitate

non parum delectat, cuius laudationis nondum mihi facta est copia, nec dubito, quin Lipsia ad te perferatur, si finem exitumque habitura sit, pro eo, ac spero. Per me licet, diligentiae nostrae existimator sis, ac me eorum numero esse sinas, qui te amant pariter, et colunt. Io. Conradus Cnauthius, patria Misnicus, et historiae Saxonicae non languidus cultor, ad vos transibit, atque inde in Angliam traiiciet, qui aliquot hebdomadas hic exegit, nec prius abire voluit, quin pignus meae suaeque obseruantiae simul afferret. Eum tibi commendo, ob necessitudines et studii dignitatem, vt reuersus in aula gloriari possit, tua humanitate et doctrina plurimum se profecisse, et varios eruditosque scriptores, quos percontatur, cognouisse. Ita Deus te seruet, et nobilissimam familiam fortunet. Vitemb. apud Sax. X. Cal. Iun.. A. cIↄ IↄCXXCIII.

CLVII.
EDOARDO BERNHARDI,
Profess. Oxoniensi.

SEmel iterumque amicos in Angliam profectos monui, irent Oxonium, industriamque tuam in curando Iosepho accenderent, nec minus studium, obseruantiamque meam tibi confirmarent. Crede, mihi, multum debituros tibi esse Germanos, si facias,

cias, vt maturetur. Exſpectat abs te saeculum luculentam ſane hanc operam, et pollicetur magnum antiquitati ornamentum, nec dubitat, quin de communi eruditione et vniuerſa litteratorum ſocietate bene merearis. Parcas tamen valetudini, ne corpus, in quo reſidet diuinus ille animus, laborum taediis morbiſque affligatur. Vtinam vero tam felici eſſe mihi liceret, vt vel te coram, vel expreſſam ingenii tui imaginem, videre poſſem. Sed vacationem a Principe non auſim petere, ne clementia eius abuti videar, multo minus coniectura aſſequor, quando operis tui finis, quem votis poſcimus, ſit futurus. Fellus Cyprianum emiſit, aeuumque hoc ſibi deuinxit et accuratiſſima pariter, caſtigatiſſimaque, editione ſe commendauit, cuius Lactantium, niſi fallor, etiam videbit noſtra aetas, gratiaſque auctori perſoluet. Ego iam nihil fere habeo, praeter exemplum panegyrici, quem Illuſtriſſimo *Baroni* Friſio iuſſu publico dixi, cuius lator Ioannes Conradus Cnauthius, patria Miſnicus, hanc a te gratiam, me interceſſore, inibit, vt et eruditos tuos ſermones audiat, et exquiſitos libros videat ac percontetur. Fauent conatui iuuenis plerique et egregii aulae Saxonicae Proceres, qui cupiunt, vt in patria, et in noſtrati antiquitate, collectis hinc inde ſubſidiis vi-

res aliquando experiatur. Ita vero Deus res consiliaque tua fortunet, et te nobis reique publicae eruditorum seruet. Vitemb. Sax. VI. Cal. Iuniis A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLVIII.
IACOBO GRONOVIO.
Polyhistori Eximio.

ETsi nondum inter nos ea est notitia, quae ad contrahendam amicitiam valet, tamen audaciae, aut potius meo in te studio, concedes, vt litterae breues, et ab amico, ad vos transeunte, prope inuito mihi expressae, ad te perferantur. Nam et amo te, juxtaque aestimo, ob doctrinam et opes ingenii non vulgares, et vereor, ne, si intempestiue scribam, rationes tuas, in litterarum dignitate positas, conturbem. Cepi tamen, aut quodammodo collegi animum, a Ioanne Conrado Cnauthio submonitus, qui, me sponsore, obseruantiae abs te hanc inire vult gratiam, vt sermonem sententiamque tuam de vno atque altero historiae argumento audiat, atque vel ex eo insignem laudis materiam quaerat. Facies, opinor, iuueni, mihi, et quibusdam aulae Proceribus charo amatoque, hanc tui conueniendi potestatem, et humanitate incitabis diligentiam eius singularem. Nolui autem vacuum venire in tuum conspectum, sed arbituro

turo panegyrici, Illustrissimo, Frisio dicti, exemplum tradidi, quod cum dissertatione, a me habita, reddet, et, quo in te sim animo, commemorabit. Monimenta ingenii tui et reconditae Graecorum litterae, et tot gloriae tuae pignora, in meis et eruditorum manibus versantur, et paternam abs te famam non modo aequari, sed etiam superari, plus satis confirmant. Quaeso te, si non grauaris rescribere, studiumque hac beneuolentia accendere, Cnauthium diligas, qui me hac dulcedine permulceat, et saltem lineolas aliquot, si litteras exspectare non ausim, velut in Saxoniam comites, ferat. Ita te Deus Batauiae, litteris, aeuo nostro, seruet, et sospitem florentemque praestet. Vitemb. Sax. Cal. Iun. A. cIɔ IɔCXXCIII.

CLIX.

ISAACO VOSSIO,

Praesuli Vindsoriensi, et Polyhistori Celeberrimo.

SVperiori anno obseruantiam tibi meam professus sum, de qua nihil detractum esse volo, neque dubito; quin me et vix mediocria studia veteri nec immutata beneuolentia complectaris. Etenim doctrinae regnum tenes, et apte prudenterque moderaris, saeculumque ornas et de omni sapientia egregie mereris. Multa de Nilo re-

condita quidem vni tibi debemus, et iudicium induſtriamque omnibus numeris perfectam certatim ac merito admiramur. Muſſet vulgus, et more ſuo inuideat, ringatur et ſaeuiat, non mouebit tamen, vt non optime nobis tecum conueniat, cuius merita in omni genere maxima ſunt, paſſimque doctiſſimorum ſermonibus et litteris celebrantur. Ego ſane, pro meo in te incredibili ſtudio, nihil committam, nihil fieri patiar, quod famae tuae fraudi ſit, atque auctoritati tuae non reſpondeat. In quam ſententiam panegyricus, Illuſtriſſimo Heinrico Friſio dictus, tibi ſe commendat, et a tuo patriſque tui doctiſſimi nomine laudem doctrinae mutuatur, vt Saxonia intelligat, quo loco numeroque is haberi debeat, quem Voſſiorum par amauit. Ingenue fateor, Henricum, dum viueret, ſaepe de te, et honorifice, vt par erat, ac ſuauiter, vt ſine exemplo ſolebat, locutum fuiſſe. Nec animo excidet, et me auctore, neque, vt opinor, te repugnante, in Saxonis aulam perlatum, omnis profecto cultus humanitatisque plenum verbum, cum mihi, Vindſorium profecto, diceres, magnum patriae meae virum eſſe mortuum, qui ſermo ad Henricum ſpectabat, et monimentis Saxonum mandabitur, et in animis hominum vigebit. Plura tibi de noſtris, et ſtatu aulae, et ap-

apparatu belli, et de ſtudiorum rationibus doctrinifque noſtris, narrabit Ioannes Conradus Cnauthius, iuuenis modeſtus, et patria Miſnicus, quem plerique aulae noſtrae Proceres tuendum ſuſceperunt. Geſtit venire in tuum conſpectum, et ſermonem doctrinamque vel ſemel audire, vt vel vna hac re deinceps gloriari queat. Is, quanto poteſt, ſtudio conquirit ſcriptores medii aeui, et trahitur voluptate hiſtoriae gentis Miſnenſium, et Saxonum ac modeſte reuerenterque has partes agit. Alioquin fines noſtri cum magno bellorum periculo coniuncti ſunt, Luneburgici Germanos animos, et Germanam fidem iuxta, atque herus meus, Saxo, tuentur. Caeſar in foedere Polonorum, et connubio Boioariae reguli, magnum labentis potentiae praeſidium ponit. Fulmen belli, Sobieſkium, Turcae formidant, et cladis, apud Chocimum acceptae, non ſine perturbatione recordantur. Argentorati iactura totius Germaniae odium conflauit Gallorum Regi, et pleroſque, nihil auſuros, excitauit ad arma, foeduſque pangendum. Libera gens, et iugi non patiens, vix domeſticos Reges fert, multo minus, externo arbitrio ſe regi, patietur. Vt in conuentu Francofurtenſi ad Moenum res acta fuerit, te non fugiet: admiſſus mea opinione error eſt, quod

 Gal-

Galli putarent, intercepto Argentorato fractos perculsosque Germanos statim ad nutum Galliae se inclinaturos, et iure in Argentoratum cessuros. Sed aliud euentus docuit, et obfirmatos Principum animos satis superque ostendit. Habet versatque saxum diu Austria, et lenta consilia instruit, vt fortius quasi in neruum erumpant. Plura non audeo, neque opus est, cum tibi in luce aulae versanti nihil possit esse obscurum. Mirantur tamen Principes nostri, quid sit, quod Augustissimus Carolus vester, interposita auctoritate, tot tantisque funestis Europae dissidiis causam non praecidat, et aequabilem Regum potentiam reddat, quasique pondere exacto libret. Indulge libertati, vir summe, et in patriam amori. De cetero non odi Gallos, et elegantiam ingeniorum aestimo, sed Petauios Valesiosque desidero, *Abbati* autem doctissimo, Emerico Bigotio, plurimum tribuo, et inter Gallos in eruditione Graeca principatum. Nostrates in recensendis libris operam ponunt, sed ex praefationibus et summariis pleraque elogia decerpunt, cetera non attingunt, et mediocriter doctis prodesse volunt. De Simonis historia critica, et aliis, saepe non dextre iudicant, neminem tamen offendere cupiunt, atque in conatu acquiescunt, ignaros autem plerosque et inertes ad librorum notitiam exemplo suo incitant, et libros argu-

gu-

gumenti grauis a proletariis interdum non separant, neque delectum habent, sed omnino de Saxonia et Germania, litibus Theologorum alioquin obnoxiis, forique studio nimium deditis, et nunc in arma ruentibus, bene merentur. Multa tacitus praetereo, quae tu vel coniectura assequeris, vel, me non monente, perspecta habes. Ita te Deus seruet et vires firmet, et consilia fortunet. Vitemb. Sax. Cal. Iun. A. cIɔ Iɔ CXXCIII.

CLX.
N. PRAGESTO,
Societ. Regiae Angl. Socio.

TRaiecit, meo consilio, in Angliam Ioannes Conradus Cnauthius, Misnicus, qui tuam sibi spondet amicitiam, et sperat, aditum patere ad doctissimos quosque Londini Viros. Simul affert tibi panegyricum, quem Illustrissimo Henrico Frisio dixi. Quaeso, eum beneuole accipias, et honori meo faueas, et librum Seldeni, et, si quid aliud in promptu habes, non grauato mihi transmittas, et, constituta pretii ratione, Cnauthio tradas. Vicissim, quam possum, tibi nauabo operam nullumque tua causa officium negligam, sed immo totum me tuae et Anglorum laudi dabo, neque in te amando, neque in his colendis, vlli hominum, saltem eruditorum et merita aestimantium,

con-

concedam. Vale, et partes membraque societatis nomine meo reuerenter et prolixe saluta. Vitemb. Saxon. III. Cal. Iun. A. clↄ Iↄ CXXCIII.

CLXI.
THEODORO HAAKIO,
Societ. Reg. Angl. Socio.

Industria tua, in excipiendis atque ornandis exteris, passim nota celebrataque est, atque spem mihi non ambiguam facit, et alios crebro inuitat, meque iam admonet, vt Ioannem Conradum Cnauthium maximopere tibi commendem. Iuueuis est recti animi, et proceribus plerisque aulae carus, et, nisi fallor, Principis Saxonis bibliothecae imponendus. Schedulas illas, fac, vt accipiat, quae ad linguae Graecae, velut per coloniam ex Anglia transmissae, dignitatem spectabant, et liberaliter abs te, cum Londini essem, communicabantur. Multum mihi in eius antiquitatis parte situm est, et laudi nationis ducitur, et in tempore ac loco a me commemorabitur, si, altera vice rogatus, tandem ipse copiam facias, et me tibi sic maxime etiam obstringas. De meo in te animo, de studio et obseruantia in eruditissimos Anglos, Pragestus, Ludolphus iunior, ciues Academiae, et litterati omnes, quibuscum mihi consuetudo est, affirmabunt

ac

ac teſtabuntur. Vnum id, atque inter vota mea potiſſimum eſt, vt omnibus fortunae beneficiis, et doctrinae ornamentis quoque deinceps in Anglia, fortunatorum ſane inſula, abundetis, et artes machinaſque Pontificiorum ſatellitum, fide et officiis inter nos coniuncti, ſuperetis. Boylaci mors non Angliae modo, ſed etiam Saxoniae, immo litterato orbi, luctuoſa fuit. Bechererus, vt audio, deceſſit tempeſtiue, et vel ſic vtcunque famae ſuae conſuluit, qui multos Germaniae Principes ſpe deluſit, alios promiſſis inanibus exhauſit, ſolos autem, opinor, Anglos decipere non potuit, et virtutes malis artibus ſane mixtas habuit, et perſaepe ex fulgore fumum dedit. Sed mortuo quietem, ne manes irritentur. Ad extremum, tibi laeta, proſperaque omnia eſſe, cupio, vires praecipue integras, valetudinemque firmam precor. Crounium, Galeum, Detl. Cluuerum, Cl. viros, reuerenter ſaluta, quorum ſaluti plurimum libo, et praedico humanitatem. Hookius, Celeberrimus Mathematicus, ſemper, vtinam, floreat, ac de ſaeculo bene mereatur. Praeſtantiſſimus Lipſiae medicus Etmullerus, linguae veſtratis, et librorum apud vos editorum, inſigniter peritus, deceſſit, quem viri docti multo dolore proſequuntur. Heidelberga nihil dum accepi. In te ſolo poſita eſt ratio con-

ſe-

ſequendi eius, quod peto. Vale, et inuſitata comitate de me et aduena Cnauthio merere. Cal. Iun. A. clↄ Iↄ CXXCIIII.

CLXII
OTTONI MENCKENIO,
P. P. Lipſ.

IN reddendis hucuſque litteris tardior fui, non mea, ſed Prageſti, culpa, cuius reſponſionem auide exſpecto. Bis ſcripſi in Angliam, ſed nihildum ab eo accepi. Certiora mihi ſpondet Cnauthius, qui paucis ab hinc diebus ſecundo Albi Hamburgum, atque hinc in Angliam, me conſilii auctore, nauigabit. Si quid eius liberalitate conſequar, faciam, vt te non fugiat, pro noſtra officiorum neceſſitudine, quae ſtudiorum ſimilitudine, animorumque conſenſu, alitur et fouetur. Memor etiam crebro tuae benignitatis ſum, et ſuppudet me conditionis aut fortunae potius, iniquioris, quod nihil habuerim, vnde intelligeres, me referendae gratiae cupidum eſſe. Accipe tandem panegyricum, Illuſtriſſimo Friſio ſacrum, in quo ſi quid infra tuam exſpectationem reperias, veniam auctori dabis, qui ſtudium conatumque, aut certe pietatem uam, probare voluit, cum ſua meritorum gloria Friſius ab interitu vindicetur, repetamque animo voces externorum hominum, qui,

qui, audita eius morte, dicebant, magnum patriae nostrae virum fuisse extinctum. Me sane vt clientem semper complexus est, nec vnquam cogitassem de sede in Saxonia figenda, nisi tanti Senatoris praesidio fultus fuissem. Didici ab eo multa, quae ab alio nullo audiui, et in elegantia litterarum omnes nos, etiam professores, vicit. Neque id negauit Isaacus Vossius, et summo iudicio grauitateque de illius profunda et interiori eruditione commemorauit. De ceteris parum, aut ita modice, vt vni Henrico omnem doctrinae principatum tribuere videretur. Non alia fuit sententia Conringii, quem vnum iste aestimabat potissimum Vindsorii Praesul, atque haec de ipso opinio litteris sermonibusque celebrata est, vt iam vel carendo intelligamus, qualem habuerimus virum, id est, eruditione, moris elegantia, consiliis, industria, iudicio, prudentia maximum, suisque adeo meritis immortalem. Sed eo me pietas abripuit, vt fere epistolae modum excedam, quod aequo feres animo qui videas, quam vbique partes meae pietatis tueri velim. Tu vero hoc praeconis laudum munere defungi potes melius, iamque id egregie, suauiterque et argute, praestitit Albertius. Vale, et res tuas feliciter age, et societatem meritis orna, et valetudinem quoque tuam, de qua nu-

nuper aduersi aliquid allatum est, diligenter cura. VI. Eid. Iun. A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLXIII.
AMICO CVIDAM.

ALios rumor, alios odium, in eam mentem impulit, vt Diuo Iustiniano obtrectarent, et, licentia saeculi, temporumque iniuria, nimis sane multum sibi iudulgerent. Facundus, *Episcopus* Hermianensis, quem Sirmondus edidit, in pietate Imperatoris nihil desiderat, et doctrinae ac definitionibus Concilii Chalcedonensis per omnia capita applausisse, grauis auctor, et incerta Nicetii interpretatione melior est, neque sibi constat, qui Patres VI. Synodi Imp. aequales falsi accusare audet. Fuit Nicetius apud Treuiros constitutus, et ab iis seductus, qui tria capitula propugnarunt, pro animo in Iustinianum iniquo, cuius multa indicia profecto nimis luculenta extant. Versio inepta, et contra illius saeculi stilum, prodit riuulos impuros, etsi de sententia Nicetii non dubito, fuisse a nostrate alienam. Chronici Alexandrini sequioris, et ex multis laciniis a Graeculo contexti, nulla fides est, cum non possit te fugere, quanta sit Synodici et publici testimonii auctoritas, quae vel sola in lucem honoremque vindicat Iustinianum. De Maruania haud falleris,

quod

quod poſt aetatem mediam a ſordidis circumcellionibus, in rè per ſacros inſtitores exercita, adhiberi coepit, atque eam ob cauſam in gloſſariis omitti ſolet. Plura non addo, et de Meiſneri, in collegium adſcriptorum cooptati, benigniore fortuna te per occaſionem commoneo, tibi proxima ſpes iterum data confirmataque eſt. Heroldus prouinciam Rectoris Reualienſis capeſſit, nec honorem deinceps prenſat. Fuit ſententiarum diuortium, et, me tandem annitente, negotium eſt confectum. Tu, quaeſo, nihil ſecius ſpera, et ſumme reuerendum Patrem, quo decet cultu, ſaluta, quem e diſcrimine morbi ereptum, gratulor, et diu florere, et ad nos etiam venire, opto. d. XIV. Cal. Quinct. A. clↄ IↄCXXCIII.

CLXIV.
IOANNI FRIDERICO HEKELIO.
Scholae Reichenbacenſis Rector.

MVltum apud me valet amicitia tua, et recordatio conſuetudinis tuae mihi longe iucundiſſima eſt, nec abnuo litterarum commercium, ſi tuae rationes id ferant, occaſioneſque non deſint. Nuptiis tuis tacite precatus ſum quaeuis proſpera, cum per conſulatus Academici occupationes non liceret aliquid extundere, quod te

S di-

doctrinam testari, possit. Sanctitate animi, industria, officiisque honestis, cum optimo quoque certauit, tempusque care habuit, ac bene vtiliterque collocauit. Nunc, allaturo vigiliarum fructus, tota spes in vobis posita est, vt quem ei aperuistis aditum, deinceps ne intercludatis, clientemque hunc vestrum omni beneuolentiae genere, tuendum suscipiatis. Saepe quidem, dum laudamus, falli possumus, sed de Valtero promitto sponsorque sum eum et muneri et fidei satisfacturum. Non difficilis, non rixosus est, sed quod plerique negligunt, eruditionem elegantia vitae, et moribus praecipue pulchris, cohonestauit. Recte enim existimat, litteras humaniores disciplinasque liberales expolire simul et mitigare animum, et firmum tranquillumque praestare. Longe aliter, quam vulgus, statuit, et, errore deceptum, credit, sufficere studiis, si tantum in acumine exercendo, et inutilibus controuersiis defigantur. Diuersa et melior mens est Valtero, quem similitudine morum, et societate studiorum, et, quod caput est, laudabili pietatis aemulatione, coniunctum sibi habuit reuerendus Bandecouius vester, cuius vitae virtutumque recordatio omnibus iucunda est, laudesque in animis nostris vigent. Mihi vero, Patres Amplissimi, causam optimi iuuenis agenti, id date, vt

ſtro patrocinio defendatur et floreat, incitatuſque hac beneuolentia, tanto alacrius de ſpe vrbis veſtrae, de flore familiarum, mereatur. Deus tandem aeternus omnia veſtra conſilia, ſub auſpiciis et tutela magni Brandenburgenſium Principis *Electoris*, benigne prouehat atque moderetur. Non. Sextil. A. cIɔ Iɔ CXXCIII.

CLXVI.
ANTONIO MAGLIABECHIO.
Magni Etruriae Ducis Conſiliario et Praefecto.

NOn poſſum ſatis aeſtimare eximiam in me beneuolentiam, et ſingularem pariter liberalitatem tuam, cuius ego ſaepe fructus capio, et quamuis magno locorum interuallo diſiunctus, effigiem ingenii atque iudicii elimatiſſimi perſpicio, laetorque, te iis et animi et fortunae donis abundare, quibus tota iam Italia illuſtratur. Nec minus tuum eſt beneficium, quod doctiſſimus Cinellus, cuius amicitia mihi magni eſt, et doctrina a vulgo remotiſſima, aliquod laudis teſtimonium mihi tribuere voluerit, ſummamque adeo humanitatem, quam vires meae non capiunt, teſtatam fecerit. Gratulor mihi, vobis auctoribus eo me loco eſſe, quo docti ſunt, nec tamen id mihi ſumo, vt, aequare iam me poſſe veſtram

exſpectationem, putem. Sed hoc ſaltem exiſtimabo, veſtro tam accurato ſententioſoque ſcribendi genere me excitari, vt aliquid ſpe veſtra dignum moliar, totumque me ita fingam, vt ad aequiſſimam gentis veſtrae voluntatem ſtudia mea conformentur. Iam diu ante me Ioannes Caſelius, Socratici vir iudicii, et de vicina Iulia litteriſque praeclare meritus, idem Victorio et Sigonio, Clariſſimis Viris, debere ſe, faſſus eſt, quod vobis omnino debeo, qui, tot tantiſque monimentis, ex caligine Germanica in lucem Italici coeli me producere voluiſtis. Non equidem hanc facultatem conſecutus ſum, quam de me exſpectatis, efficiam tamen, vt, homini non degeneri, nec ingrato, officium honoremque vos exhibuiſſe, ſentiatis. Praeconia veſtra exquiſita, neruoſa, non longe petita, elimata, et prorſus Socratico ſale perfuſa ſunt, quod vel vnum Mabillonii veſtri, et vero iudicio incomparabile opus, apertiſſime confirmat. Multi noſtratium redundant in ſuperuacuis, et non neceſſaria afferunt, et, vagantes per abrupta, lectionis aliquid, iudicii nihil, oſtendunt. Vos paucis multa et ſolida, reconditaque omnia, complectimini, et non alienam, ſed viuam, cuiuſqueingenii ſpeciem redditis, idque pari induſtria et dexteritate praeſtatis. Profecto ſtatim frangitis corticem, nucle-

umque expromitis, ſi quis in eo delitefcit, et vno miſſu omnes opes copiaſque exhibetis, inutilemque et faſtidii plenum apparatum ſcite prudenterque vitatis. Verbo dicam, non verbis ſed monimentis cuncta ponderatis, et, in quibus ſumma rerum poſita eſt, ſtatuitis ac pronunciatis. Nihil do auribus veſtris, et ſine ſtudio, quid ſentiam, aperio, iamque vobis panegyricum, Illuſtriſſimo Henrico Friſio, et gentis et ſocietatis veſtrae, dum viueret, amantiſſimo, dictum, inſcribo, petoque, non tam mea, quam togati herois, et, ſi addere licet principis *El.* Sax. cauſa, cui a ſeruitio et conſilio fuit, aeſtimandum et recognoſcendum libenter ſuſcipiatis. Ego pro gente, pro patria ornamentis veſtris, Deo immortali ſupplicabo, vt aeterna ſint, diuque floreant, nec metu minisque barbarorum, qui Auſtriae limitem ruperunt, vnquam percellantur, rabieſque et furor, placata Dei ira, deſinant, tandemque compeſcantur. Ita te Stator rerum cum illuſtri Societate hominum longe eruditiſſimornm, ſeruet, atque a ſaeculi iniuriis defendat. Cal. Septembr. A. ClƆ lƆCXXCIII.

CLXVII.

CLXVII.
PHILIPPO IACOBO SPENERO.
Doct. Theolog.

PRoximis tuis citius respondere volui, sed finitimus Austriae limes metu nos omnes perculit, quod barbari, in eum effusi, igni ferroque saeuierunt, sedem Augustam occupaturi, nisi Dux Lothariensis, paucis ante horis, praesidium viribus validum vrbi immisisset. Res, proditione Serinii tentata, Deo prohibente non successit, nec ambigitur, quin Galli consilia fouerint, quorum consilia in eo posita sunt, vt per exitium Austriae ad Germaniae dominatum grassentur. Conducti sunt Turcae et inuitati, pensionibusque et pecuniis solicitati, vt vim faciant, Caesaremque distrahant, Gallo interim paces legis dicturo, si nemo resistere possit, turbatis Germaniae rebus. Adhuc Regem pungit, neque id dissimulat, quod Caesar Belgico bello occupatum se distinuisset, vnde suis consiliis remorae, difficultates, et alia ex aliis impedimenta, obiiciantur. Periisset, fateor, cum Belgio non Germaniae modo, sed Europae Christianae, libertas. Nunc, rebus ibi instauratis, Hispaniae res vtcunque sustentantur, et Austria sensim se colligit, ac Vienna se strenue defendit. Effeminatus Rex est Ma-

hometes IV. qui ſola multitudine non vincet, nec metu miniſque robur noſtrum franget. Sexaginta millia Turcarum in acie ſtare poſſunt, ceteri imbelles, turba potius, quam exercitus, ſunt. Scythae ad populandum apti, non ad pugnandum. Praetorianorum flos, in obſidione conſumptus, admonet, vt de ſecunda proelii fortuna bene ſperemus. Ex his aduerſis rebus felix patriae initium auguror, ſi Turcae, clade accepta, pacem fecerint. Bella diuturna ſane cum Europaeis non gerunt, nec gerere aequis viribus poſſunt. Interim robur Brandenburgici integrum eſt, Luneburgici cum Dano reconciliati, Saxo cum inſtructo et exercitato milite reuerſurus, Boioariae Princeps a Gallo alienior, et libertatis amans. Videt Ludovicus, cauſae diffidit, pacem iniquis conditionibus, aut *armiſtitium* paci non diſpar, extorquet, et artes Turcicas egregie exercet. In parte *regalium* Pontifici Innocentio XI. crucem figit, et, quod ius Imperatores per ſocordiam diſcordiamque amiſerunt, tuetur ac retinet, deinceps fulmina Romae aſpernaturus. Noſtra, quae ad Academiam ſpectant, incerta, iamque in D. Bebelium rurſus aliqui noſtratium eriguntur. Quid futurum ſit, neſcimus, et animo ſuſpenſi ſolicitique eventum exſpectamus. Ita vale

cum

cum nobilissima familia tua, et me, vt soles, beneuolentia complectere. Vitembergae Saxonum. Cal. Sept. A. R.ꝫG. cIↄ Iↄ CXXCIII.

CLXVIII.
THEOPH. SPIZELIO,
Theol. et Philol. Augustano.

PEto quantis possum precibus, panegyricum Illustrissimo Frisio dictum, Magliabechio transmittas, operamque et officium pro aequissimo in me animo probes. Faciam, vt prima quauis occasione cum studia, tum obseruantia mea tibi constare possit. Deo immortali demum supplicabo, vt te coetui fidelium, et reipublicae litterariae quam diutissime seruet. Vitembergae Saxonum. Cal. Sept. A. cIↄ IↄCXXCIII.

CLXIX.
IOANNI GEORGIO ORTHIO.
Patricio Francof. ad Moenum.

PRoxime omnes consternati sumus, cum barbari ad oras usque nostras grassarentur. Nunc recipimus sensim animos, & de Viennae defensione bene speramus. Saxo cum exercitu ad Caesarem perrexit, Brandenburgicus moram trahit, iamque id agit, vt Luneburgici cum Dano in gratiam re-

deant, quod Germaniae rationibus conducit, et futurum omnes ſperant. Funeſta Gallorum conſilia ſenſim perlucent et in fumos abeunt, ac vento meliore diſſipantur. Danus, in perniciem armatus, conquieſcit, Suedi metu et periculo liberantur, Vngari, a Gallo impulſi, aeſtuant, Tekelius vltione ardet, pecuniis promiſſiſque incitatus. Turcae furorem effundunt, auctore *Chriſtianiſſimo*, ad perdendam Auſtriam inflammati: ſed, Vienna ſeruata, omnes Caeſaris res tuto loco erunt. Damna, direptiones, incendia, caedes, captiuitaſque et ſeruitus tot innocentium hominum aequo placitoque animo ferenda ſunt, quorum poenam expetet in barbaros vltor Deus. Quid cum Patre tuo agatur, qui litis tam diuturnae exitus ſperetur, quibus adiutoribus eam moueat, vrgeat, impellat, ſcire cupio vehementer. Librarii noſtri praeter meam exſpectationem abierunt, vt nihil temporis fuerit ad panegyricum tranſmittendum. Fratris eximia fortunataque conditio mihi perplacet, et honorem ipſi ampliſſimum ſpondet. Tu, quaeſo, effice, vt omnia ex te intelligam, neque prius belle habere poſſum, quam accurate de his ſingulis perſcribas. Non. Sept. A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLXX.

CLXX.
SACERDOTI CVIDAM.

MAgni facio propenſam in me voluntatem tuam, quàm aperte ſatis perſpexi, quod in cauſa Dieterichiana nullum mei iuuandi locum praetermiſeris, atque, vel hoc argumento, rurſus ad obſeruantiam gratumque officium me excitaris. Syngrapham bona fide miſi, vt cognoſceres, me nihil petere, niſi quod mihi debetur. Artes malas, conſilium fallendi, auaritiam, procul habeo, tantum repeto, quod omni iure ad me ſpectat. Non dubito, quin, tua et illuſtris Senatus auctoritate, homo diu tergiuerſans in ordinem redigatur. Aegre quidem adducor, vt duos numos vnciales de ſumma remittam, niſi, te ſoluendi reliquos ſponſore, id fiat. Filius tuus breui iterum ſpecimen dabit, cuius in antiquitate et temporum exemplis ſtudium cum laude coniunctum eſt, nec minus ingenio induſtria reſpondet. Spero, dignum fore, qui doceat hiſtoriam, ſi deinceps ſic eo conferat operam, vt hucuſque ſolet. Quare optimorum ciuium loco eum habeo, et, te, opinor, non repugnante, hortor, vt in hoc tam egregio propoſito perſiſtat. De reliquo temporum conditio melior eſt, poſtquam barbari, ab

Au-

Augusta Vrbe reiecti, inclinantis sane Imperii indicium praebuerunt. Ego non diffiteor, Polonis Germanisque, Saxonibus pariter, et Francis vestratibus, victoriae tam insignis fructum ferri acceptum. Metu solutus, de foedere Polonico, quod innocentius XI. conciliauerat, bene speraui, quod feliciter euenit, cum vsu et arte bellandi contra Turcas vnus ille Ioannes Sobieskius omnes Europae Reges antecedat. Barbari incaute et confuse belli obsidionisque munia obierunt. Saxo noster Mauritium imitatus, non minori animo, quam cura, per aditus Calenbergicos, ab hoste neglectos, contendit, faustumque pugnandi initium fecit. Quae expeditio Gallum, ex occasione consilia captantem, confudit ac perturbauit, vt magis comiter agat cum Germanis, quibus iam leges pacis cum iactura libertatis daturus videbatur. Is auctor et impulsor scelerati belli non vane creditur, poenam ambitionis tandem pari exitu pendat, qui societate consilii Turcas sibi coniunxit. Sed respiciat Deus Vngariam, qua sacra emendata amplectitur, quae libertas mea quidem opinione conuelletur. In Silesia nostrates affliguntur, non cessantibus *sacrificulis*, vbi *ecclesiae* propagandae occasio se ostendit. V. Non. Oct. A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLXXI.

CLXXI.
ALBERTO FRIDERICO SYBVRGIO.
IC. et Consuli Magdeburgensi.

Litteras tuas, superioris recordatione amicitiae iucundissimas, sed non subscriptas, indicio sigilli facile agnoui et recte accepi. Commendatus ille iuuenis nondum me adiit, cuius gratia nullum, quod a me quidem exspectari potest, officium recusabo. Neque animo excidit, quod in causa aeris alieni, a Hausherio contracti, auctoritatem, pro eo, ac par erat, interposuisti. Vellem, id porro meis precibus dares, vt consilio iussuque tuo ad persoluendum, quod eo nomine reliquum est, moueatur. Ego vicissim honori et vtilitati tuae seruiam, et, pro veteri amicitia ac dignitate tua, partes officii tuebor. Tantum abs te peto, vt memoriae tuae monimentum Rixneri librum, de *torneamentis* inscriptum, bibliothecae meae inseras, idque audaciae humanitate tua fretae concedas. Opus iuridicum, vel quod tibi placet cunque aliud redditurum me polliceor, atque huius promissi fide epistolam et animum honori tuo addictissimum obsigno confirmoque. Id. Oct. A. cIɔ Iɔ CXXCIII.

CLXXII.

CLXXII
BENEDICTO KRESSIO,
Quaesturae Misenensis EL. Praefecto.

SEro quidem, at sine dolo, apocham, manu sigilloque meo firmatam, summa cum grati animi significatione tibi mitto, petoque, vt moram voluntati in me propensissimae condones. Simul atque enim ex filio tuo, morato et bono iuuene, intellexi, nobilissimum Iauchium, capessendi summi honoris causa, ad nos venire constituisse, rem eo vsque differendam putaui, vt iste simul interpres meae erga te obseruantiae, et non vacuus aliquot pagellarum lator rediret. Munus, fateor, tuae exspectationi impar, sed, quod, in aere tuo me esse, testetur. Filius tuus recta consilia sequitur, et studia sapientiae doctrinarumque nauiter excolit, et vitam moresque ad praecepta pariter, et honesta exempla, conformat. Alumnus idem Ziegleri, qui meus auditor sedulus, elegantiam litterarum, et artes humanitatis, ac monimenta in omni genere eximia, versat, luxum, aleam, ignauiam, vitat. Quare de eo bene spero, et tibi patriaeque de idoneo filio gratulor, quem praestantissimus ingeniorum existimator, hospes meus, diligit, commendatumque habet. Tantum oro, vene-

venerorque Deum, vt iuxta cum tali et tam rectae indolis gnato, diu ſuperſis, et ſaluus incolumiſque florentem eius olim fortunam, etiam Metello felicior, intuearis. VII. Cal. Nou. A. clↄ lↄCXXCIII.

CLXXIII.
HENRICO IVNIORI L. B. A FRISEN.

GRatulari, an gratias agere, Illuſtriſſimo Nomini Tuo debeam, incertus ſum, ſed, dum me colligo, vtrumque fieri, par eſt, etſi forte ſerius ago has partes, et, vel reditus proximi tui cauſa, ſcio, eſſe mihi gratulandum. Non ſilebit poſteritas, et patria, vehementer gaudebit illa tua fortitudine, quam Saxoni, Caeſareae expeditionis ſocio, vltro ac praeſenti animo in caſtris aduerſus barbaros, atque in primo periculi aditu, ſolo gloriae auctoramento, et, quod rei caput eſt, voluntarius miles, demonſtraſti. Vulgus quidem togam a belli artibus ſeiungit, neque capit faſtigium, in quod virtute tua prouectus es, temporumque praeſentium fortunam ſtatumque reputas, et, bellum paci anteponendum eſſe, cenſes. Fata Graeciae imitabitur Germania, et decus libertatemque, armis partam, cum triſti ſeruitute tandem commutabit, ſi, vt Graeciae Principes, arma negligat, et languore fatali, ſola pacis

non

non firmae et iniquae ſpe, in exitium in cauta ruat. Quam patientiam maiores tui ignauiam interpretati ſunt, atque, ex rerum temporumque occaſione, pacis bellique ſtudia ſimul reip. probarunt. Per eorum veſtigia incedis, et comitem Principi manu conſilioque exhibes, quod nunquam magis, ac nuper in tam dubio ancipitique armorum periculo, perſpectum eſt, cum, fide in Saxonem, et amore in Caeſarem, verſus Danubium tenderes, atque ad libertatem Chriſtiani orbis tuendam, omnia conſilia referres. Quod inceptum, gloriae immortalis plenum, fortunatus pariter tanti laboris exitus conſecutus eſt, cuius fama vigebit in animis hominum, donec Auſtriae nomen durabit. Nec vero mihi non perfungendum eſt munere obſequentis et grati clientis, quem redux magno et inuſitato beneficio affeciſti, ac ſane praeter meritum ornaſti, pudoremque ſimul, et metum incuſſiſti, quod mea ſors non fert, vt gratiae reddendae locum mihi promittere aliquando auſim. Quare votis precibusque annitar, vt ſecunda valetudine et proſpero rerum ſucceſſu gloriam nominis gentiſque augeas, et; Diui illius Patris in hereditate laudis ſucceſſor, ſolidam ac aeternam famam in altiſſimo reipublicae gradu ſerues, et illibatam,

tam, nihil obnitente inuidia, in posteros, felicitate admirabili, semper propages. Cal. Dec. A. cIↃ IↃCXXCIII.

CLXXIV.
IOANNI VVALTERO,
Senatui Luneburgensi a secretis.

MAgno metu liberati sumus, postquam barbari in fugam acti, caputque rerum in Danubii limite, magno cum orbis Christiani gaudio, nuper est defensum. Erigit denuo se gentis nostrae virtus, et successu prospero magis excitatur, quum Principes, non sedendo, sed pugnando, fata Graeciae auerti posse intelligunt, et sese ad resistendum comparant, ac libertatem tuentur. Saxo noster castra sua cum Caesaris coniunxit, atque inter primos ordines dimicauit, specimenque dedit auitae virtutis. Nec minus Guelfi vestrates patriae claustra firmarunt, bellumque ciuile, iam gliscens, velut in initiis suis restinxerunt, Gallorumque foeda et perniciosa consilia, immortali cum prudentiae fortitudinisque laude, dissiparunt. Non tacebit posteritas, nec mirari desinet hanc animi praesentiam, quam in tot tamque multis et difficilimis patriae rebus, identidem et vltro demonstrarunt. Quare, vt fieri par est, exoptamus, vt benignum Numen porro

haec consilia fortunet, gloriamque victricis et Martiae domus afferat, ac maioribus in dies praesidiis firmet. Quod ad meas rationes priuatim attinet, nihil perinde cupio, quam vt tibi studia officiaque honestissima semper probare possim. Propinquum meum tuo deinceps patrocinio traditum commendatumque volo, qui iurisprudentiae se consecrauit. Ego pro virili illum iuuo, et Iuliae verstrae eum destino, speroque, fore, vt, si aliquando ad te veniat, auctoritate tua efficias, quo vitae moribusque cuiusdam iuuenis nobilis praeficiatur. Nam, confectis studii Academici rationibus, iter in Galliam facere, hoc tali muneris auctoramento, constituit, si quidem occasio apud vos se daret. Nostri homines plerumque lubrico aetatis a via aberrant, et illecebras potius externas, quam virtutem sectantur. Ita vero te bene agere volo, optoque, vt Iunone propitia, nouam nuptam felici fortunatoque foedere tibi adiungas. Ita, inquam, bene agere te cupio et belle habere. Non. Decembr. A. clɔ lɔCXXCIII.

CLXXV.
IOANNI CNAVTHIO,
Rerum Sacr. Dippolidsvald. Praefecto.

SAepe, nec sine gaudio, consuetudinis tuae recordor, et iudicio tuo permultum tribuo,

tribuo, quod in vario doctrinae genere explicatum reddidisti. Nam doctrinae condimentum prudentia est, quam multi negligunt, et affectibus potius, quam vtilitati publicae, seruiunt, ac intempestiuis contentionibus forte etiam gloriam quaerunt. Morbus hic eruditorum est, qui late serpit, et multorum animos incessit, vt omnem in eo laudem ponant, si strenue possint rixari. Longe melius de studiorum dignitate existimat Samuel tuus, et infra se ducit hunc illiberalem morem. Scriptores veteres legit diligenter, et scite imitatur, iamque eo peruenit, vt stilum effingat ad optimam dicendi formam. Aditus illi ad me semper patet, et tempus bene collocat, ac re atque exemplo constantem se praebet. Rationes imitandi selectiores illi et fratri meo tradam, si dies erunt longiores. Iam enim vespertino tempore inter nos colloquimur, et proficimus, mutuoque excitamus. Ioannis Conradi, egregii atque eruditissimi iuuenis, reditum auide exspecto, et valde opto, vt laetus incolumisque ex Britonibus Batauisque reuertatur. Munus tuum insigne, et meritis meis maius, animo meo nunquam excidet, et, quantum familiae tuae debeam, commonebit. De cetero belle valeas, et reipublicae sacrae magna commoda afferas decusque partum in filiis, stirpe sua dignissimis

ſimis, ſemper conſerues. Idib. Dec. A. cIɔ IɔCXXCIII.

CLXXVI.
SACERDOTI CVIDAM.

Filius tuus, omni officio a me cultus, iam repetit patriam, et, niſi me coniectura fallit, Academiae nuncium remittit. Malebat quidem cum ſodalitate noſtra copulari, diutiuſque coniungi, ſed iuſſis tuis obniti non potuit, et obſequii pietatem vltro teſtatam fecit Vnum quidem abs te petit, vt itineris ſibi ad exteros faciendi poteſtatem concedas, quod non diſſuadere auſim, ſi rationes tuae ferant. Nam haud illiberaliter exiſtimat, ſe vſu et ope peregrinationum doctrinae cumulum facile additurum, quam ſpem fixam locatamque habet, in Principis veſtri gratia, ſperatque fore, vt ſuae aetatis ratio habeatur, aut digno certe in loco, qui meritis eius congruat, collocetur. Altera vice egregie inſtructus praeparatuſque hic diſputauit. Adfui audiui, et probaui omnia, quae dixit, et in graui antiquitatis argumento expedite decidit, a dubitantibus ex aſſe, vt antehac, et apte ſatiſfecit Itaque virtus ipſi praemia decernit, quae fortunata eſſe ipſi cupio, vt ſenium tuum honeſtis eius laboribus inpoſterum fulciatur. Stemus erecti et firmi, atque Europae

pae imminentes conuersiones Deo moderandas mutandasue committamus Sane Principes, dum cauent, ne metuant, efficiunt profecto vt metuantur. Duo Emerici Austriae fatales, consilia de Buda et Belgrado intercipiendo impedita, et effectu ardua, et nisi Veneti in barbaros se arment, vix facultatem habitura. Hispanus, Gallo impar, existimationis tuendae cupidus, bello aperto potius quam pace dubia et probrosa, reliquias Belgii amittere cupit, vt Batavi vel sic a veterno excitentur, qui superiori tempore ingrati erga socios extiterunt. Deus interim optimum Principem vestrum, patriamque, et tuam sigillatim sub tutela laetiori familiam, tueatur. X. Cal. Ian. A. cIɔ IɔCXXCIII.

CLXXVII.
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dresdensi et Consiliario Elect.

SAepe multumque opto, liceat mihi esse tam felici, vt omnes officii numeros absoluere, votique mei fructum capere queam, vt saluum te semper florentemque audiam, et tuis praecipue consiliis respublica fulciatur. Nam pauci sunt, et vix vnus atque alter nominari potest, qui plus ad communem Saxoniae elegantioris vtilitatem afferre valeat, quique tot annos ita se gerat, vt

nulla difficultate a curatione amplissimi muneris sese abstrahi, patiatur. Omnes sciunt et sine assentatione summam laudem tibi tribuunt, ac hoc etiam mirantur, quod nihil te retardare consulentem in publicum, multo minus negotiis defessum auocare queat. Multorum sane animi facile languescunt, et labore obtunduntur, sed tuus ille diuinior semper in luce est, et in rerum varietate vires sumit, magisque se erigit, atque ex hoc reficitur, vnde alii remollescunt, et franguntur. Quam animi vim vigoremque perpetuum habeas, et aetate similiter firma valetudineque prospera, quam nulla calamitas inclinet, constantissime vtaris. Temporum aduersa, quae instant, tuo consilio saltem lenientur, minusque tangent studiis deditos, qui sub tutela tua, quasi vmbone quodam, conquiescunt. Nemo non praeuidet rerum Germanicarum ancipitem fortunam, dum, qui cauent, ne metuant, vltro efficiunt, vt metuantur. Omnia lenta, ambigua, et tristibus laetisque mentibus varianda, se offerunt, quae ne grauius noceant, permultum in te positum est, qui vsu rerum, et summa prudentia, ante alios polles, et amore in litteras nemini concedis. Austria quidem frangendi barbarorum dominatus spem facit, Budaeque recuperandae desiderio tenetur, atque, occasio-

casionem hanc sibi datam esse, intelligit, si quidem id molitiones Galliae non prohibeant, quae, nisi fatum intercesserit, improuisum et ingens periculum Germaniae conflabunt. At enim non sinet Deus perire patriam, et meliore loco res nostras constituet, si Caesari non desint officia Principum, bellique artes valeant, quibus aeque ac legibus, magna imperia continentur. Itaque dignam aeuo nostro personam sustinet Saxo noster, et, auctoribus consilii optimis, hanc praecipuam regiminis sui curam existimat, vt patriam, fortunasque ciuium et imperii dignitatem tueatur. Cuius specimen fortitudinis superiori anno datum est, cum, Caesari ad extrema redacto, auxilium ferret, ac diu noctuque in pellibus ageret, et inter primas cohortes staret, acriterque pugnaret. Non capit laudes haec pagina, et iam toto orbe peruulgatae sunt, novumque et aeternum decus principi, virtute sua maximo, rependunt. Quem seruet Numen, et res cogitationesque eius fortunet, ac, nihil eorum, quae agit et destinat, in deterius mutari patiatur. Illud vero, Patrone Summe, omni cura videas, vt inter negotia ardua, quibus semper districtus es, valetudini tuae parcas, quod magis tibi, quam reipublicae, quae nunc maxime tuis consiliis eget, tribui par est, idque ego

cum primis abs te peto, et iure quodam clientis postulo, atque omnia laeta et prospera tibi et familiae tuae longe nobilissimae precor. Propridie *Epiphaniorum*, A. clↄ Iↄ CXXCIIII.

CLXXVIII.
NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

SAepe consilia et curae tuae longe grauissimae animo meo obuersantur, quibus propitium intersit Numen, et ancipites temporum euentus, te omnium deliberationum principe, coelesti et benigna prouidentia moderetur. Totus enim prope orbis ad bellum spectat, motusque Gallorum denuo Belgium perturbat, et vix tuendae libertati Germania sufficit, Caesare belli Turcici cogitatione distracto, et rebus tantum non vbique adflictis, et fere conclamatis. Iusta tamen causa, et tua incomparabilis indefessaque diligentia nos, de omni spe deiectos, erigit, et frangit solaturque dolores, quando malis publicis, quae nunc prorsus vitari non possunt, leniendis operam adhibes, atque hac animi solertia, omnes in admirationem tuam conuertis. Multa, a Diuo Henrico inchoata, feliciter perfecisti, quaedam etiam, tunc nondum coepta, suscepisti, et impedita quaeuis negotia tibi explicanda seruasti, et plurima etiam

etiam, quae alii abiicienda censebant, perfecta reliquisti. Cetera, quae formidolosum hunc annum reddunt, Deus expediet, et curas conatusque arduos adiuuabit, nec sinet perire laboris tui fructum, et vitam valetudinemque prosperam confirmabit. In hoc vertit salus reipublicae, et Principis El. dignitas, et fortuna omnium, quae, hoc tam misero conturbatoque saeculo, tua vnius opera et consilio, nituntur. Itaque cupio, et, vt par est, coelestibus supplico, vt difficultates temporum, tuo praesertim ductu, corrigantur, minimumque, si auerti non possunt, temperentur, et Saxonica libertas, legesque et litterae, laetis auspiciis fundatae firmataeque, nunquam conuellantur. Hoc abs tua regendi arte, et prudentia omnibus numeris absoluta, exspectat haec aetas, et, me voti interprete, vt quam diutissime consilii clauum teneas, et, cum illustrissima coniuge ac gente natisque omnibus, perpetuo et constanter floreas, precor. Id. Ian. A. cIↄ Iↄ CXXCIIII.

CLXXIX
IOANNI FRIDERICO HEIGIO,
IC. et EL. Sax. Consiliario.

POstridie *Epiphaniorum* redditae mihi sunt litterae, quas Ludolphus iunior ex Anglia perscripsit. Nescio causam quamo-

brem ferius curatae fuerint. Vix autem dubito, per incuriam mercatorum negligentius habitas, aliquandiu jacuisse. Simul atque vero ad me perlatae sunt, munere meo perfunctus, statim et sine mora mittendas, censui. Homo scitus est, et rerum, quae publice aguntur, haud ignarus, antiquitatis etiam et notitiae librorum perquam studiosus, et in locorum mensuris ac Geographia non mediocriter versatus. Quem, hac transeuntem, eruditio selectior, et familiaritas cum Anglis contracta, mihi facile conciliant, et paulo ante eum Prägestus mihi adfuit, cui negotium dedi, rariores plerosque libros illic coemendi. Non paucos ipse apportaui, et singularem Anglorum Londini et Oxonii beneuolentiam expertus sum, ac saepe audiui eos Saxonum cognatione et consensu libenter gloriari. *Hierarchici* id sane agunt, vt nobis accedere propius, et rationes doctrinae similimas tueri, velint. Valde amo illud regnum, ob litteras, et summam doctrinam sapientissimorum hominum, dum modo motuum semina non tam crebro ibi spargerentur. Ego vero Deum oro, vt annum hunc, pericula maxima imperio minantem, benigne moderari, et Saxoniae cum primis ac tibi vtilem, et in explicandis quoque arduis pa-

is patriae consiliis felicem et salutarem esse velit. Idib. Ian. A. cIɔ Iɔ CXXCIIII.

CLXXX.
HENRICO HAXTHVSIO,
IC. *Serenissimi Hassorum Principis Cancellario.*

SAepe mihi in mentem venit magnae comitatis tuae, quam, ex Gallia redux, Aroldesiae perspexi, eo praesertim tempore, quo velut in voluntario exilio versari mihi videbar. Etsi vero tunc sustinebas personam publicam, tamen nescio qua facilitate me appellabas, et benigne humaniterque etiam Cassellas vsque inuitabas. Fidem, fateor, dedi itineris eo faciendi, et optaui, euenire mihi hoc fortunae beneficium, atque id omni studio egi conatusque sum, vt vel in transitu apud te inuiserem, obseruantiamque approbarem. Sed litterae e Saxonia missae, et abeundi celeritas, et cum primis nuncius de incendio in vicinia aedium mearum oborto allatus, ita me conturbarunt, vt mihi ipsi non constarem. Quare festinandum duxi, et, quantis potui, itineribus, Francc furtum contendi, vbi schedas et libros r 'iqueram, ex Anglia Galliaque asportatos. Mox ad Moenum profecto, bibliopolae Saxonici renunciarunt res meas, et sumptuosam praecipue

pue bibliothecam, eſſe ſaluas, ignemque non paruo diſcrimine reſtinctum. Ita demum collegi animum, et Caſſellas cogitaui, quarum imago identidem occurrebat, ſed, cum de Saxonico itinere maturando interpellarer, neceſſitati cedendum duxi, et, corpore ſeiunctus, in conatu pietatis conquieui. Ex eo tempore varios Academiae magiſtratus geſſi, et priuatim bene habui, niſi quod ſuperiori anno barbari, Gallicis artibus concitati, ad fines vſque noſtros graſſaturi timebantur. At enim hoc metu iam liberati ſumus, et Ioanni III, Regi inuicto et Martio, permultum debemus quod vrbs Auguſta ſeruata eſt, et fuſi fugatique hoſtes procul Germaniae limite retroceſſerunt. Actum de communi patria erat, ſi Turcis coniuratiſque impia et ambitioſa conſilia ex animi ſententia ſucceſſiſſent. Interim quaſi in ſinu gaudere Gallus, et per Bethunium Sileſiae adipiſcendae ſpem facere Polono coeperat, nec occaſio deerat, ſi rex ille ſibi indulgere, et rem Chriſtianam negligere voluiſſet. Quem Pont. Max. Innocentius XI. ea, qua decebat, cura, partibus Auſtriis conciliauit, futuri prouidus, Gallumque formidans, quippe quem ex Auſtriae ruinis creſcere nollet in Italiae perniciem, regnumque trans Alpes moliri. Vellem, pari exemplo Germa-

mania ſibi conſuluiſſet, Regiſque potentiam a Rheni finibus auertiſſet, quae nunc eo progreſſa eſt, vt vix ſiſti, multo minus frangi, poſſit. Argentoratum, dignam Rheni Imperio Vrbem, et vltimis Francorum temporibus ditione reipublicae coniunctam, ſub imagine pacis intercepit, domum Palatinam attriuit, cum Bipontino Principatu, velut peculio ſuo egit, finitimos Comites ſacramento adegit,et, pro lubitu, quae voluit, nullo armis obnitente, imperauit. Inter alios, ad reſiſtendum validos, diſſidia alit, quoſdam penſionum auctoramento deuinctos habet. Hiſpania, ad incitas redacta, vix regni ſui molem ſuſtinet, Caeſar rerum ſuarum ſatagit, et periculo domeſtico ad ſuam ipſius defenſionem auocatur. Interim Batauia, erga ſuperiores ſocios ingrata, more ſuo tergiuerſatur, breuis morae, vt auguror, datura poenas, ſi, vicinum Hiſpanicae ditionis Belgium prorſus ſic occupari patiatur. Iam proxime a periculo abeſt Luxemburgum, nec tutiori loco ſunt mons Hannoniae et Namurcum,ſi Hiſpani,per ſe impares, deſtituantur. Angliae Rex, Galliae obaeratus, et Anglis ipſis inuiſus, multum de Henrici VII. et IIX, et Eliſabethae conſilio deflexit, nec praeſtat Europae, quod Nouiomagi ſpopondit. Heluetii, non minus irre-

titi

titi laqueis, tragoediam securi adspiciunt, atque in Septentrione Regibus in se concitandis, noui stimuli adhibentur. Quanto generosius constantiusque Optimus Hassorum Princeps, tuo et senatorum aulicorum consilio, in tuendam patriae libertatem incumbit, et necessariis saeculo nostro belli artibus Germaniae ostendit, vnam et dignitatis, et libertatis propugnandae spem in armis esse sitam. Sane tota aula nostra personat Principis vestri laudibus, et curam operamque praedicat, quam ad publicam patriae defensionem, insigni et laudabili exemplo, confert. Ego, in epistolae extremo, Principi Optimo vitam diuturnam et gloriam perpetuam, tibi autem et nobilissimae familiae valetudinem firmam, et fortunam secundam, res denique omnes florentes, precor. IV. Eid. Febr. A. cIɔ Iɔ CXXCIV.

CLXXXI.
HENRICO GVILIELMO LVDOLFO, IOBI F.

Magnis et illustribus Viris abundat Anglia, quorum monimenta vehementer expeto, et, si quid edatur, scire aueo, praesertim, si ab Isaaco Vossio, Bernardo et Gale, et hominibus antiquitatum peritis, expoliatur. Ex Italia luculenta opuscula ad me cura-

curauit Magliabechius, humanitate plenus. Lipsienses in recensendo bellum laborem sumunt, et a veterno excitant semidoctos, et doctis inseruire student, dum libros in notitiam perferunt, quos multi ignorant, plures negligunt, et, ad se non pertinere, existimant. Saxonia vero nunc schola belli est, et Saxo cohortium, quas in Austriam duxit, supplementa scribit. Aestas erit difficilis, vtinam, non Germaniae funesta et luctuosa. Ita vero Deus Angliam, beatorum insulam, et litterarum parentem a motu et turbis integram florentemque seruet. Id. Febr. A. clↃ lↃ CXXCIV.

CLXXXII.

N. PRAGESTO,

Societatis Angl. Reg. Socio.

INgenium dotesque tuas, et magistram doctrinae experientiam valde probo et aestimo, litterasque tuas, nondum redditas, auidissime exspecto. Ornamenta Angliae, et in litteras merita, omnino maxima et immortalia, veneror, cupioque, vt crebro perscribas, qui rei litterariae status sit, quales libri apud vos edantur. Palmam habet Anglia, beatorum insula, et Medicis, Mathematicis, Philologis, abundat. De Theologis nil dixerim, nisi quatenus de antiquitate merentur. Horum et mul-

multos, et egregios esse, scio, et monimenta laudo, et in recensendo fidem, atque in commentando iudicium, admiror. Floreat per me diues, fortunataque insula, et regnum sapientiae teneat, et, procul motu metuque antiquam laudem tueatur. Ita te Deus et vrbem, rerum dominam, et studiorum parentem, et te, nuper adscriptum ciuem alumnumque, seruet. Idib. Febr. A. clↄ Iↄ CXXCIV.

CLXXXIII.
AMICO CVIDAM.

ANceps de instanti bello spes et ambigua fama, multis et metuendi, et sinistra credendi, materiam praebet, litterisque, pace florentibus tristia obnunciat, et inertiam ingeniis, vulnera imperio, minatur. Gallia tamen inter belli artes se erigit, et certamine gloriae aduersus omnes contendit, inuidiamque Anglis excitat, quos alioquin et ingenio valere, et doctrinae subsidiis abundare scio. Thomas Galeus in Graecis desudat, et multa ac luculenta, castigatiusque edenda, promittit, Thucydidis, Dionysii Halicarnassensis, Diodori Siculi, Luciani, Philostrati opera diligenter recenset. Scholae Londinensi praefectus est, quam non vulgari, nec protrito docendi genere illustrauit. Cum ei praesens essem, omni

omni amore et officio me profecutus eft, et de quibufuis fcriptoribus, praefertim Graecis, pulchre differuit, inter Germanos Reinefium maxime, Gudiumque in Cimbris, collaudauit. Additamenta Clodii in Synopfin Criticorum Poli non auide exfpecto, propterea, quod minora funt exfpectatione mea, hominis quippe vltra Hebraeorum litteras non multum progreffi. Henrici Norifii epiftola confularis breui ex Italia ad me perferetur. *Abbas* Fabrettus, qui antiquitates Romanas multa fuauitate perfudit, et de aquis atque aquae ductibus vrbis aliquid politum et elegans emifit, obferuationes fane luculentas et raras de Columna Traiana Romae edet. Graeuius Thefeum Meurfii, ac *Paralipomena* libri de populis Atticis, et epiftolas ad Atticum, nouo induftriae fpecimine curabit. Stephanus le Mayne aliquot Patrum fragmenta illuftranda fufcepit, fed promiffum de Iofepho non exfoluit. Langueti epiftolae quaedam non editae, et lectu vtiles, et ad Thuani, fuperiorifque faeculi hiftoriam pertinentes, prodibunt. Lutheri famam et merita vindicabit Seckendorfius, ac multa ex Gothano tabulario depromet, quibus vera actorum capita conftituantur. Quod reliquum eft, fi ftudia mea, quamuis exigua aut modica, vel vfui, vel ornamento tibi effe poffunt,

recipio, me omnia facturum, in quibus operam industriamque meam flagitare possis. XVI. Cal. Mart. A. cIↄ IↄCXXCIIII.

CLXXXIV.
PETRO HOMFELDIO, IC.

IVre te amo atque in oculis fero, sed patriae tuae vicem doleo, quam repentina Dani arma perterrefaciunt ac perturbant et, intercepta Ieuera, vix aegreque conquiescunt. De Germania crede mihi, actum fuisset, si Vienna Austriae periisset, ex qua Galli et socii alii, consilia suspendebant, omnia pro lubitu ausuri, si barbari Vrbem Augustam expugnassent. At enim benignius fatum omnes hostium molitiones conuertit, nec dum Germania lacessita et conturbata, nec Hispania euersa est, ac, Sueo vtriusque labantis adiutor, firmo animo rerum Danicarum euentus exspectat. In Polonia Ioannes III, Stephani Bathorii similis, et barbarorum terror, omni ope se comparat ad expeditionem, adulto vere rursus suscipiendam. Iamque exitium Turcae imminet, et Cosaci vsque ad vltimos hostium fines peruadunt, et Barbaros fugant ac fundunt. Res prospere eueniet, nisi Bethunius, in Poloniam redux, nouas inter regem remque publicam discordias moliatur. Forsan etiam Germani difficiles erunt, non relatae

latae gratiae, nec perſoluti praemii, hucuſque ſibi conſcii, niſi odium, et inuidia laudis, pro praemiis habeantur. Herus meus, Saxo, ſuarum imperator cohortium, id eſt expertus. Plura enim ſcribere non audeo. Amſtelodamenſes, vicini veſtri, tricantur interim et tergiuerſantur. Miror, quorſum res ſit euaſura. Principi diffidunt, cuius potentiam occaſione belli nimiam reddi putant. In extremo a te peto, Cadouium de numis, pro me et Academia perſoluendis, admoneas, quod reliquum debet, Schepelero, patriam repetenti, commendaui. Deus vero te, familiamque tuam ſeruet. XV. Cal. Mart. A. clↄ lↄCXXCIIII.

CLXXXV.

ANTONIO MAGLIABECHIO:

Magni Etruriae Ducis Conſiliario et Bibliothecae Praefecto.

SVmma tua beneuolentia vincit exſpectationem meam, nec dandi modum habet, et tot, tamque multis, ac nullo ſane pretio aeſtimandis muneribus efficit, vt ingenue fatear, me praeter cultum atque obſeruantiam nihil reddere tibi, viciſſimque largiri. Litterae tuae nectare Etruſco ſtillant, et ſuauitatem plane incredibilem effundunt, vt melle et mulſo non imbuere ſolum, ſed etiam irrigare animum videantur.

tur. Germanus ſum, ſincere loquor et ſentio, et tuo vnius iudicio plus tribuo, quam mille aliis, quorum ſtudia odiaque a vita et ingenio meo abhorrent. Noriſii, patris elimatiſſimi, epiſtolam auide expeto, cuius magnam doctrinae copiam, et eximiam iudicandi facultatem, mirifice aeſtimo ac probo. Scripſi ad Arnoldum, qui pro ſumptibus ſpondebit. Nullis enim profecto impenſis parcam, dum modo in curando facilem ſe praebeat Arnoldus, amicus communis, et multo officii genere de me meritus bene. Friſii panegyricum Spizelio tradidi, iam Arnoldo Meiſneri vltima ſubmiſi, Theologi quidem noſtratis, ſed mitis, cordati et lenis, circumſpecti item, paciſque et ſarciendae concordiae cupidi, ac nulla certe maleuolentia ſuffuſi. Quare, ab Academia et defuncti familia inuitatus, ſupremum illud officium prorſus non potui recuſare. Nam et Diſſertatio funebris a me elucubrata, et oratio pariter habita eſt, vt ſcripto et voce congruerent inter ſe laudes. Lites, diſſidia, factiones imperitorum hominum ſummo ſtudio declinauit, pacique conſuluit, et faciendo docuit, Theologiam non tam arte, quam religione contineri. Morungenſis hiſtoria certo conſilio ſuppreſſa eſt, nec placet Principi El. Martio vetus iſta et procax rixandi libido

bido. Rationes horum temporum non ferunt tam inutiles perniciosasque dissensiones, ne his contentionibus Principum animi in contrarias partes distrahantur. Quid Theologum deceat, multis verisque indiciis patefecit Ioannes Bona, purpuratus, cuius testamentum, abs te editum, aut potius edendi caussa, ex bibliotheca vestra expromptum, facile doceat rixosos, plus in vita, quam in vitiligationibus esse situm. Interim Pont. Max. prudentiam, solicitudinem et curam miramur Saxones, qui spem compositionis *Ecclesiasticae* nondum abiecit, et pro re Christiana sedulo annititur, consiliisque aduigilat suis. Iam alia me admonent, vt epistolae finem faciam, tuasque res fortunatas esse cupiam, vt qui me profitear obseruantissimum tui. V. Id. Mart. A. cIↄ IↄCXXCIIII.

CLXXXVI.
IANO CHYTRAEO.

IAm diu te amo, et aequum tuum in me animum satis exploratum habeo, voloque vt intelligas, me tuae vtilitatis esse cupidum, et honestissimae etiam petitioni locum dare. Sed nondum se occasio offert, et conditiones scire exspecto, quibus inuitari cupias, cum, non omnibus idem aliquid probari, nouerim, vt studia hominum diuersa sunt,

quae vna lege non metiaris. Opto, vt inter nos colloqui possimus, quod non erit difficile, ac tibi aliquando opportunum, praesertim, cum tanto locorum interuallo non disiungamur, vt spes cogitatioque haec abiicienda mihi videatur. De me non labores, quaeso, charum caput, nec mea caussa te in discrimen offeras, inuidiamque subeas, quae fraudi tuis conatibus sit, damnumque afferat sero poenitendum. Ego id mihi non sumo, vt nolim infitiari me esse hominem, qui vel modicis doctrinae praesidiis caussam suam tueatur. Hoc tamen scio, partes me agere pro eo, ac decet humanitatis et historiarum doctorem. Codices, artis subsidia, mihi in numerato sunt, et multa in omni genere affecta habeo, quae sensim expolio, paulatimque elimo. In Grotium, eruditorum principem, iam pridem aliquid commentatus sum, quod magni quidam aulae Proceres exspectant. Sed premo, nec praecipito incepti huius rationes, et Consultissimi Rhetii institutiones Iuris Publici ad fontes et capita historiae ciuilis reuoco, ciuibusque nostris vltro et libenter soleo inseruire. Non me deterret inuidia, et recte agendo tutum, opinor, perfugium apud bonos habeo, iniquis et malis placere non volo, propterea quod rationes instituti egregias pietate et constan-

ſtantia tueri decet. Ita Deus te ſeruet, animumque firmum et vires integras praeſtet, ac patriae communi tempora multo benigniora impertiatur. Vitembergae feſtinanter, XVII. Cal. Apr. A. cIɔ Iɔ CXXCIIII.

CLXXXVII.
CHRISTOPHORO ARNOLDO,
Polyhiſtori Norico.

QVae mihi toties nauaſti officia, ea non modo verſantur mihi ante oculos, ſed prope efficiunt, vt erubeſcam. Itaque tecum conſtituenda eſt ratio, vt propter litteras, a Clariſſimo Magliabechio tranſmiſſas, libelloſque ad me plus ſimplici vice curatos, tibi ſatiſfaciam. Iniquus ſim, ſi numos pro labore et vectura non ſoluam, tantum de pretii modo certum me reddas, ſuperioribuſque officiis cumulum addas. Aliquandiu moleſtias leuare tuas volui, et opera Spizelii, egregii et beneuoli viri, quaedam ex Vindelicis accepi. Nunc ignoſce audaciae, Noricos iterum pulſo, et te in iis, praecipuum Italicae elegantiae conciliatorem, veneror, rogoque, vt animum, iuuandi voluntate promptum, ne immutes. Anglorum in Graeca ſtudia, et in antiquitate *Eccleſiaſtica* ſincere tractanda induſtriam et fidem, iure aeſtimo, multaque ab iis exſpecto. Nuper Ludolfus, iunior, et Prageſtus,

Londino ad me ſcripſerunt. Zieglerus noſter aliquid de Clerico renitente compoſuit, et, pro auctoritate ſua, neglectas muneris rationes, diſiectamque acerbitate rem *eccleſiaſticam* notauit, vehementerque perſtrinxit. Nunc tertium ſponſus eſt, teque humaniter ſalutat. Prid. Cal. April. A. cIↄ IↄCXXCIIII.

CLXXXIIX.
SAMVELI VERCHIO,
Gedanenſi, ordinis ſacri Candidato.

Ex quo te in amicorum numero duxi, non mea quidem opinione deceptus ſum, et vitam indolemque tuam diligenter exploraui, et mores rectos, ac veram ſolidamque doctrinam, vel praecipue in te aeſtimaui, cum ſimulatam ſemper et fictam, vel ineptam et ridiculam a te quam longiſſime abeſſe putares. Nec male cecidit conſilium, quod melior effinxit animus, vt mox induſtria et opera a vulgo te diſtingueres, et hominum in vrbe noſtra doctiſſimorum voluntates ſtudiaque tibi praeter ceteros conciliares. Adhuc tui ſimilis es, et litteras, quae humanos et elegantes reddunt, priuatim doces, ſpeique iuuenis admotus, partes bene agis, optimamque ſobolem praeceptis fingis, nec de vno adoleſcente, ſed de patria, quae virum ſibi ſpondet, bene me-

mereris. Qui labor tibi, certis gradibus ad ſacras dignitates aſcendere cupienti, non poteſt eſſe fraudi, cum, me non monente, intelligas, quantum praeſidii haec ſtudia adferant, quae melioribus litteris et antiquitatibus continentur. Rixari, turbare incautos, impellere imperitos, omnia ſurſum deorſum mouere, nemini placeat rerum intelligenti. Moderatos et ſapientes ſtudia noſtra praeſtant, et pietati decus rependunt, ne, pietatis obtentu, muneris doctrinaeque rationes praecipitentur. Morbus eſt ſcholarum, vbi iuuenes de acumine potius, quam de cura animi, laborant, atque, in hoc dignitatem ſuam verti exiſtimant, ſi laqueis *ſophiſtarum* ſe irretire poſſint. Longe alia tibi ratio ſemper ac merito probata eſt, neque eius diligentiae te poenituit, cum iucunde meminiſſes. Nunc, opinor, ad ſacerdotium adſpiras, et recta ad illud via niteris, et pietate ac doctrina prenſas, nec fruſtra ſperas. Ego, quibus poſſum, votis officiisque te proſequor, et inceptum bene euenire cupio, veteremque amicitiam tibi confirmo. Zieglerus tertium ſponſus, Boerneriam virginem breui domum ducet. Ego tam ſancto inſtituto obnunciare non auſim, ipſe tamen his legibus vitam nondum circumſcribere volui, aliarum mores me deterrent, aliarum exempla ante oculos

ſunt,

ſunt, quae animum auertunt. Puella, quae ſe ipſam non regat, pudoremque pro nihilo ducat, tantumque ineptiis indulgeat, et rem familiarem profundat, neruoſque ſtudiorum incidat, facile in deliciis non ſit ſapienti. Accipe quales ſint conatus mei. In Rhetii Inſtitutiones Iuris publici commentor, et Taciti Germaniam de integro nunc adorno, Zoſimum quoque illuſtro, et in omnes fere ſcriptores aliquid deſtino expolioque. Sed tempora nunc difficilia, et hic in primis miſera ſunt, melioremque fortunam, arbitro rerum Saxonicarum Io. Georgio III. exſpectant. Limes imperii magno ſane periculo expoſitus eſt, et, niſi Deus ſub foedere Polonico Vngariam tuetur, magni funeſtique caſus Caeſaris fortunam conuertent. Gallus per Bethunium in Polonia, perque alios alibi, peſſima, et in vltimam Germaniae perniciem eruptura, machinatur. Interim Deus remp. veſtram florentem ſeruet, et pericula inſidiaſque depellat, proceresque veſtros, et ſaeculi noſtri Ptolomaeum, Heuelium, benigne reſpiciat, ſemperque tueatur. Cal. April. A. cIɔ IɔCXXCIIII.

CLXXXIX.

CHRISTIANO *am* ENDE,

Scholae Calbenſis ad Albim Rectori.

NAuabo tibi operam, et, quoad poſſum, rationibus tuis conſulam, praeſertim in

in eo doctrinae genere, quod amplum diffusumque est, et plurima industriae adiumenta desiderat, nec, nisi a paucis, recte excolitur, ac digne ornatur. In constituendis temporum rationibus per vestigia Dionysii Petauii incedas, nec, opinione tua deceptum te, putes, si Lucam Osiandrum, Ioannemque Laetum, coniungas. Alter vero horum multa non vidit, quae ad Graecae *Ecclesiae* monimenta pertinent, alter decus historiae non exquisite seruat. Rerum momenta et causas vix attingit, nec idoneis auctoribus nititur, si quaedam sententiarum diuortia sunt, id quod saepe hic vsu venit. Boxhornii historia vniuersalis opportune mihi in mentem venit, quae, mea quidem opinione, digna est, in qua neruos contendas tuos. Annales et fasti rerum singulares ingentem bibliothecam postulant, de quibus alias inter nos commentari licet. Concilia, opinor, Labbeana in conciliis versaturo expediunt, aut, si horum copia non est, Gralliana Biniana, commodiori forsan occasione afferentur. Non te spes frustrabitur, si Iustelli Canones, Cotelerii monimenta, et Sirmondi Bossuetique opera, ad huius accessionem studii adiungas. His rationibus tempestiue subductis, et animo lectione confirmato, quid profeceris, rescribas. Ego, si forte deinceps adiicere

queo

queo cumulum, nihil in me desiderari patiar, et efficiam, vt intelligas, me et honoris et laudis tuae semper studiosissimum fore. V. Cal. Maias, A. clↄ Iↄ CXXCIV.

CXC.
IOANNI ERNESTO BAHNIO,
Iuris Candidato.

SI tua quidem opera fieri potest, vt nanciscar libros plerosque designatos, veterem, crede, amicitiam noui accessione officii confirmabis. De patrono Dresenensi nihil dubites, velim, cuius ad nos aditum omnes nuper certatim expetebamus. Sed fefellit opinio, quando per negotia factum est, vt ab aula retineretur. Peto abs te, vt mihi copiam facias Gregorii Nysseni, a Frontone Ducaeo editi, et Dauidis Lindani, qui Teneramundam edidit, et Eustratii, cuius in Aristotelis *Ethica* commentarii extant. Bonifacii Martyris epistolas habere gestio, quas commoda occasione curabis. Neque cura subeat animum de pretio, spondebit enim tabellarius, et primo quoque tempore pecuniam adferet, tu vero accuratas esse nosti promissorum meorum rationes. Gleditschium meo nomine appellabis, et quaeres, an Cotelerii Monimenta possideat, quae Francofurto perlaturum se recepit. Menckenio epistolam exhibeas, cum

cum diſputatione. Vale. Proprid. Cal. Maias A. cIↄ Iↄ CXXCIV.

CXCI.

BENEDICTO KRESSIO.

Quaeſturae Miſenenſis EL. Praefecto.

IAm pridem cogito, quemadmodum tuis in me beneficiis reſpondeam, ſed nihil inuenio, quod eiuſmodi ſit, vt, acceptum haberi, mereatur. Penſionem, a Saxone mihi attributam, opinione citius perſoluiſti, et, quod alii differunt ac moroſe trahunt, anticipandum, benigne cenſuiſti. Magno tibi aere obſtrictus ſum, quod ſi non diſſoluam, pro tuo in me amore, velut ſolutum in accepti tabulas referes, meque in loco et numero clientium tuorum habebis. Filius tuus, Godofredus Benedictus, excitato perſpicacique ingenio paſſim ſe commendat, et diligit amplectiturque eum Ziegleros. De vita eleganti, moribus compoſitis et rectis, ſuperuacuum eſt ſcribere, quando nihil cauſae eſt, quamobrem aſſentari velim. Tantum abs te peto, vt ingenii publice experiundi copiam ipſi facias, atque his conatibus eum magis magiſque accendas. Academia nunc ornamentum ſibi ab equeſtri exercitio pollicetur, ſi Principis ſumptu, ſine quo nihil in hoc genere fiet, adiuuetur. De pace in vtraque Saxonia bene ſpero, et,

hoc

hoc misero rerum ſtatu, *armiſtitium* Germanis aeque, ac Hiſpanis, probandum eſſe iudico, atque in hanc ſententiam Caeſar ab *Electorum* Senatu deuuo rogatur et admonetur. Ita vero te Numen propitium cuſtodiat, florentemque familiam praeſtet. V. Cal. Maias A. cIↄ Iↄ CXXCIV.

CXCII.
IO. CONRADO CNAVTHIO,
Iuris Candidato.

FOrte poenam diuturni ſilentii a me repetes, quam ſi commereri tibi videar, pro tuo amore, occupationibus priuatiſque moleſtiis condonabis. Mercurio, an Aeſculapio, ſacrificium rite ſoluendum debes, ſi licet hoc dare fabulis, vt in ſeria reditus gratulatione ad fungendum amici officium aſſumere auſim. Deus te patriae redditum litteris ſeruet, et honoribus dignis auctum florere iubeat, vtj cum de litteris, tum hiſtoria Miſenenſi ſigillatim, bene merearis. De Prageſto, ad quem bis ſcripſi, miror, non curatum eſſe faſciculum, facietque ſane vt cum eo expoſtulem de mora. Ituro in Angliam Comiti Vrangelio prouinciam exquirendi et vrgendi tradere habui neceſſe. Frater tuus Samuel, fere in litteras ſe abdidit, quem ſubinde hortor, in lucem prodeat, diligentiaeque habeat modum. Vale, et

Hun-

Hundio, Patrono, obſeruantiam meam ſponde atque confirma. Id. Maii, A. clɔ Iɔ CXXCIV.

CXCIII.

IOANNI GEORGIO BOERNERO,

IC. et Sax. EL. Conſiliario.

Etſi, te diutius hic retineri, cupiebam, tamen voti mei compos fieri non potui, ſed immo citius opinione mea diſceſſiſti, neque ſic vero a cogitatione mea te diſiunxiſti. Haeret in animo meo tua humanitas, et, quod iam pridem in te aeſtimavi plurimum, id nunc prope admirationem efficit, et laudem conciliat immortalem. Tum vero te abſente ſoror in patris affiniſque diſciplina ſanctiſſime educata, pietate et prudentia regendae domus praeſtat omnibus, et noua atque moderandi ratione omnium in ſe animos conuertit. D. Mayerus altera vice rediit, atque in ordinem Patrum receptus eſt, quanto ciuium gaudio dicere ſatis non poſſum. Qui facem nobis ad pietatem praefert, et ore exemploque nos docet, ne prauis affectibus obſequamur. Conſuluit tandem Deus, et reſpexit Academiam, et pro ſua benignitate et ſapientia virum egregium et ſancto coetui idoneum oratorem dedit. Confluunt magno numero homines, et deſiderium noui Doctoris fer-

ferre non possunt. Vale cum nobilissima vxore, et sobole suauissima. Eid. Maii, A. cIↄ Iↄ CXXCIV.

CXCIV.
OTTONI MENCKENIO,
P. P. Lips.

IVre mihi dicam negligentiae scribas, quod, abs te prouocatus, me continuerim, et respondendo tardior fuerim. Plerumque enim hora illa, qua stilum sumo, velut ex insidiis molestiae subeunt, nec opinantem ab incepto auertunt. Amorem ceteroquin tuum, pro eo, ac par est, magni facio, et voluntati tuae libenter obsequor, et facile intelligo, non esse tantas meas occupationes, vt cum tuis longe grauissimis aequari conferrique possint. Stolbergius noster, Graecae delicium elegantiae, sensim vires colligit, ac iam de eo bene sperat Sennertus noster, cuius iud cio permultum tribuo, ac desino esse in metu. Superiori hebdomade tandem Pragestus ex Anglia Ianum Seldeni ad me curauit, et alia pererudita opuscula, sed lingua eius gentis scripta. Mallem Latine edita legere, sed Angli sibi indulgent, et vernaculam frequentius adhibent, taedio linguae peregrinae, et multo studio laboreque comparandae. Paucos vidi Anglos, qui Latine sciant, qui pure scri-

ſcribant, qui ſcite componant, ſed Graecam linguam exacte callent, et rationes formaſque omnes exquiſite norunt. Vſu meo didici, et miratus ſum morem, ab ingeniis multo limatiſſimis abhorrentem. Ludolfus, iunior, de repertis nouis quaedam perſcripſit, Boyliique hiſtoriam ſanguinis promiſit, quem deceſſiſſe, falſus rumor tulit. De Richardo Haines aliquid attexuit, ſed, eius ſimile aliquid. Vidua Auguſti, Adminiſtratoris, conficere gnara, Damae, in finitimo nobis oppido, commoratur. Ceterum Europae mala Deus corrigat, et vtramque Saxoniam concordia muniat, vt ne ex vnius imperio ac libidine omnia gerantur, et ſtudia atque leges pace foueantur. XIV. Calend. Quinct. A. cIↃ IↃCXXCIV.

CXCV

IOANNI CHRISTIANO AB ARNIMB,

Dynaſtae Pretſchenae, Conſil. Saxonico, et Curiae El. Iudici ſummo.

FEci imperata, et inſcriptionem contraxi ad pauciores lineas, quas columna ſepulchralis capit, ſi recte aſſequor modum abs te definitum. Cetera, niſi me fallit animus, ex ſententia mutaui, atque in ſpem veni, fore, vt omnia bene congruant, apteque incidi poſſint. De homine, qui par-

tes praeceptoris demandari sibi passus est, iussa tua exspectat. Affirmo, probum esse et eruditum, laborisque patientem. Animi cultus bonique mores eum commendant satis. Fortunae bona sperat, et honorem non ambitiose quaerit, nec fructus industriae recusat. Spondeo certe frugi hominem, cuius appetitus rationi seruit, et doctrinae exemplo comprobatur. Sed de eo nihil vltra ausim, ne modum laudandi excedam. Res Europae adhuc variae sunt, Luxemburgum hosti fortiter restitit, sed ad vltima redactum cessit. Genua, reiectis ab ora maritima Gallis, strenue se defendit: In Catalaunia, Gerunda et Rhoda impetum sustinent, animosque capiunt Hispani, et tot tamque ambitiosis postulatis obnituntur, armorum facturi periculum, quum papacis imagine deludi se vident. Germani, opinor, tandem cum finitimis Batauis expergiscentur, et formidolosae potentiae se obiicient, sed Luxemburgo laboranti forte auxilium non ferent. Omnis culpa in Rege Angliae residet, qui, accepta rursus ingenti pecunia, indormiit, partesque sponsoris ita agit, vt nunquam peius agere potuisset. Sed de his facile me iudicium fallit, de quibus tu, Vir Generose, optime pronuncias, et consilia deliberationesque publicas accurate perspicis, et mealiosque, studiis

diis deditos, longo post te interuallo relinquis. Ego demum in pietate expressam obsequii imaginem offero, Deumque oro, vt te, cum per illustri stirpe, coniuge, sobole, et necessariis omnibus diutissime seruet. VII. Cal. Quinct. A. clↄ Iↄ CXXXIV.

CXCVI
ADAMO CHRISTOPH. IACOBI,
IC. Dresdensi Saxonis EL. Consiliario.

Partes mihi demandatas suscepi, et ingenium doctrinamque filii, altero ab aduentu eius die, protinus exploraui, et, aliqua in Latinis Graecisque litteris spatia fecisse, summa cum voluptate intellexi. Indoles excitata et docilitas non vulgaris in eo apparet, stilus deinde maiori cura fingendus est, quem Velleius scitis passim formulis expolit, et suauitate acuminum Curtius distinguit. Vterque ad condiendam sane orationem apte potest adhiberi, sed orationis formam habitumque Cicero, Caesar et Nepos, suppeditant et copiose largiuntur. Aequabilis dicendi ratio altius petenda est, quam ab aeuo Traiani, quo vixit floruitque Rufus, qui non semper optima, nec tamen pessimae notae, vocabula, vsurpat, elegans alioqui tersus et suauis. Dein vero, regnante Vespasiano, scripsisse Curtium nihil id meliorem scriptoris aetatem

facit, qui Cicero et aequales praestant. Illud quoque, pace tua, probare non potui, quod ad ingrediendum Graecae linguae studium ducem accipit Graecum Eutropii interpretem, cuius diligentiam etsi non reprehendo, tamen inter eruditos conuenit, in parte linguae discendae fontes ipsos esse aperiendos. Ego quidem, assentiente consultissimo hospite, legendum ei commendaui Herodianum, qui Atticos veteres, eosque optimos, diligenter secutus est, et pari industria expressit. In philosophia, praesertim rationali et morali, alios consulet, nec tamen ipsi deero, si cumulum forte adiicere possim. Multi enim ad inanem scientiae opinionem rationes studii referunt, sed ad veram solidamque eruditionem, vitio saeculi, non connituntur. At enim, te, prudenti ingeniorum existimatore, eae cogitationes suscipiendae sunt filio, quarum fructus cum vtiliate publica coniunctus sit, et nomini ac stirpi tuae decus atque immortalitatem paret. Ita Deus, meo quidem voto, efficiat, ac litteras nostras, sub tua inprimis tutela, nobis florentissimas seruet, ac demum prohibeat, ne vnius libidine et arbitrio Europae negotia dubiis difficilibusque bellis distrahantur. Inter hanc spem metumque temporum te colimus, te amplectimur, tua consilia sequimur

et

et admiramur, tua suffragia excipimus, tuo arbitrio stamus. V. Cal. Quinct. A. cIↄ IↄCXXCIV.

CXCVII. EIDEM.

IN labore, quem iussu tuo sumsi, nihil desiderari, patiar, tantum abs te peto, vt conatus filii egregios auctoritate tua defendas, monitisque grauioribus confirmes. Multi enim, per causam nescio cuius libertatis, nimium sibi indulgent, et facile ab incepto reuocantur, nec scio, an tibi placeat equos exercendi studium, quo filius delectari videtur. Dandum aliquid animo esse, intelligo, sed ita, vt casus prolapsioque vitetur. Idcirco hunc ardorem temperauit dehortatio consultissimi hospitis, qui ipsum in filii modum diligit, et munus suum diligenter explet. Eximia quoque ingenia inanium specie capiuntur, quae non tam acerbitate, quam comitate, flectenda sunt, vt monentibus obtemperent, partesque suas agant. Omnia maxima de filio spondeo, si, quod ab studiis conceditur otii, id lubrica et mobili aetate non praecipitetur. Tenerae mollesque plantae caute et molliter tractandae sunt, priusquam in fastigium arboris crescant, et sensim durentur. Commodum aduenit D. Mayerus, qui corruptos

mores, deprauatamque disciplinam pro concione perstringit, et omnes *ecclesiastici* oratoris numeros implet, Chrysostomumque Saxonicum refert. Non dubito, quin vociferantium libido eius concionibus refrenetur, qui, cum non sibi solis peccent, tum maxime coarguendi sunt, ne bonos facti licentia in exitium praecipites trahant. Ex Vngaria laetum aliquid, de parta iterum victoria, nunciatur. In Anglia motus gliscit, cuius exitum subuereor tristem ac funestum. Luxemburgum, in conspectu exercitus Bataui, occupatum, aditum in Treuiros patefecit. Moenia Vrbis Treuirensis diruta sunt, nec reperitur, qui obsistat. Bataui inducias, opinor, fatales et perniciosas pepigerunt. Principi diffidunt, Anglum subtiment, qui sponsoris partes non bene agit. Tota Italia diras imprecatur Gallis, ob Genuam, nullo quidem bello denunciato, tormentis foedatam, eo praesertim tempore, quo vrbs triremes aduersus barbaros instruere, Venetorum exemplo, cupiebat. Ita Gallus omnia pro lubitu moderatur, et, quos Austria amicos, eosdem ipse hostes, habet, et ad imperium Europae paulatim contendit. Genua tamen et Gerunda in Catalaunis strenue fortiterque restiterunt. Nunc vero admodum metuo Coloniae Agrippinae, Confluentiae, immo et arci

Her-

Hermansteiniae, quibus iam pridem insidiatur. Deus coerceat dominatum, et rei Christianae consulat, ac hostes pertinaces euertat, tuas autem deliberationes faustas esse velit, et familiam multo splendidissimam contra omnes casus, saeculique iniurias, firmet. IV. Non. Quinctil. A. clↄ lↄ CXXCIV.

CXCVIII.
EIDEM.

FAcimus, quod fieri par est, et argumentis ad incitandum idoneis vtimur, et exempla ad sequendum prodita intuemur, cuius disciplinae fructus erit, vt alumni atque auditores nostri cum institutione doctiores, tum vitae ratione meliores firmioresque, euadant. Anteit spectata dignitate hospes, et suadendi prudentiam grauitate pariter, et comitate, temperat, et vel adspectu suo mouet, atque inuitat, iamque sensim, deferuescente impetu, rectam viam tenet filius, et, de hospitis sententia, Philosophiae rationalis tirocinium ponit, offerente libenter operam Academiae consule, quatenus ei a republica otium datur. In percipiendo promptus et acris est, et perceptorum rationes optime reddit, atque omnibus in partibus ingenii felicitatem testatur aperte et probat. Cum nuper, admonitus, par-

De ſodalitate ita moderatur res ſuas, vt ne odiſſe ſodalitatem videatur. Vnus eſt, qui in conuictu noſtro aetati ſuae aliquid indulget, cum quo vitae conſuetudinem parce et ſapienter iungit, et, dum expedit, occupationes tempeſtiue recidit. De corpore Imperii male affecto et aemulationibus, contrariiſque ſtudiis diſſidente, quis bene ſperet? *Foederati* Belgae Spartanorum Ephoros ſequuntur, qui reges ſuos ſibi obnoxios habuerunt, et, quandocunque opus erat, in ordinem redegerunt. Non aliter illi cum Auriaco agunt, diteſcendi, quam bellandi, cupidiores, quod ferri poterat, niſi veterum ſimul beneficiorum obliuiſcerentur. Hiſpani ſatis cauti ſunt, ſed viribus deſtituuntur, malunt tamen iacturam facere aliquot Belgii vrbium, quam vel vnius vici in Catalaunia et Italia, vbi periculum imminet e propinquo. Luneburgici interim opes exhauriunt, et ad omnem impetum propulſandum intenti et expediti ſunt, quos Gallus, cum vi non poſſit, artibus ſuis ſenſim frangit, ac, veteri Tiſſaphernis inſtituto, ſimul et ſociorum, et hoſtium, vires labefactat. Nuper in numo incidendam curauerunt quidam illius gentis ſententiam toti Europae haud negligendam *Quod libet, licet.* Profunda haec ambitio: quorſum euaſura ſit, non mihi, priuato homi-

mini, praesagire licet. Quare hic finem facio, et, tua ad bene et tranquille viuendum instructa consilia, diuinitus fortunari, cupio, vt cum laboris fructum immortalem capias, tum aeternum in familia et filiis decus inspicias, et omni atque sincero gaudio perfundaris. Id. Quinctil. A. cIↃ IↃ CXXCIV.

CXCIX.
EIDEM.

Litterae tuae non mediocre gaudium mihi afferunt, et instruunt pariter, ac delectant, et de optimis quibusque scriptoribus sententiam meam confirmant, et insitum cognoscendi desiderium excitant mirifice atque augent. Illud in primis legentem magna voluptate tenuit, quod Ioannis Imperialis Museum historicum, ob quaedam singulariia, quae alibi non legimus, commendandum putasti. Non tamen infitior, saepe elogiorum scriptores discrepare ab accuratis rationibus, laudisque modum excedere, et nimium amori dare. Meursium digne euehit, sed quotusquisque est nostra memoria, qui vel partem eruditionis Meursianae vindicare sibi iure possit. Omnes scire volunt Graece, ego vix vnum et alterum noui, qui *technicam*, vt loquimur, Graecorum intelligat, ac de ea recte intelligen-

ligenda laboret. Omnes Critici, omnes antiquarii, esse cupiunt, qui ex artis lege nihil existimare possunt, et tamen id sibi sumunt, vt lacessere alios velint. Qui nuper de Polycarpo commentatus est, nihil expedire potuit, cum diem, in fastos relatum, eumque Martyris supremum, inuestigaret. Mox de natalibus Episcoporum simulacra venditat, si pauca excipio, et multis atque intempestiuis digressionibus scientiae opinionem praebet, et audendo, quam perficiendo promptiorem se ostendit. Vtinam vero id ex animi sententia agere potuisset, et γενέσια ac γενέθλια distincte explanasset, dictionesque γενέθλια ἔχειν, et γενέθλια ἄγειν, et Gregorii Nazianzeni εἰς τὰ γενέθλια euoluisset. Colligere ex nouis, et ab aliis obseruata pro suis ducere, atque in his doctrinae laudem ponere, hominis est otio non bene vtentis. Miseret me hominum, qui ita se in litteras abdunt, vt litterarum initia causasque ignorent. Contra quorum conatus munienda est sapientiae sedes, ratione et consilio ducibus, sine quibus nihil exspectatione dignum agamus. Aliam filio viam praeimus et commonstramus, atque cum eo vel vnam horam libentius ponimus, quam cum sciolis, latina et Graeca spernentibus, vnum horae quadrantem. Hortamur, certatim, ego et hospes optimus,

nec

nec omittit partes ſuas D. Mayerus. Penſa interdum citius, et id praecipitantis aetatis vitium eſt, abſoluit. Ad hiſtorias et exempla, et philoſophiam illam non ſimulatam et ciuilem, ſenſim paulatimque eſt inuitandus, vt pluribus diſtineatur animus, prudenti comitate flectendus. Vngariae res adhuc proſperae ſunt, et Budae deditionem pollicentur. Induciae nec ſerio conuentae, nec firmae ſtabileſque iudicantur, ita omnia cum Alcibiadis animo ſtatuuntur et geruntur. Cal. Sextil. A. clↄ Iↄ CXXCIV.

CC.
EIDEM.

GRatulor tibi, Patrone, noua illa et luculenta bibliothecae tuae incrementa, quorum magnopere me deſiderium tenet, nec dubito, quin magnam a poſteritate gratiam ineas, et fauſta omnium acclamatione plauſuque excipiaris. Thomaſini Elogia, multis ſane luminibus diſtincta, ſatis mihi probantur, ſed nihilominus elogia ſunt, et enumeratione ſingularium Imperialis Muſeo concedunt. Riccio ſeu fidem, ſeu varietatem rerum, ſpectes, antefero Victorium Syri, modo facie Latina prodiret, atque novo hoc cultu inter Latinos locum obtineret. Epiſtolas et codicillos Actorum miſcet, nec dici poteſt, quantopere inſtruat ac de-

ac delectet. Holstenii notas videre cupio, qui et Graiismi peritia interiori valuit, et cum diligentia iudicium adhibuit summum. Nostri plerumque nimis θεολογοῦσι, nec veteres Graecos excutiunt satis. Petrum Petitum, audio, elegantis litteraturae esse medicum, neque argumentum mihi displicet, si ex instituti dignitate tractauit. Nam id inopia non laborat, et multa eam in rem ipse olim poeta obseruaui, quorum vsus tunc mihi erit, quum in scriptores rei poeticae aliquando commentabor. Nemo sine poetis intelligat Tertulliani plerasque dictiones, quod tam apertum est, quam quod apertissimum. De statu Imperii bonam spem faciunt litterae a Danubio et Albi allatae, et sane temporum necessitas, reique aduersus barbaros gerendae opportunitas cessationem armorum versus Rhenum postulare videntur. Danus iam in eo est, vt plerasque cohortes abs se dimittat, qui precarium belli imperium a Gallis habiturus videri poterat, nisi de induciis conuentum fuisset. Hamburgum et Lubeca extra discriminis aleam sunt. Luneburgici tandem negotium anceps diu et incertum confecerunt, et Fridericum, *Electoratus* Brandenburgici heredem, auspicata connubii necessitudine, partibus suis deuinxerunt. Rabenacius ex aula secedere iussus, quem plerique

rique alii comitantur. Filio tuo, ob incomparabile ingenium, ſumma quoque polliceor, ſed reprimi debet cupiditas equitandi et ludendi, quae in iſta tam lubrica aetate plurimum poteſt. Paucis abhinc diebus certamini ſe immiſcere voluit, et aegre retractus eſt, donec ſerio admonitus aeſtus animi deferueſcebat. Deus vero tibi ſemper et in conſiliis et rebus maximis indulgeat, filioſque creſcere iubeat in gloriam ſuae ſtirpis. Non. Sextil. A. cIↄ IↄCXXCIV.

CCI.
EIDEM.

IAm pridem opto mihi euenire, vt, quo diu carui, tandem fruar adſpectu tuo, et audiam ſermones mihi iucundiſſimos, et, quod votorum caput eſt, libros copia et varietate inſtructiſſimos peruoluam. Nihil te fugit rariſſimorum ingenii operum et ſolida eruditio tibi ante alios curae eſt, nec minus eruditos patrocinio ornas, et propenſa voluntate, conſilio atque opera, iuuas Velim, hac conditione tam laeta ſemper vtamur, et florentem nihilo peiori valetudine adſpiciamus, et veneremur. Nicius, de quo accurate doces, cultu, et nitore linguae ſe commendat, atque in libro, qui *Pinacotheca* inſcribitur, multa aperit, quibus varia eruditorum ingenia, et rationes vitae ſtudio-

diorumque diuersae, quin et controuersiae, artes atque actiones singulares, continentur. Vir enim fuit prudens, et in aula Romana haud peregrinus, multa vidit, et multa obseruauit, quae alii, quasi ad se non pertinentia, neglexerunt. Reinesius eum pungit, et epistolas, ab eo scriptas, nullo numero habet. Sed vt hoc nihil de Nicii laude detrahit, sic Reinesio, epistolas duntaxat criticas aestimanti, potest condonari. Non idem Rosso erat consilium, nec ideo in hoc scribendi genere quod ab instituto Reinesii discrepat, reprehendi debebat. Facile tamen concesserim, eum Graiorum litteras non habuisse cognitas, sine quibus criticum, seu vt veteres loquuntur, Grammaticum, acumen nihili putandum est, in quo ceteroquin Reinesii industria eminebat. Venit hic mihi in mentem editionis Epiphanii, apud nos instauratae, sed ita multis scatet mendis, vt me eius taedeat pigeatque. De Fello Oxonii Antistite, accepi, in Iustino Martyre nunc edendo, elaborare. Meiero, bibliopolae, ab incepto desistat suasi, qui de eo rursum excudendo cogitabat. Budae expugnatio per litteras, Praga et Berolino missas, indicata, immo confirmata est. Adhuc animi pendeo, nec facile possum assentiri. Venio tamen in spem castri illus potiundi. Regulus Boioariae, et Sue-

ui Francique Germani, subsidio ibunt. Artes Bethunii se produnt, Rege paulum cunctante, et tantum non tergiuersante. Pontifex monitione et pecunia incitat, et spem animumque addit. Ita vero Numini supplico, bene agas et belle valeas, et omnia ex animi sententia absoluas. Id. Sextil. A. cIɔ Iɔ CXXCIV.

CCII.
EIDEM.

GRaecismos passim esse fusos per Latinorum monimenta, tanquam riuos ab Graeciae fontibus ductos, praeclare cognitum habes. Omitto Ciceronem, in quo plures sunt, quos si assequeretur vulgus, melius saepe Latiniusque loqueretur. Ex Tacito sumam, quod Histor. V, 5, 7, extat, quando Ebraeorum ritus scribere exorsus ait: *Corpora condere, quam cremare, e more Aegyptio.* Expressum Graecismi vestigium haud quisquam peritus abnuat, si reddenda est sensus ratio, quae eo spectat, vt memoriae tradat, Ebraeos potius sepelire, quam comburere, cadauera suorum. Particula *potius* ἐλλείπει. Nam quaedam, et profecto facinorosorum, corpora in vallem Hinnon proiecta, exurebantur. Interdum vero πλεονάζει, quod durius quidem est, nec vsu Tullii probatur. Plautus tamen, Virgilius, Flo-

Florus, Iustinus, huiusmodi *pleonasmos* vsurparunt, et *magis* ac *minus* cum gradu comparandi iunxerunt. Nihil hic addam de discrimine condendi et componendi, quod plerique negligunt, ex Tertulliano admonendi, quanto haec spatio distent. Sed non ausim his te quisquiliis obtundere, quem totum respublica sibi vindicat, ac demeretur. Buda adhuc resistit, et Ebraei in busto vrbis, iuxta, atque barbari, pertinaciter pugnant. Eam si occupari contingat, perinde, ac spero, magni cognomine ornabitur Leopoldus, et versus orientem Augusti auspicia ostendit, ringente ad occidentem aemulo, qui nihil minus optat. Ceterum, quod res tempusque postulabat, inducias Caesar fecit, vt auxilia ab Imperio quantocyus mittantur. Veneti in Chio, maris Aegei insula, magnum aliquid moliuntur. Deus rei Christianae propitius sit, et benigne in posterum opituletur, tibi autem omni, nec desinenti, felicitatis genere vitam longissimam, laboris pro republica et nostrati Academia praemium, largiatur. XV. Cal. Sept. A. cIɔ Iɔ CXXCIV.

CCIII.

OTTONI MENCKENIO,

P P. Lips.

VIncor tuis beneficiis, nec habeo, unde iustam debitamque gratiam tibi refe-

 ram,

git grauis iſta valetudo, quae tandem vires viſceraque conſumet, ſi nullum ab arte medendi praeſidium eſt ſperandum. Multi quidem ſunt, qui, dignos ſe fore ſucceſſores, putant, ſed qui Graecas litteras ne a limine quidem ſalutarunt. Non Grammatica ſufficit, ſed linguae indoles tenenda eſt, ratioque eſſe debet conſtituta Dialectorum, Gloſſariorum, Etymologicorum et Scholiaſtarum, de quibus imperitum vulgus audiuit, ſed non didicit, neque euoluit. Erneſtus quidem in ſpem potiundi muneris venit, ſed huius doctrinae, vel ipſo fatente Stolbergio expers eſt, quod congreſſus noſtri, et colloquia ſubinde patefecerunt, vt mihi, ſcientiam exploranti, nihil redderet exſpectatione dignum. Scriptores antiqui et puri, iique in fontibus et ſcholiis perquirendi ſunt, non carptim ex nouis et Graeculis ſcriptoribus ducendi veniunt, vt noſter faciebat, cum belle valeret. Qui ſecus facit, non Graecum ſe profitetur, ſed pictam, vt iocari ſoleo, eruditionem praefert. De Morelli conatu iam pridem ad me perlatum eſt, maxime ab iis, qui e Gallia reuerſi, ipſum ſalutarunt. Multa deſidero in numis Graecis, et Germanicis aeuo medio procuſis, in quibus nemo hucuſque erudito orbi ab omni parte ſatis fecit. De aliis in poſterum perſcribam, et, quibus poſ-

ſum, votis, pro honore et conſtanti valetudine tua annitar. Vitembergae, V. Cal. Oct. cIↄ Iↄ CLXXXIV.

CCIV.
OTTONI FRIDERICO BRANDIO,
Londinum.

MAgni aeſtimo conatus tuos, multumque gaudeo, te appuliſſe in Angliam, inſulam commerciis pariter et ingeniis felicem, et in omni doctrinae genere ſummum decus conſecutam. Miror ſaepe tot inuenta, quibus illud regnum ſe commendat, et artes ſcientiaſque expolit ac mirifice exornat. Rarum quoque et omnibus ſaeculis ignotum Fitzgeraldii experimentum miratur orbis, de quo multa audiui, ſed tu, miſſo tam ſcito libello, certiorem feciſti. Tuam vero in rimandis quibuſque rebus induſtriam probo, cuius te non poenitebit, ſi viros doctrina vſuque rerum maximos tibi conciliare pergas. Opportuna, crede mihi, nunc proficiendi occaſio eſt, quam arripere te velle arbitror, nunc maxime, quum Londini verſaris, id eſt, in ea vrbe, quam iure dixeris gentium ſcholam. Boyleum non Angliae, ſed Europae lumen, tot naturae arcana aperuit, vt nemo ſit, qui eius merita aſſequi poſſe videatur. Nihil Croonio elegantius, nihil Hookio ſubtilius,

us, nihil Detleuo Cluuerio, populari tuo, humanius, qui omnes ope et consilio te iuuabunt. Ingenuus et intemerata fide Haakius omnes exteros, atque inter hos maxime Germanos, quibus potest officiis, demeretur. Nemini concedit beneuolentia venerandus sacerdos Martens, cui nihil tam prosperum eueniat, quod non ex animo velim. Auctoritas, sapientia, et humanitas in eo sane certant. Pragestus et Ludolfus, iunior, nihil in se desiderari patientur. Apud nos Stolbergius octo prope menses aduersa vtitur valetudine, nec medici bene augurantur de tumore, qui totum eius corpus infestauit ac oppressit. Induciae inter Caesarem Gallumque conuentae, Caesari Budae occupandae spem faciunt, quam si recuperauerit, regnum diu a barbaris interceptum, vindicabit, sed res *Protestantium* cum ibi, tum in Silesia, deteriori loco erunt. Compositio pacis Itzehoensis vtinam Holsatiae fausta contigisset. Ego sane et patriae, et tibi tranquillitatem fortunamque optimam precor. Vitembergae, Id. Octobr. clɔ lɔCXXCIV.

CCV.
IOANNI CONRADI,
Mechlenburgio.

REdditus mihi liber est, quem tot votis expetitum, tua sane diligentissimi ho-

minis opera, tandem recepi. Vere affirmo, ab illustrissimo Heroe Frisio permagni esse aestimatum: parum quippe abest, quin VVolfio praeferam, cuius tamen commentarii omnium eruditorum consensione approbantur. Vnum in eo requiro, quod fontes Graeciae dispari cura perquisiuerit, vnde omnes eius doctrinae riuuli sunt ducendi. Ego si quid reliquum praetermisit, resarciam, et quibus par est modis, ornamenta conquiram. De Suida scias, Hubnerum esse appellandum Duo quidem exempla nactus sum, sed Porti recentior editio a me desideratur. Multa in eo reperi, et ante me alii, quae vel castiganda, vel instauranda et supplenda erunt. Stolbergius satis concessit, hic neminem scio, qui Graecam linguam ita animo teneat, vt Graece in posterum docere possit. Vale, et Patronum tuum Raschkium saluta. XVI. Cal. Nouembr. clↄ Iↄ CLXXXIV.

CCVI.
ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI, IC.
Saxonis EL. Consiliario.

MAgnum animo gaudium cepi, simul ac mihi significatum est, te collocasse Doctori Bergero filiam, indole et animi ornamentis, nobilissimam virginem generis perin-

inde, ac fortunae dignitate, nulli aequalium secundam. Quod consilium tibi pariter, et genero fortunatum esse cupio, vt familiae tuae splendor magis se diffundat in posteros, nec finiatur vnquam felicitas, quae virtutis pretium in tuarum honore necessitudinum ponit. Nam, qui filias bene moratas, viris bene merentibus, nuptum dant, honesto quidem et recto consilio nituntur, sed in primis de vniuersa republica, summa quadam vtilitatis ratione, merentur. Quo maiori laetitia afficior, postquam consilium diuinitus perfectum est, vt Bergerus Iurisprudentiam in theatro sapientiae et legum, Anna Sophia Bergeri familiam in domicilio castissimae virtutis, ornaret. Laetor et plaudo, ac, bene cum vtrisque actum esse, affirmo, optoque, vt mente semper placida inter se colant et diligant, et suaui sinceroque gaudio, sine taediis ac perturbatione, penitus fruantur. Illud maxime volo, vt hac aetate tua semper deliciarum talium sementem ac materiam habeas, tuique similes generos adscifcas, qui nullam non reipublicae partem attingant, et laudum tuarum exempla certatim sequantur. Ego sic nihil insuaue et acerbum mihi polliceor, qui sciam, quantum mihi in te praesidium sit, quod, non dubito, quin in tuis affinitatibus et necessitudinibus mihi relin-

quatur. Plura non addo, quia verba me deficiunt, quibus summum et incredibile gaudium, quo exsultat animus, in praesens exponam. Illud tantum dico, illud precor et enixe contendo, Deus te seruet, et filiae nuptias fortunet, omnibus gaudiis, omnibus Gratiis perfundat! Vitembergae V. Cal. Nov. clↄ lↄ CLXXXIV.

CCVII.
EIDEM.

PRaeter religionem obsequii, quod semper tibi constare debet, etiam hoc significari, par est, quod profitear meum studium ad ornandas Graiorum litteras, praesertim hoc temporum statu, quo omnes, quos sciam, Candidati Graecae litteraturae peritiam prae se ferunt. Subsidia librorum, et adiumenta doctrinae, et praesidia artis mihi constituta sunt, habentque eae litterae maximam cum historia cognationem, et Lipsiae, Giessae, atque apud exteros, saepissime sunt coniunctae. Multum certe interest inter Graecam Grammaticam, et Graecas litteras, quarum prior exiguis finibus continetur, si Criticam demas, altera autem per omne doctrinae veteris genus patet, spatiumque sibi amplissimum in historicis Graecis designat. Ipsa Latina lingua sibi constare non potest, nisi opes copiasque

que a Graecia petat. His fontibus Cicero rigauit hortulos ſuos, et honorem Graecis habuit, vt Graecos per omnia imitaretur. Vſu meo hoc didici, et a ſummis eruditiſſimiſque viris alias audiui, non ſcire Latine, qui Graece non ſciat. Hoc vulgus ludimagiſtrorum ignorat, et eam ob cauſam paſſim litterae hanc calamitatem ceperunt, vt, inter tot Graecos, Graece doctum quaeramus. Ne vnum quidem noui, qui interpretes Graecos, et ſcholiaſtas Thucydidis, Demoſthenis, Euripidis, Sophoclis, et ante omnes Homeri, legere et interpretari poſſit. Nullus vero eorum Latine expoſitus in lucem exiuit, quorum ope tamen maxime nitendum eſt, quum origines et propriae tralataeque vocabulorum ſignificationes perquiruntur. Lexica non ſufficiunt, falluntque ſaepe ſuos auctores, nec praebent omnia, quae promittunt. Veni itaque in ſpem, fore, vt Illuſtriſſimo Senatui veſtro non ingrata, nedum impudens, haec petitio mea videatur, maxime, quod ante me plerique diuerſas, et interdum diſſimiles, doctrinae partes opera et labore coniunctas habuerunt. Eraſmus Schmidius magna cum laude mathematicas pariter, et Graecas litteras docuit, quarum non eſt tanta cognatio, quanta artis Graecae et hiſtoriarum. Sed Illuſtriſſimo Senatui ve-

ſtro iudicii gloria, mihi obſequii neceſſitas, relicta eſt, de te autem, Magnifice Vir, ſpondeo praeſidium cauſae, propterea, quod ſumma tuae mentis acies, et aequiſſima voluntas eſt, quae ab honeſta et demiſſa clientis petitione non abhorret. Ceterum approbet Numen, quod in eam rem conſulis et deſtinas, et vigorem animi perpetuum, valetudinemque corporis non inclinatam, ac praemia laboribus maximis immortalia, quae ſupra inuidiam ſint, impertiatur. Vitembergae, Id. Nov. A. cIↄ Iↄ CXXCIV.

P. S. Galli factis in viginti annos induciis, ſic agunt, et res ſuas ordinant, limitemque muniunt, ac annonam comparant, horreaque exſtruunt, quaſi inſtanti anno bellum conflaturi ſint. Forte ab Vngaria, vbi alea male cecidit, belli moles ad Rhenum tranſferetur: Heluetii diffidunt et timent, Itali perculſi ſunt, Bataui rixantur et diffident, Rheni tractus fatis ſuis vrgetur. Hic aliquandiu in Conſultiſſimi Ziegleri conuictu fuit Ioannes Godofredus Bergerus, artis ſalutaris Doctor, in quo et elegantia moris, et ingenii nitor, et artis medicae decus atque ornamenta emicant, et doctrinam pariter vſumque commendant. Vtinam talis tamque dexterrimus Vir ſuperiorem D. Loſſii iacturam ſarciret. Rector

ctor Academiae Doctor Mayerus, pro caussa et ſententia Theologorum acriter diſputauit, ſed in tempore deſedit diſputandi impetus, primo experimento prolatus, vt aemulis oſtenderet, etiam in arena acriter diſputantium conſiſtere ſe poſſe. Mox inſequenti hebdomade placide comiterque partes egit, et diligentia atque aſſiduitate omnes in admirationem rapuit, concionandi laude omnes vicit.

CCVIII.
EIDEM.

SI aliquae meae partes eſſe poſſunt in eo pietatis genere, quo publica ſpes, et patriae charitas ſaluſque continentur, mihi vni omnium maxime hoc impoſitum eſſe ſentio, vt fidem obſeruantiamque ſolenniter patefaciam, et voti opportune nuncupandi occaſionem ſumam. Abs te enim litterae noſtrae robur et ſubſidium petunt, ſolatiumque exſpectant, abs te remedium fortunae quaerunt, et, ſi quid audacius poſtulant earum cultores, ignoſci ſibi, cupiunt, et ad obſequium tuum ſe inclinant, aut, ſi mauis, ſeruitium profitentur. Omnes ad ſumus, fidi clientes tui, omnes hanc felicitatis noſtrae poſſeſſionem arbitramur, ſi hoc bene precantes aſſequi queamus, vt valido diuinae opis praeſidio firmatus, robur virile

et

et vires integras ſerues, et omnibus ſaeculi malis ſecunda fortuna et conſilio optimo reſiſtas, et in ipſo rerum temporumque diſcrimine viam inuenias, atque hoc faſtigium gloriae teneas, nullis temporum viciſſitudinibus mutandum. Has opes copiaſque votorum et offerimus tibi, et exponimus, has ſupplicationes etiam priuato religionis ſenſu decernimus, vt firma aetas et ſumma felicitas pari et aeqvo foedere te complectantur. Nihil te laedet, quin nos adfligat, nihil te adfliget, quin nos proſternat, utrumque vero odimus et deteſtamur, Deumqve poſcimus, ut omnes res ſpeſque tuas fortunet, et labores atque conſulta tua proſperet, taedia et omnes fortunae acerbitates propitius auertat. Ne totius quidem annus votis explicandis ſufficiat, ſi recte fungi officio, et digne partes clientis exſequi velim, hoc tamen pace tua ſubiicere mihi liceat, vitam producas, et famam perferas ad ſeros poſteros, vt te per omnes meritorum gradus egregium et magnum, perinde reipublicae ac familiae cauſa, ſaluum pariter, et ſoſpitem, inter firmas florenteſque neceſſitudines et inter liberorum munimenta, nepotumque amplexus et gaudia, nullo adſpectu ſatiatum, nullo faſtidio, calamitate et morbo impeditum, benigniſſime Deus tueatur. Quod pro ſe quiſque optat, et ſigillatim ſperat,

rat, votiſque certat, et precibus a Numine contendit tuus obſequentiſſimus IV. Cal. Ian, clↃ lↃCXXCIV.

CCIX
HENRICO HAXTHVSIO,
Cancellario Sereniſſimi Haſſorum Principis.

INtelligo, mearum eſſe partium, vt rationes obſeruantiae denuo confirmem, et Grauio, Allendorfienſi, homini artis ſalutaris perito, litteras ad te perferendas tradam. Mihi quidem mea conditio non diſplicet; ſed fortunam temporum, et fluxas Germaniae res, vehementer doleo, et, niſi alias, nunc omnino fatum, quod magna imperia vrgeat, agnoſco. Stant Gallo conſilia, vi et aſtu delendam eſſe Auſtriam, vt, qua cadente, ceteri facile praecipites agantur. Hiſpanos inopia et orbitas deprimunt, et perfidia quorundam in vulgus eſt nota. Caeſar ſub onere reſiſtendi barbaris probe fatiſcit. Vna Budae obſidio irrita omnes ſpes conſumſit, retracto per Bethunium Sobieſkio, vt tergiuerſando traheret tempus, falleretque Caeſaris exſpectationem. Veneti non magis a Turca, quam a Gallo, ſibi timent, non ignari, quam grauiter ferat proſperam ſuperioris expeditionis famam, quippe non paſſurus, vt in mari Ionio potentiam augeant nimiſque firment. Batavi vix

vix pace libertatem ſuam tueri poſſunt, quibus ſuſpectus et inuiſus eſt Auriacus Princeps, vulgus ibi mobile, Proceres ſtudio et gratia, artibus Auauxii corrumpuntur. Aula Britannica largitionibus et blanditiis Gallicis retinetur, externorum ſecura, dummodo domi dominetur. Video, quorſum ea res euaſura ſit, ſi Rex fatis conceſſerit, auſuro omnia populo, et arma ciuilia ſumpturo. Heluetii pretio, promiſſis, imo et metu, continentur. Italia, illa omnis reconditi conſilii magiſtra, non habet remedia tuendae ſalutis, atque ex euentu belli Germanici ſortem ſuam aeſtimat, Sabaudum laqueis conſtrictum videt, Mantuanum et Mutinenſem Gallicis conſiliis innexos nouit. Genuae negotium, curam formidinemque, intendit, etſi Pontifex, temporum et conſiliorum gnarus, ſe interponit, ac pium demiſſumque animum praeſert, quum magnis conatibus eſt obnitendum. Non ſibi vtiliorem Roma eligere, neque Italia callidiorem expetere potuit, praeſertim hac aetate noſtra, vbi Rex, diſcordia et veterno finitimorum praepotens, omnium ſane Principum libertati inſidiatur. Iam res eo rediit, vt barbari non coniectura, ſed apertis indiciis, noſcere incipiant, rerum Chriſtianarum arbitrium eſſe penes *Chriſtianiſſimum* Regem. Hinc tot legationes, tot prae-

praeconia et priuilegia, a Turcis, Persis ac Siamensibus, concessa Gallis. Nuper Londino Ludolfus, iunior, perscripsit, iactasse Gallum, legationis Siamensis Principem, octoginta millia barbarorum Mahomedanae superstitioni nuncium misisse. Hoc suae industriae acceptum ferunt, annitentibus Ignatianis sodalibus, vt Gallia suis legibus ritibusque totum terrarum imbuat orbem. Ferri posset, nisi iugum in *Protestantes* animis molirentur. Non pridem Natalis Alexander, Iacobita, acriter scripsit in Pontificem, et Regi ius sacrorum, quod Galli *regaliarum* vocant, intrepide asseruit: Maimburgius et libere et aspere inuehitur saepius, nec Pontificis auctoritatem veretur, Rege patrocinium praestante. Res *Reformatorum* in Gallia miserae sunt, neque vlla spes est, fore meliores. Pacem Antalcidae et pactionem seruitutis, ita pacem Neomagensem interpretor, nihilo sinceriores firmioresque induciae sequentur. Absit foedum omen! Deus vero respiciat Germaniam, et consilia spesque tuas fortunet, vt Hassi, ad venerationem cultumque Principis compositi, procul externo dominatu floreant, et suis legibus liberi et inuicti vtantur. Ad vltimum te, familiam, filiosque, in spem patriae natos, cum vxore et filiabus charissimis, et vniuersis adeo ne-

cessi-

cessitudinibus, benigne seruet, et, hoc ineunte anno, ac deinceps, contra omnia saeculi mala, nunquam lubrico rerum statu, et nunquam inclinata temporum fortuna, tueatur. Vitembergae Saxonum, Cal. Ian. A. cIↃ IↃCXXCV.

CCX.
L. MEISNERO.

Non dubitaui, quin petitioni meae dares, et fidem promissi liberares, cum propter veterem et sancte inter nos cultam amicitiam, tum, quod, summam mei studii in antiquitate Graeca positam, nosti. Nunc aliquid de *Ensiferorum* Ordine commentor, quod primo quoque tempore ad te perferendum curabo. Nec Basilius Latinus tuam spem fallet, si Graeci copiam feceris, quem quidem a te vehementer exspecto. Ignosce vero audaciae, et de me sic existima, in omni gratiae referendae genere me promptum paratumque fore. Tempora sane misera, et tristes foedique ab Gallia nuncii iterum me perturbant. Induciae vix coaluerunt, quum, ob nouam finium controuersiam, rumpentur. Bataui discordiis, Germani aemulationibus et contrariis consiliis, se impediunt atque atterunt, et, dum singuli imperare volunt, vniuersi opprimentur. Barbari denuo rebus prosperis erecti, in-

stanti

ſtanti anno, Caeſaris, prope ſub onere fatiſcentis, regiones infeſtabunt. Deus ſaluti orbis Chriſtiani conſulat, et te familiamque diutiſſime ſeruet, ac demum efficiat, vt ex eo loco, quem ornas, ad altius faſtigium aſcendas. Vitembergae. Non. Ian. A. clↄ IↄCXXCV.

CCXI.
ADAMO CHRISTOPHORO IACOBAEO,

IC. Dreſdenſi et Saxonis EL. Conſiliario.

SVmma et incredibili benignitate tua iacentes clientum animos excitas, et, temporibus etiam duris, in ſpem cogitationemque meliorem erigis, gloriamque patrocinii vni tibi maxime vindicas, et conſtanter ſeruas, vt affirmare audeam, te omnia ea, quae alii ſigillatim poſſident, vniuerſe complecti, magnumque eſſe laudis fructum, ſi abs te laudari quis mereatur. Quare tuam de mea diligentia opinionem demiſſe veneror, neque id mihi ſumo, vt me tuae exſpectationi ſatiſfacere poſſe, credam, certe tamen omnem meam operam laboremque eo conferam, vt intelligas, verba tua non aliter, ac praecepta, a me ſuſpici, quae ſi per omnia me aſſequi poſſe crederem, veniret vſu mihi, quod arrogantibus ſolet, qui vitium vana ſpe alunt, et nemi-

nemini magis, ac sibi ipsis, nocent. Longe alia mihi mens est, et, quanquam, a doctrinae studiis totum me possideri, affirmo, tamen vel singula verba tua accuratiorem industriae rationem continent, et, quid facto opus sit, exemplo sanciunt, vsuque declarant. Omnino, me in felicibus numerandum, existimo, quod vel soli conatus mei summo ac perspicacissimo iudicio tuo probantur, etsi, ab aliis superari, me fateor, et doctioribus libens concedo, ac tibi etiam plane palmam hanc trado, et obsequii gloriam relinquo. Quando autem virtus tua ver bis meis non eget, vnum id mihi sufficit, a diuino Numine hanc inire gratiam, vt preces et vota mea, pro salute tua his Calendis Ianuariis concepta, valeant, vtque, hoc perturbatissimo Europae statu, sine animi molestia, nullis implicitus morbis, diutissime floreas, et virtutes, nullis temporum finibus terminandas, mihi autem et posteris sempiterna admiratione prosequendas, tradas. Vitembergae, VI. Id. Ian. cIↃ IↃCXXCV.

P. S. Rector Academiae Scherzero Theologo Lipsiensi egregie et eleganter panegyricum dixit, et hodie incomparabili facundia pro sacris nostris vota nuncupauit. D. Bergerus secundum locum inter candidatos tenet: eum si aliquid votis nostris tribuendum sit, prae omnibus aptum idoneum-

neumque iudicamus, ſed interim ingratus rumor affertur, Lipſiam ab eo deſtinari.

CCXII.

CAROLO L. B. A. FRISEN,

In ſenatu ſanctiori aetate et meritis principi.

QVod pietati meae congruit, in ea cura atque cogitatione noctes dieſque verſor, vt vota mea, pro ſalute tua concepta, perennis et ſinceri gaudii fructum afferant, ac omne felicitatis genus impetrent et impertiant, quod nullo, quamuis perturbatiſſimo, temporum ſtatu tibi eripiatur. Nam tua incredibilis benignitas iacentes ſubleuat, miſeroſque erigit, et, labentibus patriae rebus praeſidium eſt, vt nemini plus, quam tibi, Domine, ſe debere, vltro fateantur. Ego, ſi obliuiſcar, non culpam, ſed ſcelus, admittam, quod vnus tu ſis litterarum ſtator, cui omnia, quæ cum dignitate coniuncta ſunt, libentiſſime accepta feramus. Siue animo meo Atlantem fingam, praeſtas nobis beneficium, et Academiam patrocinio fulcis, ſiue Herculem recogitem, certe haud minus tibi debemus, cum monſtra ignauorum et inertium hominum ope et conſilio tuo arceantur: Felicem vero patriam, quam grauitate iudicii moderaris, quae ſtatim, vt tui nominis ſanctiſſimi mentio fit, gaudio perfunditur, et optat,

non alios eſſe conſilii principes, quam tu-os heredes. Hos poſcit rerum agendarum auctores, hos publicae felicitatis duces alta voce pronunciat, hos veneratur et ſuſpicit, hos denique in altiſſimo reipublicae gradu poſitos cupit, neque exſpectatione ſua fruſtratur. Quare maiorem in modum gaudeo, et patriae gratulor, quod illuſtriſſimo filio tradita legati prouincia ſit, vt negotia patriae in comitiis conficiat, et in publicum conſulat, atque in illo orbis theatro omnia ex animi ſententia agat; et ſummam adeo prudentiae dexteritatiſque laudem ſibi paret. Patria ei palmam deferet, et poſteritas ab vna tam florenti gentis tuae radice perpetuos, noſtra opinione votoque, ſurculos propagabit. In hanc ſententiam obteſtor Numen, vt te Domine, firmum valentemque, proſpera rerum temporumque fortuna, ſeruet, Coniugem, heredes, neceſſitudines, praeſidio firmet, et ſocietate conſilii ac vinculo concordiae coniungat, et omnes res ſpeſque tuas, omnia inſtituta et deſideria, moderetur, vires ſemper nouas indulgeat, et mala ſaeculi, calamitates et moleſtias omnes, abs tua domo benigniſſime auertat, et ornamenta ſplendoremque priſtinum Friſiae gentis, noſtra, et reipublicae, et Academiae, cauſa tueatur. Quod ſperat, optat et precatur, qui in illuſtriſ-

lustrissimae Excellentiae Tuae admiratione defixus est, et parendi lege ac religione se profitetur humilimum et obsequentissimum clientem. Vitembergae Saxonum, ipsis Calendis Ianuariis, quas felices, et felici auspicio coeptas, felicissimo rerum cursu deinde continuari precor: haec enim vna votorum meta est, vt nullis temporum finibus tua felicitas circumscribatur clɔ lɔCXXCV.

P. S. Dabis petitioni meae, vt nomen meum inter candidatos appareat, quod in his literis maximam aetatis meae partem consumsi, a quibus omnis doctrina liberalis proficiscitur, et a quibus historiae et antiquitatis initia sunt petenda. Nemo Latine scit, qui Graece nescit: Tullius omnia sua ab his fontibus duxit, Graecos oratores, philosophos assidue legit, cum iis in Graecia et Italia versatus est. Ego, qui ex instituto litteris humanioribus me tradidi, et subsidiis Graecis abundo, eadem opera de antiquitate et Graecis litteris mereri me posse confido. Graecorum doctrinae copiosae, et litterae per varias dialectos fusae, inter verbera et plagas Orbilionum discuntur, et vsu atque exercitatione, et amplissimis codicum librorumque adiumentis perficiuntur..

CCXIII.

CHRISTIANO ZAHNIO,

IC. et Quaest. Vitemb. aerariique Praefecto.

GRatulor, hunc illuxisse diem, quo saluo tibi et sospiti bene precor, et valde gaudeo, quod meam causam nobilissimo Herzogio a secretis commendare coeperis, vt, vel hoc patrocinii tui argumento, sperem, fore haud inanem instituti mei exitum, praesertim te annitente, vt summi et illustres Patroni eo certius mihi concilientur. Non dubito, quin assentiatur tibi Magnificus Rector, et, fiducia officiorum, quae iure sibi a me vindicat, me pari studio prosequatur, et intercessione me adiuuet, tuendumque, pro auctoritate sua, suscipiat, et rationes totius incepti bene sapienterque moderetur. Ego non committam, vt ingrati crimen vnquam mihi obiiciatur, et in omni obseruantiae genere efficiam, vt cognoscas, homini obsequenti et fido beneficium te tribuisse, nec spondebo, sed re factisque praestabo, quod iure tuo exigere a me potes. In primis autem, hanc pietatis legem traditam mihi, putabo, vt Deum venerer supplex, quo metam tibi itinerum laborumqve difficilimorum tandem ostendat, et curae solicitudinisque leuamentum, augendis, tuendisque familiae rebus, perutile et auspicatum largiatur. Hoc debes posteri-

tati,

cati, ne memoriam tui posteris surripias, et vel hoc nomine etiam, de genere tuo et pariter republica, quam consilio et sobole ornabis et munies, bene mereare, Ipsis Kal. Ian. cIↄ IↄCXXCV.

P. S. Rectori pignus obsequii abs te nunciari cupio, et epistolam ei commendatione et patrocinio ornandam tradi obnixe peto. Is votis pro concione nuncupatis erexit nos, et incomparabilem cum religione animi coniunctam facundiam certe testatam fecit. Deus virum patriae, Ecclesiæ, Academiae, bono publico seruet. Iam ceteris quoque palmam dubiam fecit, Scherzerum pro rostris Academicis grauiter et magno cum applausu laudauit, mensuram impleuit. Deus virum, et fidum Achatem tuum, et patronum meum vna tecum seruet! IV. Id. Ian. A. cIↄ IↄCXXCV.

CCXIV.
SACERDOTI CVIDAM.

MAgnopere me commouet pertinacia sacerdotis Conradsreitensis, et Patres Academici, immo et Senatores aulici satis mirari non possunt istam maleuoli pectoris tergiuersationem. Copiam tibi feci cautionis chirographi, fiducia patrocinii tui, quod, nescio cuius culpa deperditum est; nec spes recuperandi affulget. Tua autem manu

 nitor,

nitor, et peto, vt res ea tandem, iuſtitiae et honeſti exempli cauſa, conficiatur. Fallendi artes deteſtor, et in ſpem venio, fore, vt iuſtiſſimo Principi veſtro firma et efficax iuris reddendi ratio circumſpiciatur. Vindico mihi, quod meum eſt, quod omni iure mihi debetur, nec obruo debitorem, ingratum hominem, quem diu admonui perhumaniter, fidem liberaret, diſſolueretque aes alienum. Quare iterum te interpello, pro iuſtitia annitare, operamque conferas, vt mihi quamprimum ſatiſfiat. Ego Deum precor, vt tibi Kalendas Ianuarias fortunet, et diuina humanaque omnia beneficia cumulatiſſime impertiatur. Contra inuidiam, contra iniurias, et mala temporum, ſub tutela et auſpiciis optimi Principis te tueatur. III. Id. Ian. clɔ Iɔ CXXCV.

P. S. Filio tuo quem ſaluere volo, non inuito partes dedi admonendi huius debitoris, ſed quo ſtatu res ſit, nondum cognoſcere potui, nec reſponſum tuli, ita omnia apud nos frigent.

CCXV.

MARTINO WENDLANDIO, IC.

Conſiliario Brandenburgico.

QVem mihi commendaſti filium, eum valde amo, et, quibus poſſum, officiis, proſequor, atque in eo viuam paternae indolis

dolis effigiem intueri mihi videor, quoniam diligens et plane frugi eſt, ac ea praeſertim curat, quae veram ſolidamque laudem complectuntur. Elegantioris ſtudii, quod ab humanitate appellamus, rationes, me auctore, confectas habet, et Hiſtoriam, qua ad ciuilem vitam pertinet, haud remiſſius tractat, nec a Graecis litteris abhorret, quas vulgus iuuenum negligit, ac prope auerſatur. De Philoſophia morum ſcribere ſuperſedeo, cui ſe totum tradit, Grotiumque paullatim auſpicatur. Haec via ipſi eſt ad Iuriſprudentiam, vt rerum conſiliorumque fontes aperiat, quorum riuuli in patriam dimanabunt. Superiori quidem tempore non belle habuit, ac ſaepe ea de cauſa perturbatus ſum, nunc vero commoda valetudine vtitur, et vires colligit, et omnia ex animi ſententia agit. Seruet tibi Deus hunc gnatum, decus et praeſidium familiae, et omnia laeta proſperaque cumulatiſſime concedat, vt pariter ad familiam, et patriam digne ornandam, permultum afferat, et ſuis ipſe bonis ſecurus fruatur. Ita vero, ſpe plenus, bene feliciterque agas, et diu ſuperſtes valeas, ac de PR. El. Brandenburgico, qui libertatis Teutonicae murus et propugnaculum eſt, rectiſſime merearis. Vitembergae Saxonum, III. Id. Ian. A. cIↄ Iↄ CXXCV.

CCXVI.
NICOLAO L. B. A GERSDORF.
Senatus ſanctioris principi.

ITerum venit mihi in mentem huius temporis, quo ſua quiſque vota nuncupamus, et, certamine quodam pietatis, laeta omina perferimus, et obſequium pariter declaramus, voceſque mittimus religione plenas, et Deum, reipublicae Saxonicae cuſtodem, ac praeſidem, oramus, ſeruet patriae, ſeruet nobis, ſummam diuinamque virtutem, quam in principe conſiliorum, Gerſdorfio, admiramur. Non melius rationibus publicis prouiſum eſſe, Saxonia intelligit, et omnes aulae atque atria Principum his acclamationibus perſonant, atque in te ſpem praeſidiumque temporum collocant, abs tua ope opem et ſubſidia exſpectant. Eſt profecto perturbatiſſimus Europae ſtatus, et fortuna belli anceps, et minae barbarorum, irrita Budae obſidione, terribiliores, apparatus etiam maior armorum, quae inter ſpem metumque omnium animos ſuſpenſos tenent. Induciae cum Gallo, ex occaſione temporum facile rumpendae, reſque paſſim afflictae, et perinde annonae ac pecuniae difficultates, plane deprimunt fortiſſimum quemque et percellunt. Sed tuo conſilio, ſub Dei Principiſque

que

que tutela auſpicatiſſimo,omnia temporum mala cedent, vaſtitas et ſolitudo deſinet,et miſeriae calamitateſque ceſſabunt. Inter hos labores vigiliaſque tuas una haec nobis clientibus conſolatio occurrit, quod nemo patriae carior floreat, quam princeps moderatorque conſiliorum Gerſdorfius, in quo ſpes noſtrae fixae, in quo decus ſaluſque fortunarum eſt ſita, cuius Illuſtriſſima Coniux, generoſi heredes et liberi,eadem felicitate,et pari proſperaque fortuna,et firma ſemper, neque leuiter inclinata,valetudine fruantur. Vitembergae Saxonum, prid. Idus Ianuarias, A. clɔ lɔ CXXCV.

CCXVII.
MIRENIO.

Fides tua et promiſſi religio non modo te admonet, ſed coarguit planeque conuincit,non ſtetiſſe te pactis. Remedio igitur iuris neceſſitate expreſſo vtendum eſt,vt intelligas, rem iam eo rediiſſe, vt neque ludificationi, neque tergiuerſationi locus ſit. Miſi tabellarium non prius abiturum,quin pecuniam ſoluas, et ſumtus eo nomine cures,niſi facias, Dreſenam te in ius vocet. Fortunae tuae faber ſis, et contra huius anni atque honoris tui auſpicia nihil admittas. Vale,et quod te decet,age.

CCXIIX.

IO. GEORGIO BOERNERO,

IC. Conſiliario Saxonico.

SEra etiam, ſed pietate plena, vota non reprehendes, quorum haec ſumma eſt, vt tu tuique ſemper firmi ſitis et valentes, et omni adeo felicitatis genere in perpetuum floreatis. Merita tua, et tuarum ſane nobiliſſimarum neceſſitudinum, in me conſtant ſumma, atque eorum memoria menti meae infixa eſt, et religionem animo affert, ac pro grato officio quaſi ſpondet. Si vero, pace tua, audaci mihi eſſe licet, cumulum, quaeſo, adiicias ſuperioribus illis beneficiis, et, niſi graue eſt, pro mea cauſa apud Magnificum Patronum, eumque affinem tuum, intercedas, vt prouinciam Graeci Profeſſoris, doctrinae meae aptam et conſentaneam, morte Stolbergii vacuam, nanciſcar. Nemo inter Candidatos Graecae linguae profeſſos eſt Graecus, quod ipſi non diſſimulant, ipſe etiam Holſatus, vir quamlibet variae eruditionis, nullum, quod ſciam, in Graecis litteris ſpecimen dedit, quas ego aeque, ac Latinas, percalleo, et, ſi vana ſpes me non tenet, ſubſidium ſtudii magis excolendi hac acceſſione exſpecto. Si tamen Vir ille, quem noſti, non abnuat capeſſere has partes, flagitare deſinam, ceteris autem, Graece indoctis ne poſtponar,

nar, tua auctoritate permoueas Maecenatem magnum, Iacobaeum. Vale, Patrone, et cum nobilissima vxore, sobole, affinitatibus prospere feliciterque age. Deus te seruet, et omnia temporum mala abs te auertat. Id. Ianuar. A. clↄ Iↄ CXXCV.

CCXXIX.
IO. HENRICO BERGERO, IC.

Est quaedam diuina abditaque vis, quae homines consensu virtutis inter se conciliat atque coniungit, vt honestis laboribus certent, et partes suas mutuis sanctisque officiis tueantur. Etsi autem in me nihil est tam eximium, quod tuae exspectationi respondeat, tamen insignis illa summi Patroni de me opinio effecit, vt aliquid meis studiis concederes, quae Iurisprudentiam aliqua ex parte ornant, et certe humaniorem reddunt. Magnopere igitur probo tuam industriam, optoque, vt facultatem illustrandae Iurisprudentiae, quam consecutus es, nullus deinde casus tibi eripiat, et magnum adeo Socerum, in quo omnes animi dotes summae ac sine exemplo sunt, in omnibus vitae munerisque partibus feliciter et recte imiteris. Mihi certe nihil tam gratum euenire potest, quam, si de rebus tuis florentibus, et maiori in dies dignitatum accessione, audiam. Poscit hoc necessitudinum

num Iacobaearum gloria, quae cum admirationem habet, tum omnium ore celebratur. In tantae laudis partem receptus, egregiorum ſane hominum oculos in te conuertis, qui multa et luculenta monimenta abs te in illa Academiae luce exſpectant. Experientiſſimi Fratris cauſam Patribus commendaui, atque eius ratio habita eſt, vt inter Candidatos locum teneret. Valde cupio, vt haec prouincia, quae ſucceſſorem eximium deſiderat, Fratri tuo apta explicataque tradatur, quam ad rem permultum poteſt Magnificus Socer, nec quicquam in eo genere praetermittit Zieglerus, qui te ſaluere iubet. Ad extremum Deo immortali ſupplico, vt toto hoc anno, cum ſuauiſſima vxore, bene valeas, et ſine animi aegritudine et moleſtiis negotia tibi credita conficias, Iuriſque prudentiam diligentia et meritis conſtanter et maximopere ornes. Vitembergae Saxonum, XVI. Cal. Febr. clↄ Iↄ CLXXXV,

CCXX.
GEORGIO GASSITIO.
Gymnaſii Carolini Bremenſis Rectori.

NOn me certaminis arbitrum interpono, nec mihi ſumo, vt alterutri parti ſtudeam, neque id rationes meae ferunt, propterea, quod ſubuereor, ne inter nos,

vel

vel leuiſſima diſſentiendi occaſione, committamur. Speciosis, nec omnino improbabilibus, argumentis cauſam tuetur Clariſſimus Eggelinus, cuius non inſuaue ingenium, et varia lectio, nec minor eruditionis copia, et antiquitatis peritia non vulgaris, mirifice mihi placent. Nec fraudi ſit doctis, ſi alii vincant alios, et feliciori coniectura praeſtent, ac ſagaciori ingenio abundent, atque obſcura quaeuis et difficultatibus implicata rectius aſſequantur. Fortaſſe in huius curae partem vocari poteſt celeberrimus Henricus Meibomius, qui, vt in omnibus antiquitatis partibus, ſic etiam in numariae rei ſcientia, praeclare verſatus eſt, et humanitate pariter, ac doctrina, cum omnibus facile contendit. Mihi in praeſens integrum non eſt dicere ſententiam, hoc tamen fateri licet, eum et diligentis, et docti viri, nomen tueri. Illud vero modeſtiae lege deprecor, quod mihi, pro ſummo amore tuo, tribuis, quaſi is eſſem, qui Scaligero et Lipſio ſe aequare auſit. Multa quidem a doctiſſimis praetermiſſa vidi et caſtigaui, in Graecis et Latinis Scriptoribus paſſim, ſed ideo nemini grauis ero, et cuiuſuis honori parcam atque cum omnibus ita agam, vt contentionis ſtudium a me alieniſſimum videatur. Rixandi libido turpis eſt, nec conuenit eruditis, et dedecet

mo-

modeſtos, quorum affectus maxime rationi ſeruire debent. Mitto tibi diſſertationem, ſub initium huius anni ſcriptam, vt videas, quam modeſte a me tractetur Hartknochius, ne impediam, quo minus iſte otio ſuo fruatur. Feramus omnes, qui, veritatis cauſa, diſſentiunt, et gratias iis agamus, ſi meliora docere poſſint. Vale, et toto hoc anno feliciter res tuas age. Vitembergae Saxonum, XV. Cal. Febr. A. CIↃ IↃCXXCV.

P. S. Hamelmanni Chronicon Oldenburgicum, ſi eius potiundi occaſio ſit, fac accipiam, nec dubita quin pecunia ſtatim perſoluatur. Winckelmannum Bremae, et Mislerum Stadae, ac VVillimerum collegam tuum ſalutes. VValckenriedenſe hoc temporis articulo nactus ſum, de eo non labores velim. Eimbeccenſe Chronicon adhuc quaero

CCXXI.
L. MEISNERO.

DOno tibi do diſſertationem, breuem illam quidem, ſed multos tamen aetatum ſaeculorumque euentus complectentem. Cernimus, in his fortunae temporumque viciſſitudinibus, magnam Dei prouidentiam, quae, cum poenas ſumere conſtituit, conſilia hominum opinione citius corrumpit. Equites iſti, libidine ſoluti, et ambi-

ambitione elati, ad vltimum Russorum populo, in vltionem diuinitus excitato, resistere non poterant, ab imperio autem destituti, tandem deditione sibi consulebant, et suae etiam vtilitati dabat Kettlerus, vt nouum, eumque clientelarem, *Ducatum* ab rege et regno Poloniae pacisceretur. Eum dehortati sunt magnus Teutonici ordinis Magister, et Clemens VII, Pontifex Romanus, sed surdo narratur fabula, et interim religio emendata inter has conuersiones caput effert, sedemque in limite, ringentibus Pontificiis, figit. Haec Dei abdita consilia sunt, quae nulla arte eludi possunt, quorum nihilo obscurius exemplum praebet soluta Budae obsidio, quam si occupasset Caesar, tota Hungaria *Protestantes* exulassent. Mutat Deus pro lubitu, quae homines vtilitatis causa sibi destinant, vt moneantur, aliam ciuitatem mortalibus esse circumspiciendam. Omnes Principes vel infelices sunt, vel foede pereunt, qui in sacra acerbius consulunt, quod vel historia Romana satis confirmat. Ego hic desino, et valere te iubeo, et desiderio teneor gratiae referendae. Basilii editio saepe mendosa est, nec magnopere a me aestimatur, sed Iustini illa Stephani mirifice mihi probatur, qamuis ab ea dissentiat Sylburgiana,

vt alias ad te perſcribam. Vale. XIV. Febr. A. cIↄ IↄCXXCV.

CCXXII.

GERARDO MARTENS,

Sacerdoti Londinenſi apud Anglos Lutherano.

TVum in me ſtudium amoremque ſingularem magni facio, et valde cupio optoque, vt rei Chriſtianae commodo quam diutiſſime valeas, coetumque fidei tuae creditum doctrina et exemplo inſtruas, ac laudi tuae ſuperiori plane cumulum addas. Saepe tuae humanitatis eximiae mihi in mentem venit, atque in conuictu et congreſſibus quotidianis ſermonem habeo de tuis in ſacram rempublicam meritis, nec maiori laetitia afficior, quam ſi, res tuas ex animi ſententia euenire, intelligo. Zieglerus, Roehrenſeus, Daſſouius, omnes te obſeruant et aeſtimant, neque ipſis in hoc genere concedo, tantum doleo vicem meam, quod, cum ſuperiori anno in Germaniam traiiceres, nullus te reuiſendae Saxoniae amor ceperit, quippe quae neminem magis, quam te hoſpitem exſpectabat. Quoniam vero rationes tuae fortaſſe non aliter tulerunt, quam vt celerrime redires in Angliam, valde gaudeo, te ſaluum et incolumem rediiſſe, ac eo nomine mihi gratulor, quod, tua opera libros plerosque ſelectiores nanciſci

cisci me posse, confidam. Maxime autem volo, copiam mihi facias Michaelis Ephesii, Graeci interpretis, et Ptolemaei, Geographi, a Petro Bertio Graece editi. Joannis Seldeni Fletam curauit Pragestus vester, sed Latinum codicem malim, quam Anglicum, etsi alioqui non abhorreo ab Anglica lingua. De Iosepho sentio, me spe falsum, et acquiesco meis obseruationibus, quas in commentarios manu exaratos retuli, studioseque collegi. Natalis Alexander Graece non est doctus, atque ex Pearsono et aliis passim omnia compilat, partibusque Regis enixe studet, atque in argumento iuris sacrorum ingenue pronunciat ac decidit. Quorsum spectant scripta Gallica eiusdem instituti, nuper emissa, ad quae subinde indicem digitum intendit Alexander. Sane floret illud regnum litteris pariter, et armis, fato quodam Europae Christianae, ad seruitutem Gallicam se inclinantis. Germania, qua Rheno adiacet, iam subacta est, Belgium contrariis studiis distrahitur, Heluetia resistere non audet, Caesar apud Danubium rerum suarum satagit, et Italia dudum magnam illam ab Occidente potentiam pertimescit. Res patriae difficilimae sunt, nec inter postrema horum temporum mala est annonae caritas, quae plurimos ciuium affligit penitusque consumit. Vestra illa insu-

 la,

la, quoad concordiam ſeruat, firma eſt contra omnes caſus, et optimis ingeniis abundat, ac inuentorum gloria omnibus nationibus praeſtat, Galloſque ipſos vincit. In vna regni vrbe ſedes potentiae et regnum eruditionis eſt, et imperium commerciorum cernitur, nec vnius populi, ſed gentium ſchola Londini frequentatur. Quam felicitatem Angliae Saxonia noſtra non inuidet, ſed omni ſtudio et gratulatione proſequitur, et Societatem Regiam tot illuſtriſſimorum nominum obſeruat et colit, ac vt perpetuo floreat, vehementer cupit. Vale cum ornatiſſima vxore et ſobole, et honori meo faue XIII. Cal. Febr. A. cIↄ IↄCXXCV.

P. S. Voſſium, Crounium, Hookium, omnes ſaluere cupio. Pecuniam pro libris, praecipue Graecis, qui ad antiquitates Eccleſiae ſpectant, et ſimilibus aliis, Hamburgum curabo, ſi ad me, deſignato pretio, perferantur.

CCXXIII.
AMICO CVIDAM.

ETſi nemo dubitat, quin conatus tuus laude dignus ſit, tamen, faciundum mihi, arbitror, vt pietas diligentiaque tua incluto veſtro ſenatui ſine fuco et adulatione commendentur. Nam, ex quo te ad interiora

riora admiſi, et vſus ſum familiariter, agnoui indolem rectam, et ingenii facultatem eximiam, ſtudiumque indefeſſum. In quo non magis mihi, quam patriae tuae, gratulor, optoque, vt tui ſimiles ſemper habeat, qui partes ſuas pie et fideliter agant. Illud vero inprimis tibi curae eſt, vt Deum ſincere colas, et diuinum codicem aſſidue legas, et pie eruditeque explanes. Quibus rebus facis, vt conſilium coeleſte, prouidentiaque aeterna ab omnibus perſpiciatur, adeo, vt egentibus etiam ſaepe praeſidium ſit in conuictore coruo. Dignam ergo te operam ſimis, et induſtria hac promereris, vt incluti patres ampliora tibi ſubſidia conſtituant, et liberalitate ſua te magis excitent ac foueant, his praeſertim temporibus, quo litterarum amor exoleſcit, ſed in republica veſtra magnopere valet, et plurimum adiumenti habet. Vale. XII. Cal. Febr. A. clↄ lↄCXXCV.

CCXXIV.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,

IC. Dreſdenſi et Saxonis EL. Conſil.

PErelegantes abs tuo genero accepi litteras, quae animum tuis neceſſitudinibus dignum, atque inceptum vſu egregium, conſiliumque laudis plenum, abunde mihi oſtendunt. Eſt enim omnium artium do-

mittam, quod ad fatris eius Io. Godofredi Bergeri causam pertinet, cuius honori abs te prouideri cupio, qui multa iam perfecta habet, quae in lucem Academiae proferat, si illustrissimi Senatus beneficio locum hic tenere possit. Multum in tali successore situm est, qui iudicio polleat, et humanitate placeat, et suauitate consuetudinis delectet. Rector Academiae Mayerus, heri pro concione tam grauiter et ornate dixit, vt in admirationem raperemur: Id vel inuidia de eo non tacebit, quod toto hoc tempore, quo hic docuit et pro suggestu ad populum conciones habuit, Vitembergam ad meliorem cultum traduxerit, et barbaros mores, qui legibus vinci non poterant, oratione triumpharit. Ego autem, sicut alias, ita nunc ad nutum voluntatemque tuam me conuerto, et Numini supplico, honori tuo faueat, et omnibus inceptis consiliisque tuis adspiret! Vitembergae XI Cal. Febr. cIↃ IↃcxxcv.

P. S. Castigatissima Conciliorum editio est Philippi Labbei et Cossartii, quae XVII. voluminibus constat, et A. cIↃ IↃcLXXI. integre lucem adspexit. Binii nouem tomi exierunt, sed prior illa magis mihi probatur, nec minus Bailii synopsis mihi se commendat.

CCXXV.

IO. ANDR. QVENSTADIO,

Doct. Theolog. et P. P. Vitembergensi.

IPse mihi succenseo, et prope, dedecus admissum esse, fateor, quod cunctatione mea factum est, vt tam sero ad ea, quae abs te quaesita sunt, respondeam, mandatisque demum aliquoties interpellatus morem geram. De primo, quod sciam, nihil praeter X. Tomos in lucem venit. Alterum quod attinet, certum habeo, omnium recentissimam esse Conciliorum editionem, quae Philippo Labbeo et Cossartio accepta fertur. Ad postremum Garsiae Loaisae Concilia Hispanica, et Anglicana Henrici non Sauilii, sed Spelmanni, A. clↃ lↃcXLIV, ex officina regia, prodierunt, quibus addita sunt Concilia Gallicana Sirmondi. Post Narbonensia Baluzii, nulla huius argumenti recentiora extant, nisi quod iste auctor magnum denuo opus maioris librorum ordinis molitur, idque affectum mihi Parisiis commonstrauit, quod, nisi fallor, reliquorum supplementum haud paruae molis est futurum. Totum breui exspecto, et, si quid de eo ad me curabitur, nihil celare volo. Ita vero Deus te saluum et incolumen praestet, vt volumina tua quam primum laeti florentesque videamus. Id. Febr. A. clↃ lↃcxxcv.

CCXXVI.

CCXXVI.

MARTINO WENDLANDIO, IC.

Conſiliario Brandenburgico.

Omnino iuſſa tua comprobo, nec obnititur voluntati tuae filius, et intra triduum diſcedere conſtituit, iamque in eo totus eſt, vt amicis et Profeſſoribus gratias agat. Cuius iter fauſtum, et valetudinem ſemper proſperam, eſſe cupio, vt tuam patriaeque ſpem ſuſtineat, et reuerſus, auſpicio Principis, dignos labore honores capiat, et praemia ſane optima conſequatur. Mirifice eum ſemper dilexi, quod virtuti et induſtriae eius a me datum eſt, vt, liberum ad me aditum ſibi patere, intelligeret, et liberali hac conſuetudine magis magiſque excitaretur. In litterarum ſtudiis multum profecit, et aequales contentione induſtriae vicit, maximeque id ſibi laudi duxit. Cuius operae eum non poenitebit, et multa . opinor, doctrinae adiumenta ad iuris ſcientiam afferet, vt vel hoc praeſidio decus dignitatemque ſuam tueatur. Nihil auribus tuis dabo, propterea, quod aſſentationem fugio, nec tamen committere poſſum, vt vlla mea culpa ac diſſimulatione, aliquid de laude filii tui detractum videatur. Mirum dictu, quod conſtanter obiret has partes, et doctrinae ſtudia non circumſcriberet anguſtius, ſed vi-

tae uſu et iuris dignitate metiretur. Hinc et in ſcholis iuridicis perpulchre verſatus eſt, tirociniumque tale poſuit, vt arbitri iudiceſque diligentiae nihil vulgare ab eo exſpectandum, putarent. Ego magnam et gaudii, et honoris mei, partem in eo poſitam, arbitrabor, ſi conſuetudinem hanc ſeruet, neque incepto deſiſtat. Quod ſpero fore, et opto euenire feliciter, atque oro Deum Immortalem, ut egregiis filii conatibus adſit, et benigne opituletur, ne non fortuna omnibus eius optatis reſpondeat, et maiori indies acceſſione cumuletur. Haec votorum ſumma eſt, quibus et pietatem, et obſeruantiam. tibi commendo, voloque, vt cum nobiliſſima familia diutiſſime floreas, nec ſpe optimi filii fruſtreris. Cal. Mart. A. clɔ Iɔ CXXCV.

CCXXVII.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,
IC. Dreſdenſi et Conſiliario Saxonico.

Ne quid in partibus meis deſideres, diſſertationem, de Ordine *Enſiferorum* inſcriptam, tranſmitto, ſed mihi omnino temperaui, finiumque controuerſias de induſtria omiſi. In quo genere ab Hermanno Conringio diſſentio, quem ſaepe in argemento derelicti liberaliorem eſſe video, facile autem intelligo, huius induſtriae fructum

ctum meliori temporum occasioni seruandum esse. Omne ferme praesidium Germaniae ereptum est, nec rationibus nostris conducit, vt de finibus imperii disceptemus, quum Gallus eam sibi operam sumat, vt pro arbitratu eos circumscribat, exemplum Sigismundi Augusti secutus, qui ex capite Sarmatiae Europaeae, in qua eius regnum situm est, omnes Sarmatiae regiones, et ipsam adeo Liuoniam Curoniamque, sibi vindicabat. Sic Rudbeckius in Suedia ex migratione Gothorum ab sedibus suis facta, ius adstruere conatur in Daniam et Germaniam, castigatione dignus et acriori censura, scripsit ea de causa Collyrium Rudbeckianum Borrichius. Nihilo angustius definit Galliam Ludouicus, qui per discordiam et socordiam finitimorum eo se euexit, vt totius prope Europae Christianae arbitrium sibi sumat, et nutu iudicioque suo omnes finium lites decidat. Veneti et omnes fere Itali erecti sunt, bellumque barbaris intulerunt, ne imparatos opprimeret Ludouicus, cuius tanta iam in mari mediterraneo potentia est, vt Italia omnis metu et suspicione tam periculosi dominatus commoueatur. Si tamen Genua prudentia et moderatione bellum declinat, Heluetii, mea opinione, infestabuntur. Nam tot Alsatiae horrea apparatusque militares omnino dant belli

belli significationem. Ceterum liber de quo haud ita pridem scripsi, accessione annotationum auctus est, sed fractam nonnihil superioris iudicii vim ostendit: Aegritudo domestica, et stipendii Gallici conscientia, animum auctoris haud mediocriter afflixerunt, quanquam is vltra eruditionem non facile progressus est, nec consilia Gallica adiuuit. Obrechtus in Galliam discessit, et, conuersis Argentorati rationibus, animum a patriae amore auertit. Haec litteratorum fata sunt, dum fortunae suae diffidunt, et, leuationem solatiumque eius quaerentes, nihil medium eligunt, vt Marcellus quondam, eruditus Romanorum eques, cum Caesar orbem terrarum arbitrio et potestate sua complecteretur. Peto autem, rationibus meis consulas, et, more tuo, patrocinium litteris, miseria temporum perculsis, efficacissimum praestes, vt habeamus, quod reipublicae, te florente, semper gratulemur. Vitembergae Saxonum, Non. Mart. A. clɔ lɔcXXCV.

CCXXVIII.
OTTONI MENCKENIO,
Prof. Publ. Lipsiensi.

CVnctationi meae veniam dabis, et, quoquo modo res meae se habeant, aequum in me animum, omni etiam temporum fortuna,

tuna, retinebis. Ego honori tuo faueo, et, quanquam in certaminis Eggelingiani partem vocatus sum, tamen prudens abstinui, ne, vel leuissima dissentiendi occasione, dissidia non decora et inutilia excitarentur. In Anglia, vbi Iacobi VII. successio diuino coelestique nutu fortunata et firmata est, Hookius, nescio, rixandi libidine, an gloriae studio, de Heuelii meritis detrahit, laudemque eius, in puluere illo partam, conuellit. Permultum Hookio tribuendum esse, duco, et laboris diligentiaeque ipsius facile testis oculatus sum, sed id, pro eo, ac par est, grauiter fero, quod tam illiberaliter agat cum meritissimo viro, quem aeui nostri Ptolemaeum existimo appellandum: Nolim tamen mihi de his iudicium sumere, aut Hookium, Londini beneuolentia mihi cognitum, irritare. Tantum abs te peto VVendlandium, ciuem hucusque nostrum modestum et doctum, Consiliarii Colbergensis filium, et disciplinae meae adsuetum, clientis loco habeas, et, nisi graue est, ad conuictum consuetudinemque tuam admittas, quin et Bergero, IC. cuius doctrinae cupidus est, maximopere commendes. IIII. Non. Martias, A. clɔ Iɔ CXXCV.

CCXXIX.

CCXXIX.

IOANNI HENRICO BERGERO, IC.

NOn dubito, quin ſuperiores litterae tibi redditae ſint, nec vereor, ne tibi diſpliceat officium, quod teſtatum facere cupio, praeſertim, ſi in eo honor vtilitaſque tua verſantur. Eſt aliquis ingenio et more permodeſtus iuuenis, nomine VVendlandius, me, quod hic vixit, familiariter vſus, et iuſſu patris, in meam diſciplinam traditus, nunc Lipſiam, ſtudii iuridici cauſa, diſceſſurus. Cuius honori fauco, et commodis pariter ſtudeo, voloque, vt tua ei beneuolentia concilietur. Non te pigebit operae, et accurate expediteque ſoluet, quod doctrinae nomine paciſci voles. Ingenuus atque diligens eſt, et, conſtituto tempore, fidem liberat, ac ſpecimen in poſterum dare conatur, quod, te auctore, arbitro et iudice, fieri opto. Pater Colbergae Pomeranorum Conſiliarii dignitate fungitur, atque ſecundas res moderate fert, fortuniſque amplioribus dignitatem tuetur. Vnicus illi filius, et eo magis curae cordique eſt, vt hunc commendandi laborem ſumam. Duos audio eſſe Lipſiae, qui eum ad ſe allicere cupiant, ſed ego pro te ſententiam dixi, quamuis, et menſam, et inſtitutionem, coniunctam eſſe, deſideret

po-

postuletque. Vale, et audaciam aequo animo accipe, et, more tuo, patrocinium serua III. Non. Mart. A. cIɔ Iɔ CXXCV.

CCXXX.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,

IC. Dresd. et Consil. Saxon.

QVos Dio Μαρκομάνους vocat, eos Zosimus Μαρκομανοὺς appellare coepit, eo modo, quo Γερμανοὺς Dio extulit, et a Κελτοῖς distinxit. Ineptiunt, qui Μαρκομαννῶν legunt, lib. 1. cap. 29, quod arti et vsui pariter repugnat, neque miror, id vulgo negligi, quando plerique alii vim artis Graecae non assequuntur. Nam, lib. 1. cap. 3, ἐφ' ἑαυτῶν non intelligunt recte interpretes, nec recentior Anglus mendosam interpretationem emendat. Εφ' ἑαυτῶν Latine valet, *apud sese*, quod Graece imperiti, *coniunctos*, vertunt. Ignaros Graiissimi homines, qui artis perinde, ac suae dignitatis, obliuiscuntur! Illud tamen fateor, Zosimum, diligentissimum quamuis ἀττικωτάτου Xenophontis imitatorem, noua saepe ac superioribus Graecis non recepta vocabula vsurpasse, vt παντομίμου, quo tamen de stilo eius nihil detractum volo. Nam saepe id nouae res inuitis scriptoribus imperant, quasique extorquent, vt nomina peregrina ad-

adſciſcant, quod tamen caute, nec niſi neceſſitate coacti, facere conſueuerunt. Elegans alioquin Atticiſta eſt, et verba dictioneſque Atticorum retinet, vt λεπλατῶ, λεπλατέντων et alia paſſim obuia exempla, demonſtrant. Scite ſuauiterque dixit, τὴν ἔχθραν ἔμεινεν ἐπικρύπτων, quod non aeque ſignificanter expreſſiſſet, ſi dixiſſet, ἐπέκρυψε, propterea, quod, praeter ſignificantiorem quandam rationem, Attici continuationem rei actuſque ſic denotant, et formam artis et vim linguae decenter ſeruant. Vulgus pleonaſmos, imperita audacia, ingeminat, et doctorum aures ineptiis talibus prope obtundit. Vnum, pace tua, quod ad ſacra pertinet, adiiciam. Zoſimus dicit, φυλακὴ τῆς Ἑλλάδος ἐγίνετο. Quaerat aliquis, cur, ἐγίνετο, ſcribat? Ratio expedita eſt, quia deſignatur φυλακὴ παρατεταμένη. Longe aliter Ioannes I, 14. vbi ἐνανθρώπησιν ὅλως πεπληρωμένην plane aperteque deſcribit, et, propter κυβείαν χριστομάχων, ſic euidenter perfecteque deſcribi, neceſſe erat. Sed alibi plura, cum Noui Foederis vocabula ſtilumque, ex optimis atque claſſicis Graecis ſcriptoribus, explicandum tuendumque mihi ſumam. Dum haec ſcribo, velut aliud agens, incido in Virgilium, qui Aeneidos VIII, 77, de Tiberi fluuio canit,

Cor-

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

Nihil adnotat Taubmannus. Casus nominandi pro casu vocandi positus, imitatione Graecorum, praesertim Atticorum, qui in prosa quoque id facere solent. Similiter Homerus Ἠέλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷς; vbi ἠέλιε, ad regulas Grammaticorum scribendum fuerat. Sed Graeci id sibi sumunt, et id peculiarem aliquando sermoni gratiam conciliat. In Floro lib. III. cap. V, de Pompeio, iure belli Hierosolymam, et vrbis sanctissimum templum ingresso, haec leguntur; *Et vidit illud grande impiae gentis arcanum patens sub aureo vti coelo.* Graeuius noster, *sub aureo vtique velo.* Non assentior, nec stilo Flori conuenit, *sub aureo vtique velo*, quod alibi, quum otium est, pertexam. Ingenio tamen et subtilitate se commendat ista lectio, sed codicum fide, et auctoritate, usuque stili Floriani, haud fulcitur. Dissertationes, de Atlantide Platonis, neque ingenio, neque iudicio ; mihi probantur, ex Rudbeckio et Iano Birchcrodio compilatae. NuperEggelingius Brema ad me scripsit, et collectoribus Lipsiensibus litem mouere constituit, meamque sententiam de censura aliqua ipsorum perquisiuit, sed prudens abstinui, ne vel tenuissima dissensione litem aleremus, In Anglia

glia ſucceſſio Iacobi VII. fortunata firmataque eſt, quod regno illi, vel eruditionis cauſa, gratulor, et opto, vt nouus Rex animum fortuna ſua dignum capiat, et conatibus conſiliiſque Gallicis obnitatur. Sed quid ſperemus de eo, qui dudum auro Gallico emptus, et laqueis his ita irretitus eſt, vt conſilia fratris, adhuc viuentis, in commoda Gallica flecteret ac verſaret? Quoquo modo autem iſta eueniant, te, conſiliorum moderatore, omnia laeta proſperaque ſperamus. Ita propitium Numen nobis et litteris te quam diutiſſime cuſtodiat, et ope auxilioque ſuo fulciat, vt, vel ſub tutela et patrocinio tuo, quamuis euerſam funditus fortunam fortiter patienterque feramus. Vitembergae, pridie Nonarum Martiarum, A. cIↄ IↄcXXCV.

CCXXXI.
ADAMO RECHENBERGIO,
P. P. Lipſ.

TVum in me ſtudium beneuolentiamque intelligo, atque ea de cauſa permultum tibi debeo, nec minus de tranſmiſſo librorum Thomaſianorum indice gratias ago, et, ſi quid abs te petere audeo, certe venio in ſpem, fore, vt plerique, fide abs te interpoſita, ad me deferantur, nominatim, Phrynichus de Atticis dictionibus, Meurſius, cuius

iius lectiones Atticas, et Glossarium Graeco barbarum designaui, Portius de ponderibus et mensuris, tomus IV. Hispaniae Illustratae Schotti, in quo postremo vel maxime de me potes mereri, quoniam tres priores tomi iam dudum a me possidentur. Pecunia statim a me curabitur, eo modo, quo licitaberis nomine meo. Id enim totum et prudentiae, et dexteritati tuae permitto. Si quid vicissim mea opera tibi praestare possim, quod vel honoris, vel vtilitatis tuae causa, interesse, intelligam, non petes, sed iure tuo postulabis, planeque mandabis. Clarissimum Pufendorffium Conringio surrogatum iri, fama fert, quod si ita est, saluum eo venire, cupio, vt Iuliam meritis exornet. Angli rebus tranquillis maximopere lactantur, Gallorum autem pleraque consilia conuertuntur: Italia nunc securitatem sibi spondet, Belgae et Heluetii, quod metuant, habent, neutri tamen metuere volunt, et hi etiam missionem cohortium vrgent. In Alsatia et finitimis tractibus religio astu et insidiis petitur, et promissa minaeque miscentur. His rebus consequitur Innocentius XI, quod diu cum animo statutum, non passurus, opprimi Austriam, in qua salus Germaniae agitur, passurus autem, euerti emendata sacra, vt sua auctoritas illustrior, et Romana *Ecclesia* multo amplior,

or, euadat. Magis eo adnituntur ſodales, Ieſu nomen profeſſi, quorum conſilia armis et potentia magni Regis fulciuntur. Interea Principes vel diſtrahuntur contrariis ſtudiis, vel contra inſidias non ſatis cauti ſunt, vel opes profundunt; aerariumque negligunt, vel dubias miſeraſque res ancipiti fortunae committunt. Deus ſacra, litteras, libertatem, ſeruet, Saxoniamque tueatur, te Lipſiae diu florentem praeſtet. Vitembergae, Non. Mart. cIↄ IↄCXXCV.

CCXXXII.
PHILIPPO IACOBO SPENERO, DOCT. THEOL.
Sacrorum Francofurtenſium Antiſtiti.

RVmor ad nos de valetudine tua allatus eſt, quem vanum eſſe, cupio, et arbitror, non inania vota pro te fieri, tua autem refert, vt laboris modum habeas, nec, preces, obteſtationeſque noſtras plane irritas eſſe, patiare. Illuſtris Schotti obitus toti patriae grauis luctuoſuſque accidit, nec quiſquam repertus eſt, quin magnam ſpem in eius ſingulari atque incomparabili prudentia reponeret, atque ab ea opem et praeſidium rebus Germaniae afflictis ſperaret. In conſiliis et congreſſibus publicis vnus ille optimam viam rationemque ſuadendi inuenit, cum ceteri parum conſtituerent,

rent, aut nihil conferrent. Eheu vero, ereptus est, qui tantas res summa cum laude confecit, et non minus a Saxone, quam a Caesare, desideratur. Virtus aeterna est, et memoria meritorum in animis viget, ac tacito pietatis sensu omnes ciues patriae amantes mouet. Longe aliam instituit viam Obrechtus, et patriae iuxta, atque religioni, nuncium remisit, nec solum sibi non bene consuluit, si vincula, quibus cum Deo iungitur, considero, sed etiam exemplo nocuit, patriamque in maius periculum adduxit. Interea res sacra per Alsatiam, *Ducatum* Bipontinum, Mompelgardicum, finitimasque regiones, vehementer afflicta est, alibi vi et insidiis petitur, alibi luditur dolis. Procerum plerique voluptatum laqueis irretiti, de religione haud magnopere laborant, Theologi rixantur, et animis indulgent suis. Miseret me fortunae horum temporum, quibus nulla spes emendationis affulget. Pontificii, hoc rerum statu, reipublicae vicissitudinem leuius ferunt, quod religionis suae incrementa ex ruinis nostris vident, nos tot exilia et repulsas hominum, religionis societate coniunctorum, siccis oculis adspicere non possumus. Aduersus barbaros, quanto conatu potest, vires instaurat Caesar, et Pontifex adnititur, et Germani opitulantur. Sed, quot errores in obsidione

chto, quod de patrio ritu non deflexit, et honores sibi oblatos non reiecit, nullos autem prensauit. Vir ille, de quo scribis, diligens est, et multa perquirit, sed iudicio non abundat, nec eleganter componit, quae litteris mandat. Imhofius, ei multa se debere, fassus est, nec volo de ipsius laude quicquam detrahere, nisi quod imprudenter aliquid de *Episcopis* emisit, atque horum offensam incurrit, et, iussu Principis, mulctatus est, vt quidam perscripsit. Sueones in eam *Theologiae* partem, quae de moribus inscribitur, sedulo incumbunt, atque inter eos hominum sermonibus celebrantur Paulinus Gothus, *Archiepiscopus*, Vinstrupius, Scaniae Antistes, Michael Guldenstolpius, Fennorum Doctor, Iosephus Matthiae, Fougdonius. Extat Io. Schefferi Suecia Litterata, quae digna est lectu, quamuis aliqui eruditorum Scheffero indignam sane gratiam retulerint, ambitionis, opinor, vitio, quod externa virtus Sueonibus stomachum moueat, si imitari non possint. Lambertus Velthusius auctor est dissertationis epistolicae, de principiis iusti et decori, quod ex eius ceteris operibus, licet, intelligamus. In Anglia, praeter ceteras artium doctrinas, grauiter tractarunt Sethus VVardus, Thomas Temson, ille etiam saepe castigauit Balduinum, Theologum nostra-

ſtratem, nec immerito, vt obſeruaui. Alibi florent Adrianus Houtuyn, Iacobus Batelerius, Guilielmus Blunberg. De ritibus officiiſque *Eccleſiae* Romanae, poſt Durantium, inprimis legatur Antonius Pinettus. In Gallia princeps eſt doctorum iuris Pontificii Baluzius, Colbertinae bibliothecae praefectus. In eo placet mihi Gallorum induſtria, quod *Eccleſiam* regi cupiunt eo imperii genere, quod vno plurium curam ſolicitudinemque expoſcit. Hoc ſolum quippe priſcis inſtitutis conuenit, *et ariſtocratia* deſignatur, quae tamen aliquid ex *democratia* addit. Imperium vnius optimum vtiliſſimumque reipublicae eſt, quia non melius celeriuſque conſilia et magnae res, quam vnius arbitrio, peraguntur, id quod experiendo diſcimus, ſi intuemur in Galliam, quae nunc maxime ſuperbit, quum cetera imperia diſcordiis labefactantur. XVI. Cal. Apr. A. cIↄ IↄCXXCV.

CCXXXIV.
ADAMO RECHENBERGIO,
P. P. Lipſ.

QVid de auctione futurum ſit, noli me celare, et fac, accipiam quartum volumen Hiſpaniae illuſtratae, cuius deſiderio teneor, nec dubito, quin eius licitandi facultatem ſis habiturus. De Pufendorfii ad-

uentu, intelligo, vanam eſſe ſpem, quae ceperat multorum animos, parumque aberat, quin ipſe crederem, niſi te mutandae opinionis auctorem habuiſſem. Meurſii *Gloſſarium*, vellem, veniſſet in tuas manus: crede mihi, vel eius cauſa ad te proficiſci voluiſſem. Quanquam Clariſſimo Graeuio non inuideo, ſi eius copiam fecerit patronus. Pleraque a me obſeruata ſunt, quae in edito exemplari non reperiuntur. Tanto magis cupiditas me inceſſit videndi codicem manu exaratum, ſi nanciſci poſſis. De hiſtoria, ab exceſſu Guſtaui Adolphi ſcripta, aliunde ad me perlatum eſt, quam videre aueo, vt de induſtria, fide et iudicio, auctoris exiſtimare poſſim. Obrechti defectio a ſacris noſtratibus me adeo perculit, vt ſtatim cohorreſcerem, cum de ea audirem. Rationes domeſticae, et emergendi occaſio, et ſpes honoris noui ac multo amplioris, ſub Rege Europae maximo conſequendi, imo et vlciſcendi inimicos Patris ardor, facile animum viri, ceteroquin compoſiti et eruditi, expugnarunt. De rebus *Proteſtantium* haud bene auguror, ſi Gallia ſemper hodiernis conſiliis, potentia et ſucceſſu armatis, regatur. Hiſpaniae Regis orbitas Auſtriae curas intendit, ſolicitoſque omnes finitimos habet. Quo rerum ſtatu Auſtria inducias panget cum bar-

barbaris, et militem expeditionibus duratum opponet, Batauique non patientur, totum, quod reliquum eſt, Belgium Hiſpanicum occupari. Brandenburgicus nihil contra audebit, neque tamen poſtulatis eius locus dabitur, heredem autem metus finitimorum admonet, vt patri mitiora perſuadeat, cuius ſane connubium deuinxit Principes, magnis viribus fretos, et Gallo exteriſque maxime formidatos. Vale. Vitembergae, V. Cal. Apr. A. cIↃ IↃCXXCV.

CCXXXV.
IOANNI GEORGIO BOERNERO.
IC. Conſiliario Pr. El. Sax.

FIdem obligaui mittendi muneris, quod ad Vernerum meo nomine curares, ſi petitioni meae locus daretur. Nunc ea res felicem exitum ſortita eſt, teneorque religione promiſſi, cupioque ſignificare gratum animum, cuius, quaeſo, interpres eris, et, niſi graue eſt, confirmabis, me ex interuallo plura gratae mentis pignora daturum. Te vero obteſtor, nihil ſecius de me exiſtimes, clientibuſque tuis adſcriptum, auctoritate et patrocinio tueri pergas, ſimul et magnifico Patrono me de mora purges, cui, vt par eſt, ſequenti hebdomade pietatis meae ratio conſtabit. Ego omnibus ſane votis expeto, vt omnes res

tuae

tuae fortunentur, ac tota adeo incluta familia tua floreat, et sua meritorum laude contra quosuis casus muniatur. Nobilissima soror Ziegleria bene habet, cui felicem Lucinam precor, vt tandem optimus et egregie merens maritus filio augeatur. Haec spes nostra, haec vota sunt, in quibus multum familiae est situm. Vale. Vitembergae III. Cal. Apr. clɔ Iɔ CXXCV.

CCXXXVI.
IOANNI GEORGIO GRAEVIO.
Polyhistori Vltraiectino.

AD vos ire constituit Rosteuscherus, Stolbergii, cum viueret, auditor, et Graecarum perstudiosus litterarum. Eo minus dubito, quin hominem compositi moris admittas, cuius pater litteras Graecas docet, et Gedani operam locat. Magliabechius Florentiae commotus est, nescio, ob quam disputationem apud nos a Tenzelio habitam, de disciplina Arcani inscriptam, qua Schelstratium oppugnauit. Inde sibi metuit vir optimus, ob litterarum commercium, quod inter nos est, suspectus. At hoc ad litteras elegantiores et historiam spectat, de *Theologorum* controuersiis non laboro. Audiui, te manu exarati *Glossarii* Meursiani participem fore, quod, fac, quamprimum tua cura edatur. Ego, si quid

quid officii et operae tibi hic nauare poſſim, libenti animo polliceor, et tibi me ſpondeo obſeruantiſſimum fore. De verbo ἀπάγχομαι quid molitur Gronouius? Ego pro hac cauſa etiam apud optimos Graecos praeſidium inueni. Sed haec tibi, neque me litibus immiſceo, neque arbitrum interpono, calumnias deteſtor, tuum certe iudicium poſco. Vale. Cal. Apr. cIↃ IↃ CXXCV, feſtinanter.

CCXXXVII.

IOANNI GEORGIO ORTHIO,

IC. Patricio Francofurtenſi.

SCripti ad te curandi ſaepe quidem conſilium cepi, ſed, quia ſubueritus ſum, ne id fraudi periculoque mihi eſſet, differendum putaui; non ira et odio, ſed, quia metus prudentiaeque ratio id ſuadere mihi videbatur. Multa in itinere, inter tot moleſtias ſtrepituſque hominum, excidunt, quae formam accuratioris ſcripti non ſeruant, multa rumoribus potius, quam certis rerum auctoribus, colliguntur. Haec vero limam deſiderant, et, rectene ſe habeant, cognoſci probarique debent, ne idem mihi eueniat, quod pleriſque iudicii expertibus, qui ſola fama et vulgi ſermonibus nituntur. Ego me non difficilem praebeo, et inſeruiendi occaſionem exſpecto, tantum abs te peto, ne ſto-

tinent, me destituant, tum votis id consequi me posse, spero, vt eodem felicitatis cursu dignitatis possessionem constanter teneas, et patriae rationes constituas pariter, et conficias, et consilia, litteras, leges, sapientissime deinceps quoque modereris. Omnia mea honori tuo seruiunt, et id ingenue profiteor, quia debeo plus, quam profiteri et polliceri possum, sola gratiarum actio non absoluit clientis munus, multo minus liberat debitorem. Confundor, nec intelligo, quemadmodum me expediam, tantum opto, Deumque rogo, meam clientis causam suscipiat, et omnia, quae ex vsu tuo, quaeque ex dignitate inclutae familiae sunt, perpetuo largiatur. Quod ceteroquin de patriae rebus, et amplissimis eius sacerdotiis, quae recepto vocabulo *Episcopatus* dicuntur, pro grauitate tua, censuisti, captum meum excedunt, et summo tuo iudicio a me relinquuntur. Recordor autem hic familiaris tui sermonis, quo me, cum Dresenae essem, docebas, explicatasque origines reddebas, tam apte et expedite, vt nemo melius posset. Ego tamen memor dictorum, aliquid experiar, stilo simplici et incomto, atque ad res graues reddendas accommodato. Misnia Eckhardo I. ab Ottone III. Imp. iure beneficiario attributa est, cum *dominio* et *superiorita-*

rita:

ritate vniuerſali in territorium Marchiae competente, eo modo, quo tenebatur antea ab Auguſtis Saxonibus, qui nihil excepe- runt, quia, ſaec. XI. et XII. *Marchiones* ad comitia Imperii vocatos, lego, Antiſtites et *Epiſcopos* Miſnenſes nunquam. Sequioribus autem ſaeculis aliquando inuitati ſunt, quod errore factum eſt, vnde Praeſules aſſerendae libertatis et *immedietatis* occaſionem ceperunt. Sed hoc nihil probat, nec vitioſae tabulae, ſiue *matriculae*, pondus habent, in quibus multae et prouinciales vrbes deſcriptae ſaepe reperiuntur, Miſnia ingenua, ſiue exempla, cur nominetur, cauſa ratioque aperta eſt, illam immunitatem de iuriſdictione *metropolitana* intelligi, neque extendi poſſe ad iuriſdictionem ſaecularem, *Electori* Saxoniae, tanquam *Marchioni* et Principi Miſnenſi, competentem. Tum vniuerſa Miſnia Daleminciis, Serbis et vicinis populis Vendicis, tanquam *vſurpatoribus* et iniuſtis inuaſoribus ab Auguſtis Saxonibus, a ſylua Hercynia ad ſuperiorem Albis ripam progreſſis, iure belli erepta, et in *patrimonium* territoriale conflata eſt, ſalua ſupremo iure, ad Imperatores pertinente. Hoc modo deuoluta eſt conceſſione *feudali* et vtili dominio perpetuo ab Ottone III. ad Eckhardum I, et, huius filio, Eckhardo II, ſine liberis mortuo, ab Henrico

rico IV. ad Timonem ſtirpis VVethinenſis, et poſtremo a Lothario II, Saxone Supplinburgio, ad Conradum M. Timonis filium, delata et deuoluta. *Epiſcopi*, motibus turbiſque contra Henricum IV. excitatis, magis ſe efferre, necdum aperte pro Imperii Principibus ſe gerere, coeperunt, donec Principes ſaeculares Pontificis tyrannidi concederent, cum, Imperatoribus parci, non viderent, maxime XIII. ſaeculo, vbi bella ciuilia et ignorantiae labes vniuerſam prope Germaniam oppreſſerunt. Laudandi autem *Electores* et Duces Saxoniae, iidemque Principes Miſniae et Thuringiae, qui, ſaeculo XIV et XV, Pontificum *Monarchiae* conatibuſque nimiis ſtrenue reſtiterunt, et grauamina, quae vocant, oppoſuerunt atque ingeminarunt, et tandem, ſaeculo XVI, ſe in veram veteremque libertatem vindicarunt. Ita te Deus ſeruet, et omnibus tuis longe vtiliſſimis conſiliis faueat, ac cuncta ex animi ſententia ire patiatur. Vitembergae, cIↄ IↄCXXCV.

CCXXXIX.

PRAESIDI ET ASSESSORIBVS SENATVS ECCLESIASTICI ARNSTADIO-SCHVVARZBVRGICI.

VEnit mihi in mentem ſubuereri, ne

hanc ſcribendi fiduciam in vitio ponatis, niſi humanitas veſtra non mediocriter me erigeret et confirmaret. Duxi autem, hanc operam nauandam eſſe ciui veſtro *Ioanni Laurentio Staubero*, cuius amori permultum tribuo, quod pie et honeſte, et, quae rara iuuenum virtus eſt, prudenter, hic vixit, ac maxime D. Ziegleri beneficio ſuſtentatus, in meo nobiliſſimorumque hominum conſpectu acceſſit ad menſam et diſceſſit. Omnibus, fateor, eius modeſtia perſpecta probataque eſt, nec quicquam in eo deſiderauit hoſpes, acerrimus ingeniorum cenſor. Nunc, vbi res tenuis abitus neceſſitatem ei imponit, ſarcinulas componit, et, veſtri exſpectatione patrocinii fretus, reuertitur, quem non tam meo et Ziegleri nomine, quam virtutis pietatiſque cauſa, tuendum ſuſcipietis. Ego, ſi quid de me polliceri habeo, efficiam, vt obſeruantia et ſtudio in vos ſummo nemini concedam. Ita vos Immortale Numen patriae ſaluos et incolumes ſeruet, fortunatoſque praeſtet. Vitembergae, Non. April. A. cIↄ Iↄ CXXCV.

CCXL.

IOANNI HENRICO BERGERO, IC.

CVi plus, quam tibi, debeam, video neminem, praeſertim, cum Iacobaeis neceſſitudinibus Dei prouidentia et virtus te con-

oniunxerint, quas sic aestimo, vt paternas
on magis possim. Vere gaudeo, et simul
bi gratulor, hanc laudis felicitatisque ma-
eriam tibi esse seruatam, vt virtus, quae si-
e Procerum patrocinio obscura impedita-
ue est, multo insignior noui splendoris ac-
essione fiat. Doctrina iuris summa, et di-
igentia incredibilis, nomen tuum a vulgo
listinguunt, segetemque gloriae in dies ma-
orem promittunt. Quare meum in te stu-
dium nec obscure, et sincere, testor, et cu-
pio, vt nulla tempestas de huius laudis pos-
sessione te dimoueat, cuius sane fructus est
amplissimus, decus immortale et sempiter-
num. Optarem, si id commodo tuo fieri
posset, Lipsiam cum vrbe nostra commuta-
res, sponsione cum quouis certarem, id si
expetas, perfacile factu esse, quando pro-
fessio Martini vacat. Lipsia quidem splen-
dore tenet oculos, sed Vitemberga omnes
Iureconsulti partes, munia, honores, uno
professoris nomine tituloque coniungit.
Erit hoc in tuo voto, et arbitrio summi pa-
troni, soceri tui, positum. Vale, et copias
ingenii, quibus abundas, explica feliciter,
et diu feliciterque nostram et patriae exspe-
ctationem sustine ac vince. VII Id. April.
A. cIↄ IↄCXXCV.

CCXLI.

ADAMO RECHENBERGIO,

P. P. Lipſ.

QVod, pro tuo in me animo, ſuſcepiſti officium, ſumma ratione et prudentia abs te confectum eſt, nec verbis explicare poſſum, quid eo nomine tibi debeatur. Conditionem libens accipio, quam de auferendo Gobelini libro tuliſti. Eum iam dudum poſſideo, nec mitti cupio, et per omnia in voluntate tua acquieſco. Pecuniam auriga tranſportat, cuius fidei eam commiſi. Si quid ceteroquin habeas, quod monendum exiſtimes, tuo iure facias, ego totum me ad voluntatem, immo arbitrium tuum compono, nullam referendae gratiae occaſionem praetermiſſurus. Vale, et beneuolentiam, tam luculento amicitiae documento teſtatam, ſerua, et honori commodoque Academiae quam diutiſſime ſuperſtes age. Vitembergae, VI Id. April. A. clↄ. Iↄ CXXCV.

CCXLII.

DECANO.

Cum de Salluſtio praefatus ſolemnia ritus petitionis perageret.

ASſentior tibi, et laudis Salluſtianae vindici gratulor, optoque, vt abſurdae opiniones indoctorum hominum abs te apte con-

uellantur, calumniaeque diſſentientium
ngantur. Quod reliquum eſt, iuuenes no-
na profeſſos intromitti cupio, dignoſque
:o, qui cauſam agant ſuam, nec repulſi ab-
it, et ſpe fiduciaque conſequendi hono-
dimittantur.

CCXLIII.
FRIDERICO VVEIDLICHIO.

Aepe fluctuanti ſimilis, tandem cepiſti
nimum, patrumque ſuffragio muniiſti
n ad capeſſendos honores, quos ſapien-
praeſides hic dilargiuntur. Illos vero,
nerito tibi decretos, iure gratulor, et fe-
s adeo fortunatoſque eſſe cupio, et, quod
caput eſt, Deum, religionis ſapientiae-
ſtatorem, quanta maxima poſſum, reli-
e veneror, hanc litterarum ſedem ſeruet
is, domiciliumque recens dedicatum,
d poſt hominum memoriam hic non
venit, benigne tueatur. Feſtinantiſſi-
ex muſeo Cal. Mai. cIↃ IↃCXXCV.

CCXLIV.
OANNI GEORGIO ORTHIO, IC.
Heidelbergam.

Ecuniam nundinis, quae in autumnum
incidunt, proximis, Schumacherus affert,
aliter inter nos conuentum eſt, nec iu-
eneor ſoluendi. Faciam tamen, vt in-

 telli-

telligas, me abs te non esse alieniorem, sed immo semper gratum fore, si tu, aut quispiam alius, tuo nomine, apud nos versetur. Res familiae afflictas doleo, et, caussam nondum Spirae iudicatam esse et victam pro eo, ac par est, acerbe fero. Tibi autem decretam meliori fortuna prouinciam gratulor, et cupio, vt incrementa honoris capias, magisque prouehare. Ipse satis, me tacente, vides, quantum periculi patriae finibus impendeat, et quibus fatis vrgeatur. Ego his rebus inductus sum, vt Saxonia excedere verear, et manendi consilium capiam, propterea, quod Potentissimo Principi Saxonum sic rationes meae superiori mense probatae sunt, vt me accessione fortunarum augeret, et Stolbergii, nuper defuncti, munere simul ornaret. Rem librariam magno impendio amplificaui, quae difficultas obstitit, quo minus statim, quod in optatis erat, curarem. Partem *Hodoeporici* cuidam Francofurtum tendenti tradere volui, reliquam cum pecunia adsportabit Schumacherus, cuius non suspecta est fides. Nactus sum Codices manu exaratos Gallicos, rariores plerosque, quorum, si hic esses, copiam facerem libens. Iis totus Galliae status continetur, sed mihi tempero, quo minus exeant atque emanent in vulgus. Tibi, crede, omnia paterent, expositaque essent, nisi

i tam ingenti locorum ſpatio diſiunge-
nur. Cauto opus eſt, et exempla in pro-
ıquo te monent, multa ſciri, pauca ſcri-
oportere, hoc tam ancipiti et calamitoſo
ıo. Ea de cauſa haec omnia induxi, quae
nu mea ad oram ſcripta ſunt, ne auctori
iculum crearent. Varia rerum huma-
n ſcena eſt, et multos ludit ac decipit,
uſquam experiantur. Plus nunc pru-
ıtiae, quam eruditioni, debetur: Vtra-
e valet, ſed haec caligo eſt, niſi illa prae-
at lumen. Tu, quaeſo, mihi faueas, et
ram patienter feras. Vitembergae, Id.
i. A. clɔ Iɔ CXXCV.

CCXLV.

)AMO CHRISTOPHORO IACOBI,
IC. et Saxonis EL. Conſiliario.

NVlla, fateor, morae excuſatione me de-
fendere poſſum, nec ſine cauſa iam ſub
eor, ne ingrati crimine me arguas, qui
ı diu, quamuis reſpondere iuſſus, conti-
cam. Haud ſcio, an quid vnquam gra-
s admiſerim, niſi quod, aequitatis tuae
duci me, ſentio, et compertum habeo,
dem ignoſcendi vel maxime tibi eſſe re-
quendam. Diſtinebar occupationibus
ıminum, et auſpicio nouae profeſſionis,
us ſpecimen mitto, induſtriam, quanto
ſum, conatu probaturus. Adnitar, vt

tuae in primis exſpectationi ſatiſfaciam, et ornandas ſuſcipiam litteras, quae abs te aeſtimantur iuxta, et fouentur. Quod inſigne tuum patrocinium mandaui litteris, et, pro eo, ac par eſt, laudandum duxi, praeſertim in epiſtola Exercitationibus Stolbergianis praemiſſa, quae hoc menſe exiit in lucem. Conſultiſſimo generi tuo gratulor prouinciam, et opto, vt bene feliciterque agat has partes, et doctrina meritiſque hic floreat, laudeſque, nullo impediente, diffundat. Hoc ſi votis aſſequor, et te ſimul incolumem intelligo, felicem me putabo, optimeque mecum agi, exiſtimabo. Seruet te cum incluta gente Deus, et hoc ſupplicanti largiatur, vt nihil tibi, niſi quod expetis, eueniat, et familia tua per omnia ſaecula atque aetates duret. IV. Cal. Iun. A. cIɔ Iɔ CXXCV.

P.S. Quae mandaſti, proxima die Veneris curabo. Caroli Electoris Palatini mors inſignem obnunciat conuerſionem. De Hiſpano nihil laetius breui audiemus. Libertas Germaniae, religio *Proteſtantium* adfligetur magis et magis. Deus meliora preſſis!

CCXLVI.

CCXLVI.

ADAMO RECHENBERGIO,

Prof. Publ. Lipsiensi.

EXpedio me tandem ab occupationibus, et redeo ad officium, et praedico li-
is tuum in me aequissimum animum, ac
de peto, eum mihi non immutatum ser-
: Magnam abs te inii gratiam, et, quae
lui, tuo studio operaque impetraui, et
mum *Monarchiae* Hispanicae librum
tus sum, cuius potiundi spes me iam pri-
n deficiebat. Non id animo meo exci-
officium, sed illud me grauiter tangit,
od nondum pactis steti, et Gobelinum
ı remisi. Nolim exscindi librum, ne foe-
ur, rumpaturque compages. Meierus au-
ı recepit, se curaturum Francofurto ex-
olar, quod nondum sit compactum. Si
c mora tibi grauis sit, protinus eximen-
n curabo. De sententia Nobilissimi
ilandi quod aperuisti, gratulor mihi ho-
ificum illud iudicium, nec diffiteor, me
mptum paratumque futurum fuisse ad
iendam prouinciam, nisi, nouo benefi-
auctus, religione quadam animi inhibe-
De quo in posterum plura. In prae-
; abs te peto, Scherlogi Antiquitates et
ıersaria Cerdae, pro me licitari ne gra-
is. De reliquis, quae ibi sunt, non la-

 bo-

boro. Vale, et vtilitati meae faue Cal. Iun. A. cIↄ IↄCXXCV.

CCXLVII.
ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI.
IC. et Saxonis EL. Consiliario.

SVmmam nominis tui dignitatem amo iuxta, et veneror, et ingrati crimen subterfugere studeo, nullam tamen meritorum tuorum partem assequor, etsi par est, relinqui aliquod pietatis et obseruantiae meae argumentum. De Sagittario recte pronuncias, virum esse apprime diligentem, et in rebus Thuringicis gnauiter elaborare: vellem tamen humanitatis et *Pragmatiae* illius, quod leges artis requirunt, subsidia plura et selectiora sibi comparasset. Multa, fateor, Chronica sibi comparauit, quae fortuna ipsi obtulit, pleraque a vicinis sacerdotibus nactus est, aliqua etiam ex aula Gothana accepit. Proxime Lipsiam commeauit, constituitque venire ad nos, nisi eum nuncius de vxoris morbo allatus reuocasset. Audiui, de plerisque mecum voluisse communicare, neque ei vllum denego officium, praesertim in communi causa, ad ius dignitatemque Saxoniae stirpis attinente. Ego autem nunc occasione vtar, et, ne nescias, Patrone, cum VVerthero, iuniore, VViehani Thuringiae petam, et, nisi impedi-

ar, Ienam uſque excurram, praeſens, quae
ntiam, dicturus, et quid edere inſtituat,
ıriter auditurus. Haud, opinor, abnues,
ıia iam per ferias haec opportunitas mihi
fertur. Illud autem fundamentum toti
ɔeri ſubſtruendum, omnes Saxoniae no-
ratis *Epiſcopatus*, poſt conditam ab Hen-
co Aucupe *Marchiam* Miſnenſem, ab Ot-
ne M. eius filio, repetere originem ſuam.
is auſpiciis ſurrexiſſe, et ſub ditione im-
erioque Principum ſolemni Caeſarum be-
eficio, fuiſſe iure primorum acquirentium
eorum territoria deſcriptos hac lege, et
ıaſi diuino conſilio, ad VVethinenſes per-
eniſſe hoc rerum ſtatu ſemper, etiam Prae-
lum Romanorum temporibus, manſiſſe,
eo, vt Thuringiae Principes publice, an-
Lutherum, Pontifici in parte iuris ſui
pugnarint, et aperte reclamarint. Hinc
u latere odium, et cum auaritiae ambi-
ɔniſque modum non faceret Pontifex,
iſcere ſenſim, et Luthero pro veritate re-
gionis adnitente, magis excitari, coepit,
ıod, res, fortunas, iura peti viderent, et,
m *Eccleſia* rem publicam explicari, intel-
gerent ſatis. Ipſi Carolo V. graues erant
ſtitutae paſſim nundinationes, nec iudi-
ɔ et ratione ciuili regebatur Leo X. cum
tia Romanae aulae *clerique* non emenda-
t. Sed quorſum delabor? Saxones ſem-
per

per *Episcopos* pro territorii principibus habuerunt, ex quo territorium hoc tractumque, *Marchiae* Misnensis nomine insignitum, tenuerunt. Ceterum Deus omnibus rebus integrum in columemque, cum illustri familia, te seruet, et nobilissimum generum feliciter venire iubeat, cuius fidei et amicitiae totum me permitto. Vale Vitembergae. Non. Iun. cIↄ Iↄ CXXCX,

CCXLVIII.

OTTONI MENCKENIO,

P. P. Lips.

GRatulatio tua per mihi iucunda accidit, et optatis meis prorsus fortuna respondit etsi non tam mea in hoc litterarum genere merita, quam res tenues istam, sane nouam luculentamque, accessionem postulare videbantur. Tibi eo magis bene cupio, sincereque applaudo, et, vt amici tui litteratorumque omnium exspectationem perpetuo sustineas, maximopere volo. Nescio, qua obliuione tua factum sit, vt supplementum non submitteres vestratium Actorum. Nunc eo supplemento auctus sum, nisi quod desidero superioris anni Octobrem, Nouembrem et Decembrem, huius item anni Ianuarium expeto. Ignosce audaciae, quam exprimit tua liberalitas, quae tanta est, vt, omnia me assequi posse, intelligam.

ım. Quid cum Magliabechio actum fue-
ignoro. Insidiantur ei multi, et, nisi
or, in suspicionem religionis haud sin-
ae vocant. Omnium maxime iniquio-
ı Schelstratii animum expertus est,
ım vicem eius doleo, sed laetor magno-
e, quod scio Magni Ducis praesidio eum
. Parua scintilla cuiusdam disputatio-
Tenzelianae, a me, cum prohiberi non
set, probatae, excitauit incendium, et
entiam vsque traiecit. Nam homo iste,
tis impatiens, per lites et iurgia emer-
statutum habuit, sed, opinione falsus,
intelligit, consilium praeceps cum pro-
a fortuna non coniungi. De Anglia
futurum sit, scire aueo nec spero, fore,
ısula spe libertatis tuendae cadat. Ar-
s sinistro Marte pugnauit, et captus
An resistendo sit Monmouthius, bre-
ocebit euentus. Bantifex et Gallus
ıs ibi optant et quaerunt, alter religio-
suam, alter regni, si bello ciuili concu-
r, infirmitatem. Putaui interea secure
ım captabunt. Vngariae apparatus
, nisi simulacra, sunt. Gallus vtique
lio et pecunia dominatur. Vale, Id.
ctil. clɔ Iɔ CXXCV.

CCXLIX.

CCXLIX.
MIRENIO.

GRauiter fero moram, etiam multos menſes exſpecto, quod miſſurum te receperas argentum. Ne vero vlla conſilii mei pars deinde tibi ignota ſit, efficiam, vt intelligas, res meas mihi curae eſſe. Id quorſum pertineat, ex labore cognoſces. Vale, et nominis dignitati conſule, promiſſorumque religionem ſerua.

CCL.
CAROLO L. B. A FRISEN.

OPportunam et idoneam ſcribendi occaſionem nanciſci mihi videor, quod Iuſtinum hic meo hortatu recudendum ſumit bibliopola noſter, antiquiſſimum eundem, ſanctiſſimumque inter Graecos Doctores. Negotium corrigendi datum eſt, VVintero, cura mendoſarum lectionum ad me pertinebit. Spero, Domine, conatum hunc tibi probatum iri. Stolbergii de *Soloeciſmis* opuſculum, iam viuo auctore coeptum, et, mortuo nuper, abſolutum eſt, quod praefatione ornandum cenſui, in qua de tua et illuſtriſſimi ſoceri laude commemoraui, vel eo praeſertim nomine, quod vterque Graecas litteras curae cordique vobis eſſe patiamini. In Anglia res Monmouthii ſunt conuerſae. Vterque regni

ni Senatus fide et obſequio erga Regem
ɔnſtans eſt, comitiorum decreto omnia
cobo ex animi ſententia ſucceſſerunt.
[artens ſacerdos emendati coetus, qui
ondini eſt, tibi, Domine, ſe, qua decet,
etate, commendat. Ego, qui ſciam te
ɔn diſcedere a priſtina conſuetudine,
·o, vt par eſt, obſeruantiſſime, ve-
; quod tu vnus maxime potes, Ziegram,
niorem, Ordinis noſtri Adſcriptum, tu-
ıdum ornandumque ſuſcipere, et, ſicut
ːtit, Franckenbergenſe ſacerdotium elar-
ri. Faciet ille, quod clienti conuenit,
pro ſalute tua omnique felicitate, votis
ıpetranda, omnes neruos contendet. Ita
ːus te, Domine, ab omni pernicie tutum
triae et ſaeculo praeſtet! XVI. Cal. Sex-
. clɔ lɔCXXCV.

CCLI.

OANNI CHRISTOPHORO BERG-MANNO IC.

Ratulor tibi de conatu egregio, merce-
dem laboris ſpondeo, ſed, pro mea
ıicitia, cupio, vt abſtineas ab argumento
riculi pleno praeſertim his temporibus,
ae veritatem non ferunt. Non conue-
inter Principes, nec oleum igni adden-
m eſt, lites finium et certamina dome-
a accendi, nolim. Vſu rerum hoc di-
dici,

dici, et ideo te admonendum putaui, quia fata vrgent patriam, et prope interitum minantur. Germani sequimur Graecos, et collidimur singuli, vt euertamur vniuersi. Malim, stilum in Gallos vertas, et iura in Alsatiae vrbes defendas, inter quas Argentoratum, in vrbe regnum et communis libertatis propugnaculum amisimus. In Vngaria nostri meliora sperant, Neuhuselii deditio breui exaudietur. In Anglia Monmouthius, seditionis auctor, victus, captus et supplicio affectus est. *Protestantes* vbique adfliguntur. Vale, et feliciter rem gere. XV. Calend. Sext. A. cIↄ Iↄ CXXCV.

CCLII.
ADAMO RECHENBERGIO,
P. P. Lips.

DOleo conditionem meam, quod neque diu tecum esse liceret, cum transirem, neque satis probare officium possem, cum festinanter salutarem. Erubesco magis, quod moram corrigere non possum, quam Ordo iuridicus, aliis impeditus, interponit. Excusari se petit Zieglerus, et, proxima die Mercurii omnia confecta habiturum, adfirmat. De Actis, per illustrem Pufendorfium submissis, postulo Iureconsultos, qui moram ipsi purgabunt, et dicent ingenue, se

prius de iis cognoſcere non potuiſſe. odie, ab hora x, Zieglerus, per famulum chiberi iuſſit, et pretium indicauit, quod, nulac menſam adiero, perſoluam. Saepe ım appellaui, appellando inſtiti, et tanm non inuerecunde obſecraui, at, excu:i ſe petiit, et neceſſitatem, contra quam ctari non poſſit, obtendit. Ego autem ius reſpondere nolui, quam totum, quod ihi curandum mandaueras, negotium per- eretur. De Gobelino, faciam,ne tua ſpes ıſtretur. Scholiaſten Euripidis, niſi gra: eſt, exſpecto. Fraudare te nolim meori exemplo, ſed Baſileenſi iſto forſan care queas, non magno incommodo tuo. uli Stephani editio melior cumulatiorıe mihi videtur. De Scherlogi Antiqui:ibus non admodum laboro. Plus, ſi recte equor, promittit, quam praeſtat. Menenio, Fellero, cariſſimis mihi nominibus, utem dicas. Ad extremum commendo ɔi Conradum Adamum VVinckelmanım, virum doctum et probum, non aliter meum, fide et officio cognitum ſatis. eglerus te ſalutat, iterumque ſe excuſat. ıle, XIV. Cal. Sext. A. clɔ lɔCXXCV.

CCLIII.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,
IC. Dresd. et Saxonis EL. Consil.

Rediit filius tuus, et vitam recte instituit, iamque veteres istas, quae primum venienti obstabant, difficultates feliciter vicit. Mecum est familiariter, et, praeter Zieglerum, gener tuus, exquisitissimi vir ingenii, de eo prorsus bene sperant. Primo quidem, nec id improbo, humanioribus litteris se tradit, tum Geographiam, et Historiam imperiorum, me duce, audit diligenterque pertractat. Mores varios perauspicato mutauit, et iis finibus, quos ratio modestiae praescribit, se continere tandem coepit. Opto, haec ei mens perpetua sit, vt Patri, meritis maximo, et Affinibus, summa dignitate praeditis, satisfaciat, et locum natalibus dignum, quo par est, modo tueatur. Eximiam sane eius indolem amo, et pro ipso, quoad possum, annitor, cupioque, ut tui quam similimus euadat. Hoc autem a Deo Immortali opto, cui omnes operarum consiliorumque rationes constant, et acceptae referuntur. De Neuheusela, per vim capta, non Caesari magis, quam Christiano orbi, gratulor. sacra nostratium Deo curae erunt. Quod reliquum est, id vnum praecipue in votis habeo, vt bene valeas, et

pru-

prudentia tua patriae rebus consulas, et inprimis Academiae, quae te suscipit maxime, faueas auxiliumque impertiaris. De incendio Dresenae veteris sum perculsus. Deus respiciat afflictos et miseros, ad quos damnum immane pertinet, casusque funestos a tectis et domiciliis vestris auertat. Gener tuus Bergerus summo cum applausu, auspicii caussa, disputauit. XI. Cal. Sept. clↄ Iↄ CXXCV.

CCLIV.
GEISLERO.

MAgna calamitas peruenit ad humanissimum virum, Christophorum Geislerum, in vrbe veteris Dresenae hucusque commoratum, cuius fortunae omnes incendio consumptae sunt, adeo vt nullum, praeterquam in Dei et hominum benignitate, subsidium habere videatur. Vestra autem refert, ciues, vt viro afflictissimo, non suis deinde, sed alienis, opibus sustentando perliberaliter subueniatis. Quod vt fieri par est, sic dubitare non licet, quin coelesti beneficio, quod erogatis, quam cumulatissime recipiatis.

CCLV.
IOANNI CHRISTIANO, L. B. A. VVERTHERN.

SPeraui quidem, fore, vt gratulatione pie-

tatis meae partes absoluerem, et laeto obseruantiae genere animum testarer, sed, quod praeter meam sententiam accidit, doloris explicandi caussam attulit obitus generosi filii minoris, quod vt alios, sic me clientem tuum haud mediocri sane luctu confudit. Quare Numen, pro eo, ac par est, pie rogo et oro, arceat ab illustrissima gente tua funestos casus et virtuti, quae in magno fastigio nomen tuum posuit, fausta fortunataque omnia concedat. Eo magis dolorem tuum lenies, et, Deo res tuas curae esse, intelliges, qui saepe humana consilia dolore temperat, vt gaudia deinde maiora excitentur. Tum vero expertus sum, maiori natu filio eam esse mentem, quae non vulgarem ipsi laudem afferat, et summum stirpi decus promittat. Cuius ornandi voluntas nunquam mihi deerit, quod sciam, omnem domus tuae spem in eo esse sitam. Tanto promptius tibi morem gero, et perquiro doctum hominem, qui instituendi prouinciam capiat, nec minus de gente tua, quam de patria vniuersa, bene mereatur. Spatium vero huius rei apte conficiendae abs te peto, nec dubito, quin primo quoque tempore idoneum et moratum quempiam nanciscar. Quod reliquum est, nihil prius in votis habeo, quam, vt cum illustrissima domo tua diutissime floreas, et

im-

immortali cum laude prudentiam in luce Germaniae, et summis patriae consiliis, saluus sospesque ostendas. Ita te Deus Principi, clientibus, atque inter hos mihi, seruet. V. Cal. Sept. A. clↄ Iↄ CXXCV.

CCLVI.
ADAMO LVDOVICO L. B. A VVERTHERN.

ADhuc summam comitatem, et magna tua in me collata beneficia quorum numerum inire non possum, memoria teneo, atque omnibus modis cupio, vt tu, Domine, firma deinde valetudine vtaris. Idem optat mecum Consultissimus Zieglerus, qui crebris sermonibus de statu et conditione ua sciscitatur, et vterque nostrum iure ar-ıitratur, magnam nostrae felicitatis partem ua et agnatorum salute contineri. De enerofo filio non est quod metuas: iam es confecta est, et modica etiam mulcta peitus expiata. Simulac ea causa feruebat, ospes atque ego, vt par erat, nos interpo-imus, Senatu Academico non admodum nitente. Res, quoad recordor, ita gesta t. Filius acerbiori verbo a conuictore ensus, per honoris rationem sibi tempe-e non potuit, quin ei alapam infringe- : hic iniuria affectum se ratus, ad con-tum locum certaminis ineundi causa in-

uitauit. Non abnuit filius, nec recusauit duellum, et cum aduersario congressus, e certamine saluus euasit. Forte autem per id tempus, cum ense lis transigeretur, praeteriit quidam Academicus, homo rimarum plenus, qui Prorectori Mayero protinus indicauit. Submonui filium, caueret has rixandi occasiones, quod facturum se recepit, ac bene me sperare iussit. Interea hic in pristino industriae curriculo pergit, et vna mecum optat a Deo Immortali, vt prosperam valetudinem et omnia fortunae beneficia tibi largiatur. Pridie Cal. cIↃ IↃCXXCV.

CCLVII.
CASPARI SAGITTARIO,
P. P. Ienensi.

QVanto me dolore affecerit coniugis tuae obitus, verbis exprimere non possum. Fuit enim matrona, dignitate nascendi sexusque ornamentis eximia, et omnibus partibus, quibus elegantioris vitae ratio continetur, maxime insignis. Iactura autem haec tibi grauior est, quod, cum viueret, plurima tibi fortunarum adiumenta suppeditarit. Non ignoras, quid in proba et prudenti coniuge situm sit, si rationes domesticas subducis. Volo igitur, dolorem istum tempestiue lenias et de hoc damno, in posterum sarciendo, bene speres.

Mul-

Mullerus, conuictor tuus, excitatiſſimi ingenii iuuenis, ſine dubio meum in te animum confirmabit. Illud autem valde ſolicitum me habet, quemadmodum Egerlandus ad diſſoluendum aes alienum adigatur. Dudum Vitemberga exceſſit, et Praeſidi, cuius auſpicio diſputauit, nihil ſoluit, res ibi miſera, ſpes nihilo melior affulget. Rumor eſt, modico temporis ſpatio reditu-rum, quod ſi fiat, faciam, vt manus ei iniiciatur. Alioquin tibi opem promittere non poſſum, niſi res deferatur ad aulam. Ipſe, malo meo, didici, quam difficile ſit, exigere nomina, et compellere ad ſoluendum debitores. Fauet tibi Academia, et cauſa tua angitur, ſed viam rationemque explica, qua tibi ſubueniat: Abſentem in ius vocare moleſtum, opinor, negotium erit. Affinis ipſius, iam tendit Lubecam, parum ſupereſſe innuens, vnde creditoribus ſatiſſiat, ſpem tamen facit pecuniae tardius reddendae. Atque hi ſunt ingratorum mores hominum, a priſca fide deficientium. Semper tamen omni ſtudio pro te annitar, et in omni officiorum genere me promtum paratumque exhibebo, non immemor futurus prolixiſſimi affectus, quem es Ienae teſtatus. Quaeſo ſubducas te grauioribus negotiis, et, amici cauſa, in

visas. Deus te seruet! IV. Cal. Sept. A. cIↄ Iↄ CXXCV.

CCLVIII.
MATTHIAE BRANDIO,
Sonderburgo Holsato.

EXcelsum et sublime fastigium est, in quo Reges positi magna terrarum orbis imperia gerunt, et suo atque summo arbitrio res humanas moderantur. De quorum potestate potius tacere, quam scire, liceat, nisi facultate sciendi modeste, et, quatenus ciuis officio congruit, vtamur. Nihil vero te prohibet, quo minus de pleno summoque Regum imperio, innoxia libertate, disseras, atque insiti iuris disciplinam testimoniis sapientum, et suffragiis populorum, confirmes. Vnus inter omnes prudentissimus Maecenas rationes in hanc sententiam multo grauissimas attulit, quae pro summa et regia potestate valent. In quo genere facile princeps fuit Imperator Antoninus, et, idoneis ac repetitis ex philosophia ciuili argumentis, grauiter et copiose disserens, egregiam sane operam collocauit. Vtrosque imitando consequens, et ingenii tui vim, doctrinaeque copiam in luce ponis, atque in conspectu omnium maxima cum laude, et successu felicissimo ostendis. Nec alia otii ratio tibi constat, quam,

quam, quae fugit illecebras, ac resistit voluptatibus, animumque remittit aliquando ac recreat, sed non deprimit et frangit. Pauci sciunt, vbi opes copiaeque litterarum reconditae sint, sed tibi nihil est arduum, nihil tam difficile et asperum, quin exitum inuenias et eluceris. Tum in eo quoque a vulgo te seiungis, quod non modo ex praeceptis et doctrinae regulis, sed etiam ex optimis quibusque monimentis, et omnis aeui annalibus, sapientiae riuulos elicis, quorum fontes multi obstructos cupiunt, vt in speciem et dicis causa sapere videantur. In Platone, Aristotele, Epicteto, Porphyrio, Hierocle, Iamblichio, sic versatus es, vt simul cetera doctrinarum ornamenta coniungeres, et instituti constantia, ac moris amoenitate omnibus placeres. Non minor dicendi facultas tibi contigit, quam labore et industria consecutus demonstras, et suauitatem Caesaris, ac vbertatem Liuii, Sallustiique grauitatem, et quum expedit, Curtii acumen, non repugnante ingenio, et expedite imitaris. De vitae morumque sanctitate nihil addo, et humanitatem modestiamque probo, ac omnia consilia bene tibi cadere cupio, quorum ratio in eo posita est, vt, cum decus studiis, tum splendor reipublicae, accedat demum volo, vt magnorum altrix virorum regio,

quam nascendi sorte colis et suspicis, te reuersum libenter excipiat, ac benigne complectatur. Vitembergae Saxonum III. Cal. Sept. A. clɔ lɔCXXCV.

CCLIX.

ANTONIO MAGLIABECHIO,

Magni Etruriae Ducis Consiliario et Bibliothecae Praefecto

SEmel iterumque tuis litteris mirifice recreatus sum, nisi quod schedae istae famosae dolorem mihi pariter ac tibi, attulerunt. Velim, earum mihi copiam facias, et causam occasionemque absurdae litis edisseras, nomenque rixosi et impotentis auctoris perscribas. Tenzelius, cuius disputatio ad vos perlata est, me repugnante, lacessiuit Schelstratium, et nouas plerasque eius sententias perstrinxit, maledictis tamen abstinuit, et, vt par est, modestiae leges seruauit, si tamen is modeste fecisse putandus est, qui meam amici dehortationem spreuit. Ego quidem dissentientes non iniquo animo ferre soleo, calumnias vero detestor et fugio, et, in capita auctorum reiiciendas, existimo, si innocentes petant. Te defendit innocentia, quam velut Gorgonis clypeum maleuolis obiicias, atque impetum obtrectandi constantia tua frangas. Abiecti et parui animi telum est calu-

lu-

lumnia, quam facile retundit, qui, ſuae virtutis conſcius, adſpernatur. Bene tecum agitur, ſi videas impares aemulos, qui, cum ad tuas ſane maximas laudes adſpirare non poſſunt, in conuiciis obſoleſcunt. Quare non eſt, cur moueare his clamoribus, quibus te improbi quidam oppugnare cupiunt, vt ab honeſtiſſimo exteros iuuandi inſtituto te auertant. Vnum abs te peto, prius quam finem epiſtolae faciam, Mederum, quendam Tranſyluanum, diu in ſcholis meis verſatum, perinde, ac Comitem VVrangelium comiter accipias, et vel meo nomine de ipſo, ſi per occupationes tuas licet, bene merearis. Opuſcula, diu intermiſſa, ſimul in praeſens capias, et in poſterum plura exſpectes, mihi autem fauere pergas. prid. Cal. Sept. A. cIↃ IↃCXXCV,

CCLX.
GEORGIO FRIDERICO MVEGIO,
IC. Spirenſi.

GAudeo, contractam inter nos amicitiam adhuc eſſe integram, quam ſi ex mea parte relangueſcere patiar, negligens ſim, ſin diſſolui cupiam, improbus tibi videar, oportet. Conſuetudinis tuae ſaepe recordor, et comitatem non ſine animi iucunditate repeto, tuos autem et affinis

Lim-

Limbochii labores meritaque ſic aeſtimo, vt certe magis non poſſim. In quo omnium recte intelligentium voluntates et iudicia conſentiunt, maxime illuſtrium Procerum, Buvvinckhauſii, Mauritii et Eibenii, qui de vtroque veſtrum praeclare exiſtimant, ac honorem commodaque veſtra in primis curant. Illud vero acerbe fero, quod limes veſter, multis obiectus periculis, ſpem diuturnae pacis mihi non facit. Omnium oculos menteſque in ſe conuertit cauſa Palatina, cuius exitum ſoliciti omnes exſpectamus. Philippi Aurelianenſis nimia et iniuſta poſtulata ſunt, et iure diu quaeſito pactiſque gentilitiis aduerſantur. Sed Gallos huius rei non pudet, dum modo fines proferant, et circumiecta Rheni ora potiantur. In vna vrbe, fateor, non prouinciam, ſed totius patriae praeſidium, et regnum, amiſimus, hoc initium mali eius quod Germaniae ſeruitutem minatur. Caeſar vires exhauſit, Principes aemulatione et diſcordia ſe atterunt, parum abeſt, quin Germaniae idem, qui veteris Graeciae, exitus ſit futurus. Saxo noſter cum Agnatis in ſenatu Imperii iamdudum iure contendit. Brandenburgico Sueones ob ceſſum pace Nouiomagenſi tractum, qui trans Viadrum iacet, iam longo tempore inuiſi ſunt, quae res tamen nunc ad concordiam ſpectat.

ſtat. Cetera ſcribere non auſim. De Rumetſchio valde angor, et, ſi quid in me eſt, opem auxiliumue ſpondeo. Auctor illi ſum, diſſertationes, quas *Programmata* inſcripſit, in Saxoniam tranſmittat, quas Dreſenam curabo, et, pro eo, quanto poſſum, ſtudio, annitar. Lubecae vacat prouincia Rectoris Gymnaſii, poſtquam de ſtatione ſua deceſſit Hinckelmannus. Vellem, appellaret Scholae Ephoros, et viam ſibi muniret. Certe doleo viri vicem, fortunamque eius corrigi volo, ſi quid de me polliceri poſſim. Sed partim cauto, partim maturato, opus eſt, cum multi ſint, qui ambiant ac prenſent. Tu ſi in aula quidpiam vel expediri, vel commendari velis, quod e re tua ſit, efficiam libens, vt intelligas, me tui ſtudioſiſſimum nominis eſſe. Superiori menſe tabularium in arce noſtrae vrbis recluſum eſt, cui negotio interfui, et tabulas Imperatorum, Regum et Principum, rara felicitate, et Saxonis beneficio, vidi et perlegi. Claues illius *Elector*, et Agnati Duces *Regentes* ſimul habent, et ſimul delegatos mittunt. Quod reliquum eſt, cauſam veteris amici, Orthii, tibi et Nobiliſſimo Affini, quem ſaluere iubeo, enixe commendo. Cal. Sept. A. cIↄ IↄCXXCV.

CCLXI.

CCLXI.

IOANNI GEORGIO ORTHIO, IC.

QVae tua conditio ſit, poſt tam inſignem aulae et vrbis Palatinae conuerſionem, nondum cognoſcere potui, nolim tamen dubitare, quin nouus *Elector* egregia et fideli tua opera vtatur. Meas, opinor, ſuperiores litteras accepiſti, ex quibus intelligas inſeruiendi ſtudium, ac bene merendi voluntatem. Frater tuus Stolbergiae adhuc debet, cui pro eo ſoluam, ſi quidem ea conditio tibi placeat, vt compenſare in poſterum velis. Quod iſto nomine reliquum eſt, deinde ad te curabo, ſi aperias ſententiam, et conſilium meum probes. D.Muegio et Limbachio parentis cauſam enixe commendaui. Optarem, vt vel modicum commorandi ſpatium fortuna tibi daret, crede mihi, id e re tua fore. Superiori menſe hic recluſum eſt tabularium, quod in arce aſſeruatur, quorſum aditus mihi patuit ſingulari beneficio, multa ibi vidi et legi, quae nullis libris continentur. Lis, quam Palatino Gallus mouit, patriam nouo bello implicabit, niſi incepto deſiſtat, qui tam iniqua poſtulat, Philippus Aurelianenſis, Fratris potentia velut ſcuto innixus. Auſtria res proſpere hoc anno geſſit, quod pungit Gallos, non facile paſſuros, vt Buda quoque

que in Caesaris potestatem redigatur. Spero, fore, vt pax inter Caesarem et Turcas breui ineatur, cum ambitio et cupiditas regnandi, quae Gallum incessit, satiari non possit. In limite nostro inter Sueonem et Brandenburgicum denuo pax firmabitur, et controuersia de cesso trans Viadrum tractu, aequis et moderatis conditionibus finietur. Multum in Iacobo, Angliae Rege, positum est, si is, aequabilem inter Gallos Hispanosque potentiae rationem seruandam esse, duxerit, quod vnus ille omnium maxime potest, nec minus ipsi vtile, quam Europae cultiori necessarium, videtur. Plura non licet perscribere, presertim tibi, qui sagaci et prudenti animo instantia prospicis, et de rebus praesentibus iudicas apte. Tantum abs te peto, mihi faueas, et credas, tibi ac nobilissimae familiae tuae me, quantus quantus sim, omni studio, cogitatione et officio, addictum fore. Meierus bibliopola exponet sententiam copiosius, et, quo in te animo sim, quid velim, renunciabit. III. Non. Sept. A. cIↄ Iↄ CXXCV.

CCLXII.
IOACHIMO FELLERO,
PP. Lips.

DIuturni silentii culpam deprecor fidemque meam tibi obstringo operae in

in omni re nauandae, quam ſciam et vſui, et honori, futuram. Maxime autem laetor, te, confectis ſplendidi muneris partibus, modice valere, et cupio, vt firma tua valetudo ſit, ac multa, te auctore, litteris commoda afferantur. Mihi ſufficit tarde conniti, et id conditio mea poſtulat, nec ignoro, probari moram cum ratione et conſilio coniunctam. Litteras Graecas, nemine hic repugnante, ornandas ſuſcepi, in quibus mihi Veneres ſe offerunt, atque omne adeo gaudium in iis poſitum eſt. De Graeca, quae oneri eſſe poſſit, non cogitaui, libertatem mihi vindicans, quae maxime ſemper mihi grata ac iucunda fuiſſet. Nec tamen mihi diſplicet aequum animi tui iudicium, qui tam multa et praeclara documenta tui erga me amoris dediſti, vt plane tibi confidam, Gratiaſque tuas, quae ſolae mihi placent, ad certamen gratulationis prouocare velim, ſi me aliquando illis moleſtiarum vinculis adſtringi patiar, quibus arctiſſimum vitae foedus continetur. Sed iocari tibi placet, fortaſſe quod exiſtimes, ſerio rem agi: caue, in hanc ſententiam adduci te patiaris. Libertas mihi auro carior eſt, in qua tuenda poetae veteres etiam philoſophis concedere noluerunt. Equidem in omnibus veterum gloriam aequas, atque hoc elegantiae genere elegan-

tiſſi-

tissimam patriae vrbem mirifice exornas, nisi quod non ferendam poetis seruitutem libertati, mirum, praetulisti. Vicissim iocor, quod in amico feras, si ad seria veniendum est, orbi Christiano de repetita victoria gratulor, et res melius, atque superiore anno, confectas, in summi gaudii parte pono. Illum Deus votis quasi cumulum addat, vt, fractis barbaris iste ab occidente insidiator libertatis tandem aliquando coerceatur. Multum in Britannia positum est, vbi pondus librandae potentiae haeret, quod flagitant Europae regna, et de Iacobo VII. bene sperant. Germani sensim a veterno excitantur, Poloni, Gallicis pensionibus innexi, adhuc more suo, tergiuersantur. Non recepta Neuheusela, Marti et Apollini, nisi id valetudini tuae graue est, certatim libemus. Prid. Non. Sept. clɔ Iɔ CXXCV.

CCLXIII.
ANTONIO RAMMIO,
Consiliario Tonnano.

SAepe recordor tuae in me propensissimae voluntatis, et magni facio in primis amicitiam, cum patre meo contractam, quae nunquam animo meo excidet, sed ad omnia honoris officia exhibenda semper inuitabit. Frater Ioannes Antonius, cui

ad ſacrum fontem ſponſor fuiſti, ad coeleſtes abiit, qui te patris loco duxit, et in conatu rerum pulchre gerendarum deceſſit. Vnicus mihi frater ſupereſt, homo ingenuus, et ingenio ſatis capaci praeditus, quem tibi magnopere commendo. Mihi ab exteris Regibus et Principibus conditiones oblatae ſunt, quibus Saxo meus interceſſit, nec me dimittere voluit, et nouis etiam beneficiis praeter exemplum me auxit. De reliquo ſum liber, curis, quae ad familiam pertinent, vacuus, libris omni doctrinae genere refertis inſtructus. Nuper Generoſus a VVerthern me acciuit, et prolixe accepit, quae, fateor, occaſio fuit apud te inuiſendi, ſed, opinione citius, negotia Vitembergam retraxerunt. Apertum enim tabularium eſt, quod in arce vrbis noſtrae aſſeruatur, cuius perquirendi locus mihi datus, cumuluſque meae doctrinae prope adiectus fuit. De Principe VValdeccio non te fugit, aetate affecta non recuſare belli diſcrimen. Ex Gallia redux, diu et familiariter cum eo fui. Poſtulauit a me, vt vitam eius conſcribam, ſed rationes muneris id adhuc non ferunt. Caeſari gratulor optimos in Vngaria ſucceſſus, qui Galli audaciam frangunt, maxime, quum Iacobus VII. nimiam eius, et reipublicae noſtrae metuen-

tuendam, potentiam prudenter in posterum temperabit. Multa, quae ad statum patriae spectant, alibi, et, si forsan fortuna adfulgeat, coram explanabo: Haxthusius sanctior Consiliarius aliquoties Cassellas me inuitauit, si fieri possit, in transitu te appellabo. Vale. Non. Sept. A. cIↃ IↃCXXCV.

CCLXIV.

FRIDERICO GVILIELMO PLEZIO,

Sacerdoti Quedlimburgensi.

GRatae mihi acciderunt tuae litterae, amoris iuxta, ac humanitatis plenae, vel eo potissimum argumento, quod vna olim mensa, et arctissima vitae studiorumque consuetudo nos, dum hic esses, coniunxit. Petitioni tuae, vt honestae sic aequissimae, locus datus est, quod me virtutis tuae testem habes, et honor muneris tui testimonium laudis tuae praebet. Rationes impensarum confectas schedula, quam vides, indicat, tibique sane eligendi ius est, vtris conditionibus stare velis. Dies solemnibus dictus est sextus decimus Octobris, si copiam tui facias, mihi et collegis multo gratissimus hospes eris, sin occupationes tuae id vetent, pecuniam, quaeso, mittas, in schedula rationum consignatam. Quod reliquum est, cupio, vt cum de re sacra, tum de coetu Quedlimburgensi, bene semper mereare. Deus

te ſeruet cum familia, et commoda ſucceſſusque optimos ex animi ſententia largiatur. Non. Sept. A. cIↄ IↄCXXCV.

CCLXV.

HIERONYMO A DORNE,

Patricio, Senatori, et Scholarchae, Lubecenſi.

QVi Latine et Graece ſciat, forte neminem reperias, ſi ſuo ac vero pretio litterae aeſtimentur. Aegre commendo homines, et facile reputo periculum, quod multi ſecure adeunt, et maiori fiducia, quam iudicio, partes has capeſſunt. Horum, opinor, conſuetudinem improbas, atque in vitio ponis audaciam, quae ſola commendationis auctoritate nititur, et fallendo etiam praemium quaerit. Longe alia mihi mens eſt, et ſimulandi cauſas procul habeo, nec id mihi ſumo, quod tuae prudentiae eſt permittendum. Vnum tamen, pace tua, meo teſtimonio ornandum duxi, virum ſane doctrina et bonis moribus praeditum, Hartſchmidium, Argentoratenſem, Obrechti, ſi humanitatem ſpectas, diſcipulum, bonis artibus apprime eruditum. Hebraeorum litteras auctore Schmidio hauſit, Graecas mediocriter callet, dato ſub Stolbergio ſpecimine, mihi notus. Quod in orationis cultu deſidero, vſus et exercitatio ſarciet, ſi intelligat, aperiri ſibi campum, in quo deinceps

ceps induſtria eius ſe exerceat ac probet. Res patriae aduerſas, vim ſacris illatam, licentiam, contumelias vexationeſque emendatae religionis, pertimeſcit, adeo, vt aliam, nec conſcientiae grauem, patriam quaerat. Haec ad vitam, ſtudiaque et fortunam, optimi hominis pertinent, quae celare te nolui, victus amicorum obteſtationibus, qui honori eius fauent. Quod reliquum eſt, Deum obſecro Immortalem, tuas res florentes eſſe iubeat, patriamque tuam, quam ſummopere ornas, praeſidio coeleſti defendat, et contra inſidias impetuſque hoſtium tueatur. Vitembergae Saxonum, Id. Septembr. cIↃ IↃCXXCV.

CCLXVI.
ASARELI MEDERO,
Tranſyluano.

SImul vt intellexi, te rediiſſe ex Anglia, et intraſſe Galliam, magnopere laetatus ſum, cum, quod, in hac peregrinandi diligentia multum tibi ſane poſitum eſſe, ſciam, tum, quod, patriae tuae ſpem expleri, cupiam, quae paucos tui ſimiles habet, et in tuam praecipue virtutem intuetur. Macte animo pergas, et Italiam obeas, illam prudentiae magiſtram, laudiſque maiorem acceſſionem ſperes. Habent Itali pleraque cum Anglis communia, praeſertim, ſi ani-

morum latebras abditosque recessus considero. Rex hodiernus Italica prudentia res suas moderatur, Monmouthii seditionem compressit, aemulos distraxit et vicit, Angliam Scotiamque pacauit, Galli conatus et consilia vnus ille animaduertit, non passurus, vt omnia vnius Ludouici arbitrio agantur. Caesaris res, in Vngaria prosperae, decus auctoritatemque Austriae firmant, et animos Germaniae Principibus addunt. Tekelius in angustias compellitur, sed Caesaris gratia forte consumpta est, nisi inusitato quodam modo de Austria mereatur. Cupio meas dissertationes ad te perferri, sed occasio deest. Tu, quaeso, interim vale, et ama tuum amicum veterem et constantem. Id. Sept. A. clɔ Iɔ CXXCV.

P. S. Ad Magliabechium, Ciampinum, Frabrettum, Bellorium, tua causa perscripsi. Litteras ex Anglia abs te nullas accepi.

CCLXVII.
NOMINE RECTORIS ACAD.

QVoniam omnes Ioannis Starckii res funesto nuper incendio consumptae sunt, a benignis quibusque hominibus inire studet gratiam, et durae sortis quaerit solatium, maxime autem in vestra liberalitate praesidium collocat suum. Proinde quaesumus vos per calamitatem viri, nulla sua cul-

lpa miseri, detis id conditioni eius adfli-
e, et vltro promteque stipem erogetis,
lli dubitantes, quin Deus cumulatissime
nuneretur ac reddat, quod ei, collato
e, libenter largiterque tribuetis.

CCLXVIII.
RIDERICO GVILELMO PLEZIO,
Sacerdoti Quedlimburgensi.

R Ationes confectae, et a praeside Ordinis approbatae sunt, tantum abs te stulat, vt primo quoque tempore veniet solemnia praesens vna celebres, mulnque exornes. Dies constitutus est quindecimus huius vertentis mensis, quem leges mutare non licet. Igitur tempeie adsis, et negotium expedias honoris num. Examen Ordinis paullo ante subidum est, quod ita instituendum existi, vt simul calculi cum studiis tuis sacris nantur. Ego me ad reliqua nomine tuo anda promptum offero, et aeternum Nun obsecro, vt hoc institutum, coetus diioris et tuae felicitatis causa, fortunet. le, et quem amas dudum, eum amare deeps perge. XVI. Cal. Oct. A. cIɔ Iɔ XCV.

CCLXIX.
IOANNI VVALTERO,
Reipublicae Luneburgensi a secretis.

MAgnum Dei beneficium est, quod victi fugatique sunt barbari, etsi Galli id aegre ferunt, et, Austriae vires distrahi atterique, optant. Colligit vires sensim Austria, et decus prope amissum instaurat paullatim, vt, vel hoc nomine, Christianus orbis sibi gratuletur. Plurimum in Iacobo, VII. Angliae Rege, situm est, qui, dissipata Monmouthii factione, nunc pleniori auctoritate regnat. Qui si Austriae commodis faueat, Francorum ambitio coercebitur, et vicennales induciae seruabuntur, sin, blanditiis donisque vinci se, patiatur, de salute vicinorum actum, putabo. Hactenus animum auertit, et rationes prudenti consilio moderatur, Auriacus a rebus Gallicis sane alienior, est, et, annitente cognato Rege, *Principatum* Arausionensem reposcit. Nouus *Elector* Palatinus, causae suae confisus, et, victoria Caesaris erectus, de iure suo nihil detrahi, sinet, pactis gentilitiis et sanguinis propinquitate nixus. Carolus, qui eum praecessit, veneno sublatus dicitur perfidia aulici sacerdotis, et medici, ad eam rem subornati, quod

qua-

e ſit breui tempus et certiores litterae
docebunt. In Gallia prorſus op-
nuntur *Reformati*, elaborantibus in
genere ſodalibus Ieſu, vt, in quo Re-
honorem verti, exiſtiment, ſi pro ſum-
potentia et auctoritate efficiat, vt *Hugo-
is* in vniuerſum religionis vſu interdi-
r. Mulctantur innoxii homines rapi-
ır ad fana, truduntur ad audiendos *Ec-
ae* Romanae ritus, manibus pedibuſque
tricti trahuntur, liberi ante ora ocu-
ue auferuntur ad ſuperſtitionem, et
ti retinentur in regno, migrare volen-
lamnantur ad triremes. Haec eſt iſta
ciliationis larua, quam ſacrae tyrannidi
lſatia obtendunt. Stolati patres, Chai-
et Maimburgius diu ſaxum hoc vol-
t, et, magni praepotentiſque Regis au-
armati, magnum et *Eccleſiae*, et ſtatui
eſtantium periculum moliuntur. Mon-
reunionum Gallicarum indicant, quae
ualia conſilia agitentur. Interim pe-
auctoritatem Pontificis, Regis aucto-
i grauem, qui *Epiſcopos* eligit, inſtituit,
leratur. Sorbona libere diſputat con-
Pontificem, et non fallendi praeroga-
n negat. Pontifex callidus eſt, multa
de diſſimulat, et Regem perinde, ac
tianos Patres emiſſarios, timet. Au-

 ſtriae

ſtriae conſulit, pacem Italiae procurat, pecuniam, belli ſacri cauſa, liberaliter erogat, quam ex vacantibus purpuratorum dignitatibus conflat, alioquin a coetu noſtro alienior, et acerbius in Vngarorum gentem conſulens. Sed ſacra Deo curae erunt, dummodo limes muniatur contra barbaros, et valido iterum praeſidio firmetur. Ex his, licet, colligas, Vir ampliſſime, quo conſilio cupiant Galli, vt in gratiam redeant. Nam id agunt, vt incauti ſimpliceſque alliciantur, ac tanto ſpecioſius decipiantur. Noua quidem, et a veteri craſſaque Pontificiorum ſecta multum diſcrepans cernitur doctrina Gallorum. Concilium Tridentinum Rex non admittit, Pontificis auctoritati in regno ſuo obicem ponit, directo et per latus ſedem Romanam petit, ſed cetera et ad fundamentum pertinentia capita, quae Lutherus repurgauit, non probat, et reuera eſt *Eccleſiae* hoſtis, ac vi aſtuque eam perſequitur et premit. Longius me, quam volebam, diffundo, et ideo, quod res poſtulat, effectum dare cupio. Iuſſis tuis obſequor, et Michaelem Caeſarem, Burga Saxonem, ad capiendam docendi filii prouinciam mitto commendoque. Homo rectus et probus eſt, diligens et mediocriter doctus, matheſeos haud expers, et humanitatis ſtudio deditus, ac Iuris perinduſtrius cultor. Eum, quae-

ſo,

so,suscipias et foueas, spero eum de filio tuo bene mereri velle et posse. Ita te Deus seruet, et florentem vna felicemque familiam praestet, ac diutissime tueatur. Cal. Octobr. A. clↃ lↃ CXXCV.

CCLXX.
ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI.
IC. Dresd. et Saxonis El. Consiliario.

PArum forte abest, quin existimes, notam criminis mihi esse inurendam, vel, quod tam sero ad tuas respondeam, vel, quod diligentiam in ornando et erudiendo filio tuo praetermittam, quoniam cunctandi rationes habeo, et exploro interim, quid agat, quid moliatur, mutetne, an seruet, superiores laudes. Nondum quidem recessit a pristina consuetudine, sed interdum mobili animo est, monitis tamen cedit, quod bonae indolis est, et patitur se reuocari. In temperantia omne felicitatis praesidium certe positum est, quam ipsi magnopere commendo, vt sibi constet, neque impetu ad intempestiua officia rapiatur. Volo eum mihi esse affixum, et statuo, hoc me ipsi, vel tua causa, debere. Praemium non posco, ne imprudentis nomine male audiam, tam multa in me contulisti beneficia, vt nullum reddere par queam. Certas horas constituam praeter eas, quas cum aliis commu-

munes habet. Faciam, experiar omnia, vt cum eruditioni, tum vtilitati eius, consulatur. In conuictu, in nobilissimum Generum tuum, in consuetudine et congressibus, in clientes hospitesque Zieglerianos intuetur, qui omnes et modestiae, et doctrinae frugalitatisque imaginem ei ostendunt. Iam, te, opinor, volente, disputationem ingredietur, auctore Sibero, homine industrio et erudito, quamuis maluissem, desumi argumentum ex Demosthene, vel Lysia, vt simul linguae et fori Attici specimen daret. Non tamen repugnare volui, cum, vel sic diligentiam comprobari posse, intelligerem. De exitu conatus et fructu, simul; ac disputauerit, ad te perscribam. Siberus, partes sibi in schola mandari petit, tuumque, me conciliatore, patrocinium ambit. Faueas, quaeso, et, nostra litterarumque causa, bene agas, semper floreas, et, si id in mortalitatem cadit, nunquam ex conspectu mortalium migres. Ita optat, fouet, precatur tota mente et animo, Iacobaei Nominis cliens. Non. Nouembr. A. cIɔ Iɔ CXXCV.

CCLXXI.
PATRONO.

EXplorata mihi est Dauidis Lohde, ciuis nostri, diligentia, et vitae morumque ornamentis probata, quae etsi meo testi-

ſtimonio non eget, tamen dignam cenſui, quam honeſto et maturo iudicio comprobarem. Spero, fore, vt me nec meae commendationis poeniteat, et patria eius ſtudii fructum capiat, atque meae adeo petitioni aequae pariter, et iuſtae, hoc tribuat, vt eum conſtitutis ſtudiorum ſubſidiis prouehat, benigneque complectatur. Vitembergae Id. Nouembr. A. clɔ Iɔ CXXCV.

CCLXXII.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,

IC. Dreſd. et Saxon. EL. Conſil.

DIſputauit non indecore tuus filius, et probauit erectum animum, vt me continere non poſſem, quin ipſe aſſurgerem, et conatus eius eximios publica gratulatione cohoneſtarem. Tantum in vitae modo deſidero conſtantiam, et abs te peto, vt quodammodo aberrantem graui adhortatione in viam reducas. Ab eo tempore, quo diſputauit, raro mihi adfuit, quotidie tamen inuitatur. Obtendit mutati hoſpitii cauſam, quae ratio quale pondus habeat, tuum eſt, exiſtimare, benigniſſime Patrone. Ego nihil omitto, quod quidem eiuſmodi ſit, vt ſeu ſtudiis, ſiue commodis eius, facere videatur. Heri conſultiſſimus Gener tuus ſaluus ſoſpeſque ex Luſatia rediit, in quo decus ornamentumque ſummi iudicii, et ex-

exquiſitae modeſtiae, nec minoris prudentiae, quotidie experimur. Sine adulandi ſuſpicione ſcribo, et id clienti tuo, per obſeruantiae leges, ſemper ſancteque conce-des. Prid Cal. Decembr. A. clɔ Iɔ CXXCV.

P. S. Funeſtum Albini facinus Academiam adflixit, et foedauit. Homo ſacris deditus tantum ſcelus patrauit, ſed iſtud hominum genus peſſime viuit, quod pietatem profitetur. O tempora, o mores! Non bene coniiciat de ſacris noſtris, quiſquis, homines tam improbos ſacris innutriri, videat audiatque.

CCLXXIII.
EIDEM.

QVas obſeruandi nominis tui rationes habeam, nemo perinde nouit, ac ego ſubinde aeſtimo, quem ſemel et iterum, ac ſaepius, pietas mouet, et tot tantorumque beneficiorum cogitatione acrius mentem excitat, atque ad tuendum grati animi officium perenni et continuata amoris vi impellit. Vt enim omittam cogitare de ſingulis, quamuis nec iſtud ſine crimine facere poſſim, vnum, idque maximum, praeter ire iam nequeo, quod vno adſpectu omnes recti exempli homines intueri poſſunt, quum alacres laetique recogitant, quam bene velis Academiae, praeſertim funeſtis caſibus

ſibus adflictae, ac prope iacenti, quae abs te famae, ſaluti, fortunis omnibus praeſidium petit. Nihil diſſimulo, et ingenua mihi indoles eſt, quae nihil minus ferre ſolet, quam in agnoſcendis beneficiis languorem et culpam. Et tamen multi tam remiſſo ac lanquido ſunt ingenio, vt non modo ad has partes ſe non cohortentur et incitent, ſed intempeſtiuo quoque ſilentio iuſtis aequiſque patronorum laudibus obſiſtant. Abeſt hoc a natura, abeſt a conſuetudine mea, plurimum, id vero in me non eſſe, fateor, vt meritis tuis, tam egregiis et immortalibus, pari orationis facultate reſpondere poſſim: induſtriam forte in iis, pro modo virium praedicandis, exercere mihi bonitas tua concedet. Inſiſtam igitur in ſermone hoc, et, quoad licet, verba non tam ad elegantiae, quam ad pietatis, formulas traducam, et incepta mea fidenter perficiam, vt, votis etiam perfici abſoluique poſſe, arbitreris. Omnes clientum voces conſpirant atque conſentiunt, conueniunt et congruunt voluntates Generi Affinumque tuorum, quippe quorum recti, et puri integrique animi ſunt, ſe peti, ſeque tangi, affirmantes, ſi quid praeter ſpem eueniat tibi. Sed Princeps ipſe, reipublicae noſtratis moderator ſummus et arbiter, patria vniuerſa, te ferunt in ocu-

oculis, te ſententiam rogant, tua conſilia poſcunt, atque in tuis demum laboribus et vigiliis plurimum ponunt. Quid Academia ſentiat, quae vota nuncupet, quo loco numeroque te habeat, faciam, vt ex me, eius interprete, quodammodo cognoſcas. Vult, petit precibus et poſtulat, vt diutiſſime floreas, ac menſuram felicitatis tuae impleas, clienteſque innumerabiles, et arctiſſima animorum coniunctione deuinctos, virtutis conſenſu tibi concilies, et, approbante Deo Immortali, conciliatos retineas ac ſerues. De conſtantia tua nemo dubitat, tantum optamus et precamur omnes ac ſinguli, homines recti ſimulationumque ignari, vt nullo iniquo fato vel minima pars felicitatis tibi eripiatur, quem vnice diligimus, quem voluntatibus iudiciiſque conſentientibus admiramur. Deus aeternus te familiam, coniugem, liberos, generos, affines, clientes gaudio, honore, ſolatio, voluptati, obſequio tuo ſeruet. Moleſtiae, difficultates temporum, dubia ac infirma valetudo, res aduerſae omnes, abs te ope atque auxilio coeleſti arceantur. Haec ſumma eſt religionis, quam profiteor ipſis Calendis Ianuariis, anno, quem auſpicamur, cIↄ IↄCXXCVI.

CCLXXIV.

CCLXXIV.
CAROLO L. B. A FRISEN.

CVm ſuperioris anni recordor, tum verbis exprimere nequeo gaudium, quod is felix fortunatuſque abiit, et ductu conſilioque tuo patriae Principi El. et ſaluti fortuniſque omnium bene vertit. Religio, leges, iudicia, litterae, florent, et tuis certe vigiliis id debere ſe intelligunt, palamque confitentur. Nulla in templis ſolitudo, nulla in foro vaſtitas, cernitur, reſpublica eodem, quo ante hac, veſtigio ſtat, et praeſidem auctoremque capiendi et exſequendi conſilii celebrat, huiuſque auctoritate ſeruatam ſe, affirmat. Omnes iudicio aequo et iuſto regimur, nec magis iuſſa, quam exempla tua, intuemur. Saxo, magnus ille et Martius, periculo ſe obiicit, et a pia Caeſaris cauſa non recedit, barbaroſque, virtute ſua reiectos a finibus, adhuc fama fortitudinis ſuae terret, maiora auſurus, ſi patriae libertas in poſterum conuellatur. Quae gloria ad tuum nomen redundat, quod rationes ſanctiſſimi tui conſilii expeditae ſunt, et in cauſa tam bona valent, Principemque, curis diſtractum, confirmant, vt armatus contra hoſtes tendat, atque omnium recte exiſtimantium ſtudio excipiatur. Quem vna expeditio fecit immortalem, et

vna eius victoria omnes nostra memoria victorias obscurauit, cum se in barbaros inferret, et primus pugnae signum daret, eius vero pugnae, in qua totius orbis Christiani salus versabatur. Donec erunt homines, Saxonem, et consilii socium, Gersdorfium, memori animo et grato sermone praedicabunt. Opto, qua par est, religione animi, et peto, quibus possum, a Deo precibus, hanc industriam, tot tamque multis exemplis comprobatam, ac iamdiu totius, qua cultior est, Europae opinione aestimatam, tuis meritis perpetuam seruet, eamque cum perenni felicitate, et prospera valetudine tua, coniungat. Nihil Illustrissimam domum, quae ex Gersdorfianis et Frisiis necessitudinibus coaluit, perturbet, nihil a veteri fastigio moueat atque eam affligat, nulla difficultas conatibus consiliisque tuis se obiiciat, omnia, quae velis, etiam effectu arduo, ad nutus tuos parata sint, omnia denique, quae vel cogitando assequi licet, expeditissima fortunatissimaque sequantur. Haec est nulla simulationis arte obducta pietas, hoc studium voluntasque omnium est, vt tua gens, coniux, virtute et animo simillimi heredes, nullo fortunae casu, nulla temporum iniuria, abs te diuellantur, nulla dies tam foeda sit, quae foederis Frisii vinculum rumpat, aut illius gaudii fructum eri-

piat aut minuat, ſed, quod votis expeto, arctiſſima ſanctiſſimaque animorum conſiliorumque inter vos coniunctione firmi, florentes et inuicti, perſiſtatis, generoſumque filium, cum Principe iuuentutis reducem, paribus gaudiis excipiatis. Id Deus velit, iubeat, perficiat, moderetur. Vitembergae, ipſis Calendis Ianuariis, A. cIↃ IↃCXXCVI.

CCLXXV.

ANTONIO MAGLIABECHIO,

Magni Etruriae Ducis Conſiliario et Bibliothecae praefecto.

Diu me rerum tuarum ſtatus angit ſolicitumque habet, nec mediocriter doleo, quod cum tot tantiſque aemulis tibi ſit confligandum. Quos prudentia et comitate vincendos putabis, nec ſines, te frangi iniuriis, quae pertinent ad ſuos auctores. Schelſtratius commotior ſtilum, quaſi ferrum, in Tenzelium quendam diſtrinxit. Mirari ſubit, quam ob rem ſibi hunc aduerſarium ſumpſerit, et refellendum exiſtimarit, quem ſilentio contemnere potuiſſet. Exemplum ſcripti ad me non perlatum eſt, rogo, ſi per rationes tuas liceat, facias, vt ad me quamprimum curetur. Zieglerus noſter in expurgando Iure Pontificio verſatur, librum, de *Epiſcopo* inſcriptum, emiſſurus. Baluzius, vt accepi, idem agit, diſ-

ſimili tamen tractandi ratione. Superioribus nundinis multas diſſertationes ad te curaui, vtrum acceperis, nec ne, aueo ſcire. VVrangelium, Mederum, amicos meos, prolixe abs te acceptos, gaudeo, nunc rurſus peto, Olaum Odhelium, Sueonem, nihilo peiori loco eſſe patiare. Expeditiones contra barbaros terra marique Caeſari et Venetis fauſtas eueniſſe, laetamur omnes, et impenſe, ſalutis Chriſtianae cauſa, gratulamur. Opto, vt Budae expugnatio tandem ſequatur, vtque Caeſari a tergo nihil timendum ſit, profecturo ad Rhenum, et iuſtos imperii fines recuperaturo. Id Germaniae neceſſarium, et Italiae ſimul vtile eſt, ſed, Vienna occupata, de vtraque actum fuiſſet, Pontifex Polonos praeſenti pecunia excitauit, alioquin haud venturos opportune. Audita liberatione, Francus dixit, victi ſunt foederati noſtri, et, proiecto in terram pileo, dolum apertiſſime teſtatum fecit. Lotharingus vrget reſtitutionem ſuam, Imperium de Argentorati recuperatione laborat, Heluetii, etiam *Catholici*, a Franciae Rege ſenſim abalienantur, nec leges ferunt, et profugis perfugium praebent, non paſſuri, infeſtari Geneuam, cui minatus eſt magno inſolentiae indicio, ex qua cauſa Heluetii ſunt offenſi. Proximus annus multas Franciae deſtinationes conuertit. Regina Hiſpa-

ſpanica procuratam arte ſterilitatem corrigere non poteſt, eamque ſponſa doluit, quum, ingreſſura Hiſpaniam, dixiſſe fertur, *quid mihi Hiſpania?* Quaſi eo nomine indignatura, quod ita ſecum actum fuiſſet, vt damnum Hiſpaniae rependeretur. Hae artes ſunt Francorum, non futurae tandem inultae. Magnus tamen, puto, error ab eo Rege admiſſus eſt, quod ſacris *Hugenottorum* vim intulit, tam inaudito crudelitatis exemplo, vt prope ipſi *Catholici* execrentur. Ita Gallia amiſit multa millia hominum, et commerciorum florentium iacturam fecit, vt de aliis incommodis non dicam. Quod reliquum eſt, opto, vt quam diutiſſime valeas, et reipublicae litterariae bene conſulas, nihil tamen ſine valetudinis honoriſque acceſſione agas, mihi autem faueas, et priſtinam laudis tuae poſſeſſionem retineas, amoremque tuum nobis et ingenuis nominis tui cultoribus ſerues. Vitembergae ipſis Nonis Ianuariis, A. cIↃ IↃ CXXCVI.

CCLXXVI.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI, IC. Pr. EL. Sax. *in ſumma prouocationum Iuridicarum et Conſil. Eccleſ. Curia Senatori, incl. ciu. Dreſen. Syndico.*

CVm de tuis tot tamque eximiis benefi-

 ciis

ciis cogito, tum eorum profecto numerum inire non possum, nec reperio facile, quod reddam, nisi quod acceptorum memoria semper ante oculos versatur. Rubori mihi est fortuna tenuis, quae facit, vt remunerando impar sim, et, si nulla re alia, certe obsequii constantia, me sustentem. Circumspiciam vero aliquid, et enixe quaeram, vt gratiae referendae voluntatem studiumque profitear, atque in hoc officii genere cum omnibus tuis clientibus, etiam dignitate praestantioribus, contendam. Liber ille, quoad viuam, de incredibili beneuolentia me commonebit, ac simul documento erit, summam illam tuam atque incomparabilem virtutem, non solum peti a libris, quanquam nec hoc infra tuas laudes est, sed in primis ex diuina indole, et animi excellentia, quam cum paucissimis maximisque communem habes, oriri, omniumque sapientissimorum hominum laudes complecti. Monimenta omnium aetatum in numerato habes, et, si quid arduis patriae negotiis subtrahere licet, non amitti ac perire sinis, sed colligis ac bene collocas, vt ipsi etiam, adornandum litteras conducti homines, magnam capacissimamque mentem tuam admirentur. Ipsa, opinor, posteritas agnoscendo praemium tibi persoluet, et meritorum, quae cumulatissima sunt, subinde recordabitur, et puro nec simulato animo

mo aget has partes, et tibi perenne ac perpetuum decus rependet. Tantum oro ſupplex Deum Immortalem, vt haec gloria tuae ſtirpi, coeleſtibus auſpiciis in faſtigium euectae, nunquam eripiatur, nec deſint, qui in locum tuum ſuccedant filii, quique eo loco ſint, vt, te ſimul florente ac ſuperſtite, adoleſcant, et laudis principatum inter aequales retineant, atque, vel vno hoc nomine, ab aliis ſe diſtinguant. Hoc euenire opto, haec eſt votorum ſumma, hoc pietatis in te meae argumentum eſſe volo. IIX. Id. Ianuar. A. cIɔ Iɔ CXXCVI.

CCLXXXVII.
PATRICIO LVBECENSI.

MEae commendationis aliquam fuiſſe rationem, gaudeo, et vehementer opto, vt ſuffragia bene cadant, et homo vtilis atque idoneus regendae illi tam illuſtri Scholae imponatur. Nam pauci ſunt humaniorum litterarum intelligentes, nec fiducia ingenii tamen aliis cedere volunt, nec ſe magis decipiunt, quam alios fruſtrantur. Omnis ſane vera ſolidaque ſapientia ab his elegantioribus ſtudiis ducit colorem et habitum, nec quicquam exſpectatione dignum eſt, quod his et talibus doctrinae praeſidiis caret. Faueo autem tanto magis honori veſtratis Scholae, quod ſuperiori

ri tempore quidam ciuis meus, Henricus Bangertus, in illa cum laude versatus est, cui cum Patre meo vsus et necessitudo intercessit. Nihil dixerim de Kirchmanno vestro, cuius laudibus nec addi aliquid, nec demi potest. Tantum cupio, vt par vtrique successor contingat, et peritus in primis ac tersus dicendi artifex, qualis non potest esse, nisi idem Graecis litteris sit excultus. Hebraeorum lingua, fateor, inseruit interpretibus diuini Codicis, sed Graecorum litterae latius patent, atque ab his omnis doctrinae liberalis fontes dimanant. Vulgus tamen, nescio qua, vi trahitur ad amorem solius Hebraeae linguae, et, dum breuius iter quaerit ad famam, mea profecto sententia, ineptit, et initia causasque verae eruditionis ignorat. Haud facile quis emendauerit homines persuasione deceptos, nisi Rectoris et Magistri scholarum aliam in animis tironum opinionem inserant, viamque meliorem docendo teneant, ac rectius de adolescentia mereantur. Ceterum reipublicae et tibi de anno superiore, auspicatissime transacto, gratulor, votaque nuncupo, vt in eius tranquillo et suaui sinu quam diutissime conquiescas, et viuam prudentiae imaginem posteris relinquas, et, inter tot molestias laboresque pro patria susceptos, et legationes crebro obitas, eo-

dem

dem laudis tenore tibi conites, ciuibusque tuis lumen gloriae praeferas, quod perpetuo imitentur. Postulat hoc tua virtus, nec vlla tam ingrata est futura posteritas, quae iustum, vt par est, decus tibi non rependat. Illud ad extremum admonet me officii religio, vt Deo Immortali supplicem, patriamque tuam, tot illustrium et egregiorum virorum parentem, vi coelesti numineque diuino tueatur et seruet, iura, leges, libertatem, ope sua defendat, vitae fortunarumque discrimen ab inclyto Senatu et vniuersa vrbe arceat, insidias molitionesque hostium benigne auertat. Hanc pietatem obseruantiamque reipublicae et tibi, ea, qua par est, profiteor lege clientis. VI. Id. Ian. cIↄ Iↄ CXXCVI.

CCLXXVIII.
CHRISTFRIDO VVAECHTLERO, IC.

NOlo deesse petitioni tuae, ne officium amici deseram, quod tibi fortasse molestum, nec mihi honorificum, videatur. Rogas meam de supremis Caroli M. tabulis sententiam, quae eo spectat, vt credam, eius auctoritatem nullis certe solidis rationibus labefactari posse. Non quidem me fugit, quosdam testamenti codices, in numerando regni Carolini anno, discrepare, ac plerosque omnes aberrare. Venit quoque in

mentem recordari insignium sacerdotiorum, quae *metropolium* nomine in Gallia celebrantur, eodem in testamento praetermissorum. Nihil ibi de Aquensi et Narbonensi reperias, quamuis semel, iterum saepius, semper euoluas. Addo, quod pleraeque vrbes ibi commemorentur, quae imperio ditionique Carolinae minime omnium tunc subiectae erant. Neque tamen haec, quamlibet speciosa, tanti sunt, vt me de sententia deducant, aut vel in contrariam partem impellant. Illud, fateor, mendum est, quum annus regni in Italia XXXVI. Carolo adscribitur, propterea, quod non fallentibus temporum indiciis confirmare in expedito est, annum regni huius non congruere anno vndecimo imperii Carolini, quo testamentum hoc factum esse, licet, colligamus. Respondet annus Christi DCCCXI, peracto tam illustri et arduo negotio, ad omnes vsque posteros insignis. VVimphelingum non excussi, neque otium fuit, cuius diligentiam, pro eo, ac par est, magni facio, sed in hac causa aliis profecto armis pugnandum est, nec, puto, graue tibi fore, si locum tibi patefaciam, vbi firmiores lacertos moueas, et Eginhardum, testamenti perantiqui testem, et suffragatorem locupletissimum, perlustres. Id quod monere te volui, vt tibi de meo in te animo

mo conſtaret. Vtcunque autem velis et ſentias, breui experiar, nec animo cadam, ſi vel plura etiam tela contra meam, antiquitatis conſenſu ſubnixam, ſententiam abs te dirigantur. Vale, et communem Patronum Boernerum, cum ſuauiſſima coniuge, meo clientis nomine, obſeruanter ſaluta. Idib. Ian. A. cIↃ IↃCXXCVI.

CCLXXIX.
DANIELI ERASMIO,
D. et Prof. Publ. Iuris Extraordinario.

HOnori dare voluit, cui mea quidem oratione nec addi aliquid, nec demi poteſt, cum ob virtutem doctrinamque omnibus modis perfectam, tum ob ſermones iudiciaque ſummorum atque ſapientiſſimorum hominum, qui ſuauitatem ſine faſtidio, elegantiam ſine moleſtia, perſpexerunt, et auctoritate atque teſtimoniis ornarunt. His accedit, meritoque ſuffragatur, et conſiliis inſtitutiſque egregiis applaudit, monumentaque ab eo victura exſpectat, nec minus fructum promittit aliis, et auctori gratulatur. cIↃ IↃCXXCVI.

CCLXXX.
ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI.
IC.

GOttlibius tuus, nec id te conturbet, ſtudiorum moleſtiis feſſus a virtute mi-

militari laudem petit, et in hoc ſpatio in-
tegrae florentiſque aetatis ſubire labores, et
experiri vires ſuas, ſtatuit, et iter, quod ti-
rocinium ponentibus reſtat, tanto melius
celeriuſque confecturus. Annuat Deus, et
conſilium prudentiamque, militari viro di-
gnam, ei concedat, nec minus incrementa
atque inſignes ad gloriam acceſſiones [illegible]
tur. Quod agere quiſque vult, hoc [illegible]
tandem, et ingenio haud inuito [illegible]
Optimus quiſque mortalium in bello [illegible]
dis materiam quaerit, nec inſignior [illegible]
eſt, quam, quae paratur armis. Si prude[illegible]
tiae et vtilitatis ratio habenda eſt, melius
in toga, quam in bello, aliquid defide[illegible]
Hiſpaniam euertit Philippus II, quum o[illegible]
nes prope Hiſpanos pacis togaeque [illegible]
tuis aſſuefecit. Hinc initium tot Hiſpa-
niae malorum, quae adhuc illam ge[illegible]
vrgent. Enitantur et contendant Ger[illegible]
ni, etiam Procerum filii, de quibus melior
ſpes eſt, quo parentum virtutibus [illegible]
Haec tempora, quibus libertas petitur, [illegible]
tios omnino homines poſtulant, quos [illegible]
us excitat et mouet. Abiturum, [illegible]
que iam ſecuturum, omnes adm[illegible]
omnes et ſinguli praemunimus ad[illegible]
licentiam et leuitatem militarem. Non
dubito, quin dictorum talium [illegible]
nem in animo infixerit, quae, [illegible]
[illegible]

ſumma animi contentione ſe obſeruaturum. Quare in ſpem venio, fore, vt haec mutatio ei ad vitam bene conſtanterque agendam proficiat, nec video, cur id te adfligat, Patrone, quod diuinae cuiuſdam prouidentiae eſſe, iudicaui. Quid ſi Vienna barbaris ceſſiſſet in praedam, omnes etiam litterati ad ſaga ire neceſſe, habuiſſemus? nihil te agat et diſcruciet, obſequitur naturae ſuae filius, et haec recte agendi dux eſt hominibus colentibus Deum. De pietate eius bene tibi et inclutae familiae ſpondeo, votaque tecum coniungo, vt repentina illa, ſed diu ab eo cogitata mutatio ei aditum ad gloriam felicitatemque aperiat ſempiternam. Ita bene agas, Patrone maxime, ſine moleſtia et aegritudine de filio bene ſperans.

P. S. Dauid Gottlob Silligius, Miſenenſis, et Cnauthius iunior, ſtipendium abs te petunt, meaque interceſſione adiuuari ſe poſſe, confidunt, quibus mea commendatione nolui deeſſe Maecenas. Daniel Eraſmius, elegantis ingeni vir et doctrinae ſingularis, obſeruanter reſalutat. cIↄ IↄCXXCVI.

CCLXXXI.

CCLXXXI.
EIDEM.

FRater meus iuxta, atque ego, tibi obsequens, vota pro salute et solemni tuo gaudio concepit, vt cum obaerato debitori indulgeas, tum alii intelligant, quam benigne eum tuendum susceperis, quantoque beneficio hominem, patre et auxilio inde ab vltima pueritia orbatum, locupletaris. Nihil male abs te collocatum est, nec longum eius silentium cum vitio coniunctum esse, ipse ego testari possum. Gratulandi partes occupauit, honesto pietatis certamine, in quo iuniori cedere volui, vt ad hanc ingrediendam doctrinae rationem magis excitaretur. Spero, fore, vt in posterum tuam exspectationem sustineat et facili expeditoque gradu pergat. Omne studium ad tuas laudes referet, et, supplicandi assiduitate a nemine clientum tuorum vinci se patietur. Ego, vt par est, vota iungam, et, vt omnes heredes tuos et generos in fastigio felicitatis honorisque summo positos videas, libenter et perpetuo precabor. Maxime nunc optabo, vt sincero fruare gaudio, et munimentis familiae insistas longe firmissimis, atque, in his temporum difficultatibus et periculis, semper coeleste praesidium habeas, semperque enitare et

vin-

vincas. Audiet Deus has supplicationes, et faciet, vt euentus iisdem respondeat, atque omnes tuae res, spes, destinationes, consilia, ex animi sententia succedant, et stabili ac firma, et expleta atque omnibus numeris absoluta, quoad ea in terris expeti et possideri potest, felicitate nitantur. Vale, et nouo genero, et suaui solemnium adspectu, laetare diu et constanter. Nullus casus gaudium auferat, nulla calamitas socerum, nulla molestia generum, turbet, vterque vtrique placeatis, consensu virtutis, omnes necessarii cum noua nupta gaudeatis et floreatis. Nonis Februarii, A clↃ IↃCXXCVI.

CCLXXII.
CHRISTFRIDO VVAECHTLERO, IC.

DVo Testamenta a Carolo M. confecta sunt, quorum alterum Eginhardus, alterum Monachus Egolismensis, commemorauit. Neutrum ab eruditis in dubium vocatur, si vnicum fortasse excipiam Pithoeum, acri ceteroquin iudicio virum, sed hic imbecillitate lapsum, et, vt existimo, nomine Imperii deceptum, ac, vt opinor, de charta diuisionis istius tam libere confidenterque pronunciantem. Mihi longe alia mens est, haud ignaro temporum Carolinorum

qui-

quibus perſaepe *imperium* et *regnum* paria faciebant, non ſecus, atque hodie, tradito a priſcis more, Germania *imperium* vocatur, quae per ſe *regnum* appellari debet. Grotius de hac re adeo non dubitauit, vt, in parte iudicii modorum deferendi regnum Francicum, prouocarit ad Caroli M. Teſtamentum. Tantum abeſt, vt de eo dubitarit, vt quoque hic collocarit praeſidium cauſae. De Imperio Romanorum alibi pronunciauit aliter, quippe ex diuerſa cauſa quaeſito, adeo, vt a Romanis repeti poſſet, nec, alia lege conceſſum collatumque, videretur. In quo genere vulgo ſibi ſomnia fingunt imperiti hiſtoriae profundioris, cuius reconditae rationes Grotium non fugiebant. Diuerſum eſt Teſtamentum memoriae proditum ab Eginhardo, ad Caroli M. amicos et miniſtros ſpectans, quod inuenies etiam in Eginhardi nupera editione, Argentorati recuſa, cum plerique alii ſcriptores antiqui ibidem ederentur. Tantum vero tunc in lucem emiſſus eſt Monachus Egoliſmenſis, ſed teſtamentum Caroli, quod Pithoeus ſubiunxit, neſcio, quo conſilio, omiſſum fuit, quod magnam luculentamque antiquitatis partem ſane continebat. Vix dubitauerim, eum, qui edendi laborem ſuſcepit, Pithoei iudicio territum, quanquam non bona ſatis fide hic egiſſe

mihi

mihi videtur. De Pagio, non eſt, cur angaris, quippe qui non reſpicit Teſtamentum Caroli, nec prius, Egoliſmenſi ſubiunctum, nec alterum, quod deſcripſit Eginhardus, quinque poſt annis confectum. Ita, mea opinione, confecta res eſt. Caue enim, putes, eo anno, quo iſte obiit, Teſtamentum eſſe ſcriptum. VVimphelingus, quem, ne ſic quidem moleſtiis vacuus, euolui, annum diuiſionis Imperii non definit, in anno mortis deſignando aberrauit, quem Pagi recte conſtituit DCCCXIV. Eginhardum primus, quod ſciam, optime et caſtigatiſſime edidit Hermannus Comes Nuenarius, quem exquiras et inuenias, licet, apud Greenium, Amicum noſtrum. Vale, et ſaluta Nobiliſſimum Boernerum obſeruanter, litteraſque ad Illuſtriſſimam Friſiam cura. VII. Idus Febr. A. clↄ IↄCXXCVI.

CCLXXXIII.

HENRICAE CATHARINAE FRISIAE.

CRimen ſit oblitterare diuturni et conſtanter repetiti tui beneficii memoriam, et non fateri vltro tot propenſi et clementis animi ſigna, quae non ſemel, ſed iterum atque ſaepius, data et patefacta ſunt, vt ea, ſine ſummo et pietate expreſſo gaudio, recordari non poſſim. Illud vero non culpam, ſed imbecillitatem meam demonſtrat,

quod nihil hucuſque exſpectatione tua dignum exſoluerim, etſi, quomodo id facerem identidem cogitaui. Hinc taedium me ſubiit, dolorque inceſſit, vt prope me ſuppudeat meae conditionis, in qua partibus atque officio clientis ex aſſe non ſum perfunctus. Noui curas tuas, ſupra ſexum tuum graues, et prorſus faſtigio tuo pares, et, niſi id recuſas, quod merita poſtulant, etiam viriles, ac moris mentiſque ſimilitudine, et ſancto foedere, cum Illuſtriſſimo Coniuge tuo coniunctas atque conſociatas. Concede mihi, Domina, vt, quod grauiſſimus ſcriptor de Agrippina Auguſta dixit, id ſine aſſentatione laudibus tuis tribuam, quae tanta ſapientia et ſanctimonia, integro gentis tuae ſtatu, eluxerunt, vt nunquam, niſi honorifice, appellari, a me autem reuerenter et demiſſe recogitari, debeant, etiamſi digne appellandi et aſſequendi facultas deſit. Illud votis poſco, vt Tua Illuſtriſſimique Coniugis firma, et viuida florens que, aetas, integrum robur, vires animi, cum felicitate perpetua et ſumma, ne minima quidem ex parte langueant, ſaeculumque hoc ſine clade et luctu ſuperent, vt in vtroque veſtrum Germania perinde, ac Saxonia, decus et praeſidium habeat, ac ſpe non minus certa, quam conſilio ſalutari, fulciatur. Hoc, corruptis aeui moribus, gloriae

et

et ſanctitati veſtrae debetur, hoc animis votiſque coniunctis ſponte noſtra, ſine fraude et fallacia, optamus a Deo, hoc volumus atque ſperamus, huius rei cauſa perpetuo ſupplicamus, vt ſemper vtriſque vobis florentibus et ſaluis, ſincerum laetandi argumentum, mihi atque omnibus clientibus Gerſdorfiae et Friſiae domus relinquatur. De iuuene, quae ſcripſiſti, genere et ingenio nobili auctor ſim, vt Praefecto Quaeſturae Vitembergenſis, homini cordato et pereru-dito, Zahnio, commendetur. Victus ibi liberalis quatuor et viginti aſſibus conſtat, et Endii equites ibi perliberaliter habentur, rectoque exemplo viuunt. De me, peto demiſſe, Domina, Illuſtriſſimo Coniugi obteſtationem VValdecciae Principis exponas et commendes, qui, quatuor vel ſex hebdomadibus me tabulario Culemburgenſi admoueri, cupit, vt vita eius perſcribatur. Fac, propitia Domina. vt a *Sereniſſimo* id impetretur. Inſtitutum hoc quoque ad gloriam tuae gentis pertinebit, et ſimul his rebus fatri meo ad interiorem ſaeculi hiſtoriam via hic munietur. Ante menſem Auguſtum nihil ſuſcipietur, ſi quid tale liceat impetrare. Calouius noſter pridie diem obiit ſuum. A. cIↄ IↄCXXCVI.

CCLXXXIV.
EIDEM.

OBtemperat iuſſis tuis Zahnius, et Mezeradio, Equiti, conuictus ſui copiam facit animo libenti et prompto, ac putat, hanc teſtandi ſui obſequii peropportunam eſſe occaſionem. Tantum hoc celare non poteſt, quod locus non ſit hoſpitio idoneus, vereatur autem, vt ratio viuendi commodior id ferat. Ceterum in voluntate et ſtudio eius nihil deſideratur, aperit offertque menſam pretio haud nimis magno, neque excedente quatuor et viginti aſſes, cum alioqui triginta poſcere ſoleat, ſex tuo honori remittit, et obſeruantiam, quanto poteſt, officio declarat. Per te ſtat, Domina, conditio haec admittatur, nec ne, ſi tamen ex graui cauſa forſan diſpliceat, ſummi tui iudicii ratio habenda erit. Per hiemem, fateor, moleſtum eſt veſpertino tempore exire aedibus, et interdum, ob clamores concurſationeſque nocturnas, periculo non vacat. Ita vero demiſſus ſuaſor eſſem, vt Sennerti conuictui adhiberetur. Ibi et hoſpitium et menſa, eodem quatuor et viginti aſſium pretio patet. Nec carior conuictus eſt D. Bergeri, qui in vicinia noſtra habitat, et ſumma fide ac voluntate curat gentis tuae mandata. Quod reliquum eſt, partes, quas iuſſu tuo imponi mihi, ſentio,

nullo

nullo temporis articulo deferam, et mihi gratulabor, si Illustrissimae Tuae necessitudini et patriae, in expoliendo Mezeradio, operam diligentiamque probare possim. Deus domum inclutam, cum Illustrissimo Capite, seruet, atque eius consilio salutem publicam rara et inuidenda felicitate tueatur. Instant Germaniae pericula, et comparantur insidiae aduersus libertatem, et incomparabilis Herois prudentia, velut sol sparso radio nebulas, feliciter dissipabit. Id. Febr. A. clↄ lↄcXXCVI.

P. S. In posterum supplicabo spe meliore fiduciaque impetrandi abitus, vel tua etiam summa maximaque commendatione, nixus

CCLXXXV.
AMICO CVIDAM

Remitto librum, titulo *Quietis spiritualis* inscriptum, et duobus ac viginti capitibus comprehensum, quartum Romae, sub auspicio Casparis Campegnae, purpurati Principis, editum, multorumque, vt fama tulit, plausu exceptum. Genus scribendi *ascetico* homini conuenit, et blando quietis nomine securitatem, Christianis perniciosam, commendat, atque hoc sibi indulget, viamque ad ingredienda *Enthusiastarum* vestigia speciose satis munit. Vellem, Spenero Viro cordato et mode-

ſto, copia fieret eius libri. Mihi enim iudicium non ſumo, nec terminos aliorum mouere audeo, qui irati infeſtique ſunt, ſi vel de hoc ſtudio conatuque ſuſpicari poſſint. Ego mihi prudens tempero, et hominibus, in certamine laudem quaerentibus, relinquo. Loſchii Genealogiae, Italice ſcriptae, mihi perplacent, maxime ob breuitatem, legenti gtatam, et, quia ad recentiores familiarum viciſſitudines ſpectant. Victorius Siri res egregias ad hodiernam Europae faciem pertinentes, mea quidem ſententia, peropportune inſeruit. De Eugenio Garmunino, qui familias Tuſciae et Vmbriae nobiles reddidit, audiuiſſe te, puto. Alios non paucos, et valde diffuſos, magnaeque molis, libros ad hoc inſtitutum comparatos, nuper ex Italia ſecum adſportauit Princeps Anhaltinus Iunior, de quibus alia et opportuniori occaſione inter nos colloquamur. Hic, ne neſcias, Calouius ſuperioribus diebus e vita exceſſit, cui amplum funus decretum, nec multo poſt eſt elatum. Controuerſia in vicinia a iuuene Tranſyluano moueri coepit, quae Theologis ibidem crucem fixit, argumentum ex Philoſophia Morali ſumptum erat, hac formula conceptum: *Vtrum et quare Deus prae ſe ferat aliud, aliud animo deſtinet?* Illi ſtatim monſtra, haereſes, exſculpunt,

neque

neque materiam obligationum perſpectam habent. Non ſane omnis ſimulatio in vitio ponenda eſt, quod homines doctrinarum talium expertes non aſſequuntur. Sed ferendus eſt feruor, mala tamen exempla ſunt vitanda. Homo incautus in Spinoſae ſcripta incidit, atque, hoc duce, in praecipitia delatus videtur. Vale, XVI, Cal. Mart. cIↄ Iↄ CXXCVI.

CCLXXXVI.
CONSILIARIO CVIDAM,
Sax. EL.

DIfficilis impeditaeque ſunt VVittekindeae ſtirpis origines, quas nemo eruditorum, quos quidem ego ſciam, ſatis explicatas reddidit, vt prorſus acquieſcere poſſimus. Henningiſii tabulae vitiis ſcatent, et Reuſnerus eum plerumque ſequitur, nec, vt par eſt, rationes et momenta affert, cuius librum nactus ſum, in quo manu ſua non pauca emendauit. Quare ab hoc ſcribendi conſilio recedendum eſt, niſi tabularia et codices antiquitus ſcripti ſuppetant, atque idonea et fide digna teſtimonia afferantur. Saepe quidem obſcurius expreſſa ſunt veſtigia hiſtoriae veteris, ſed diligentius perquiſita quaerentem non fallunt, maxime, ſi Principum tabularia excutiantur. Inter huius rei exempla

 eſt

eſt propago VVittekindeo-Ditgremica, quae dudum eluxit, et, tot gentis noſtrae ſcriptorum conſenſu nixa, antiquitatem ſuam tuetur. Quamuis de iure et auctoritate familiae Saxo-VVettinenſis nihil detrahatur, ſi origines eius ab alia, quam a VVittekindea, arceſſantur. Pauci enim hodie Principatus ſunt, qui hanc felicitatem ſibi vindicant, vt continuata primorum acquirentium ſucceſſione fulciantur. Argumento ſunt Billingia, Supplinburgia et Aſcania, gentes, quae in beneficiariam Saxoniae poſſeſſionem a Caeſaribus inductae et confirmatae ſunt, etſi recta et virili ſerie a VVittekindo non deſcendebant. Ipſa etiam Saxo-VVettinenſis noſtra ad Ducatum et Septemuiratum Saxoniae euecta non fuiſſet, ſi Aſcania diutius ſtetiſſet et floruiſſet. Hac extincta, Sigiſmundus, Caeſar, non tam ius poſtliminii, quam alias graues valenteſque cauſas, reſpexit, et magis ſingularem Friderici bellicoſi, VVettinenſis, fortitudinem, ac fidem ſtudiumque erga rempublicam, quam alias antiqui generis VVittekindei rationes aeſtimauit, praeſertim, cum Lauenburgicus in Caeſarem admiſiſſet. Conringio, ceteroquin egregio et iudicii ſubacti viro, non fraudi ſit, haeſitaſſe in noſtrati familia explicanda, qui alibi non melius accuratiuſque de Thuringia

gia iudicauit, quam patrimonio D. Martini obnoxiam censuit, tabulis in tabulario nostrae arcis, quae etiamnum hic extant, ac superiore anno mihi visae sunt lectaeque, refellendus. Taceo de aliis, quae neque ad institutum spectant, modo id consequar, vt ab vnius dissensu non pendeat momentum causae. Alioqui mihi probatur haec generis VVittekindei series, vt Ditgremus, VVittekindi II, iunioris filius, Friderici frater, Tetmari pater constituatur. Quae in aularum parietibus et porticibus descripta sunt nomina et imagines plerumque a recentiori manu veniunt, et documentis tabularum iure cedunt, et merito deseruntur. Haec, Patrone, perpauca et vix adspectu tuo digna sunt, quae, pro summa in te obseruantia, respondere volui. Deus te, cum familia nobilissima. diutissime seruet, et contra saeculi mala firmum tueatur. XV. Cal. Mart. cIↃ IↃCXXCVI.

CCLXXXVII.
PHILIPPO IACOBO SPENERO.
Doct. Theol.

MAgna spes tui in Saxoniam aduentus est, nec dubito, quin Principis voluntati, patriaeque desiderio satisfacias, et Deo, te inuitanti, morem geras. Calouius, ille propugnator acerrimus, diem obiit, cuius

funus oratione, vt par erat, celebraui. Ante eum deceſſit Lucius; cuius ſumma pietatis fama, opinor, ad tuas aures permanauit. Deliberamus, angimur de ſucceſſoribus, nec, te praeter vnum, reperimus, qui vacuam Lucii prouinciam capeſſat. Sanctitas tua omnes trahit et excitat, hoc praeſertim tempore, quo virum habeamus, in cuius exempla intueamur. Nam perplures ſunt, qui prudentiae tuae ſacrum fructum capere geſtiunt, votiſque te poſcunt, diligunt et colunt. Obſequere fatis, et pleno gradu ingredere Saxoniam, ac pietatem non ſcriptis ſolum, ſed etiam rebus factiſque, inſtaura. Non ſtabit antiqua domus, niſi pia prudentique opera tua adminiſtretur. Tanto hic tutior, quanto remotior a Rheno, eris, et Deum hominesſque conciliabis, ſi facias, vt tuis conſiliis ne careamus. Quod ad pacis bellique negotia ſpectat, omnes Gallis finitimi metu perterriti ſunt, Heluetii et Bataui incerta euentus exſpectatione ſuſpenſi fortunam ſuam aeſtimant, Palatinus Manhemio timet, cuius occupandi non vana ſpes Gallos tenet. Anglia religionis cauſa diſcruciatur, et proſpicit Iacobi II. conſilia atque conatus, libertati graues prorſuſque inuiſos, ſed Regi Gallorum, amicitia foedereque ſubnixo, reſiſtere non audet: ſi aperte vim moliatur, omnes inſur-

insurgent, neque vero sic spe frustrabitur Gallus, sed Anglo etiam, factionibus distracto, nemine impediente, in vicinos ducet, potentiamque augebit. Vngariae quidem res stomachum ei mouent, recepto Noui castello, et fugatis barbaris, propterea, quod his rebus Caesar vires collegit, fortunamqne correxit. Neque, id non Dei beneficio accidisse, putandum, vt magno et terribili regno, vel vnus iste obex obiiciatur. Haec, quae, non monente me, animo tuo prouides, quale capiendum sit consilium, ostendunt, vt, pietati tuae condonatum existimes, idque adeo consolationi esse tibi debeat, cum in tam ancipiti rerum temporumque fortuna iam via atque aditus in Saxoniam muniuntur. Deus te familiamque seruet, et ope praesidioque coelesti firmet. Vale, decus, et spes solatiumque, Christiani orbis XII. Cal. Mart. cIↄ IↄCXXCVI.

CCLXXXVIII.
IOANNI GEORGIO ORTHIO,
Patricio Francofurtensi ad Moenum.

Accepi litteras tuas, et, quale consilium capias, intellexi, quod vt rectum fortunatumque tibi sit, opto, meamque in te amando fidem obstringo. Vnum miror, quod syngrapham non cures, qua idoneo modo

modo mihi caueatur. Itaque ſic ſtatuas, velle me his nundinis ſexaginta florenos imperiales Lipſiae tibi repraeſentare, quorſum ibit frater meus, et, apocham exſpectans, pecuniam ſine mora dinumerabit. Reliquum nundinis alteris Lipſiae perſoluetur, ſi mercatorem ea poteſtate inſtruas, vt denuo apochae copiam faciat, et nomine iuſſuque tuo confectum negotium reddat. Per te ſtabit, eligas, nec ne? ſin aliter res cadat, ac puto, difficiles et implicatae erunt rationes. Prudens haec ſcribo, et modeſte moneo, vt meo timori non tribuas, quod beneuolentia expreſſit. Cauſa vero, quam ob rem integra ſumma ad te non perferatur, celari te non debet. Celſiſſimus Princeps VValdeccius a Sereniſſimo Saxone impetrauit, vt Culemburgum ad tempus me conferam, tabulariumque eius perquiram, in quod iter magni ſumptus ſunt faciendi. Non enim animus in te iniquus, neque a commodis nobiliſſimae familiae tuae alienior, eſt, cum mihi nihil profecto gratius accidere poſſit, quam, ſi audiam, te et dignitate, et fortunis omnibus, florere. Calouius e vita exceſſit, Spenerus autem veſter, iudicio et iuſſu Saxonis, in locum demortui Antiſtitis Dreſenenſis ſurrogabitur, primo deinde Sacerdotum ordine conſilia ſacra moderaturus. Mihi nihil prius eſt, quam vt tibi in po-

in posterum magna honoris munerisque accessio contingat. Vale, et Magnificum tuum Parentem, nobilissimumque fratrem, saluta. Non. Martiis, A. cIɔ Iɔ CXXCVI.

CCLXXXIX.
DAVIDI PEVCKERO, EL.
Palatino a Secretis.

MAgni facio tuam amicitiam, cuius fructum sane insignem cepi, cum in Anglia essem, et tuum in me studium amoremque satis intelligerem, cuius in regia Vindsoriensi multa, nec obscura, indicia protulisti. Haackii, viri ad iuuandos exteros prompti, voluntatem et officium, pro eo, ac par est, aestimo, vel eo nomine, quod inter me et D. Camerarium conciliandae amicitiae rationes inire voluit, ac de litteris adeo et liberalibus doctrinis bene mereri. Peto abs te, quantis possum precibus, vt Patronus ille humanissimus, interposita fide tua, copiam faciat Codicis, quo commemoratur, Saxoniam ab Anglia accepisse Graecas litteras, iisque rem litterariam constituisse et expoliuisse. Ioachimus, ille magnus, Germaniae, iuxta cum Melanchthone, praeceptor, Papenbergae, quae hodie Bamberga est, natus, inde Lipsiam missus, atque in Petri Mosellani disciplinam traditus, ingenio et summa industriae conten-

tentione ad eruditionis faſtigium ſe euexit. A quibuſdam feruidi animi Viris male habitus, et in ſuſpicionem vocatus eſt, neque melius cum Melanchthone actum, cui ſumma familiaritas cum Ioachimo interceſſit. Quae tu opportunius et plenius ex Patrono cognoſces, ac, ſi occaſio ſic ferat, haud grauato perſcribas. De dignitate, Heidelbergae parta, iure tibi gratulor, et opto, vt, ſub auſpiciis noui *Electoris*, facili et expedito itinere ad maiores deinceps honores contendas. Mihi, quod ſerius reſcripſerim, veniam des, et iuſtae excuſationi locum relinquas. Breui ex Saxonia noſtra Equites, Bodenhauſius et Vizthumius, ad vos ſtudiorum cauſa commigrabunt. Patriae ſtatus, victore barbarorum Caeſare, indies melius conſtituitur, praeſidioque firmatur. Tantum finibus veſtris metuo, quod vicinus iſte praepotens, non patiens quietis, omnes eo vires conferat, vt vltra citraque Rhenum latiſſime dominetur. Sed, a veterno tandem excitati Germani paſſim ad reſiſtendum promti armatique ſunt, cum, de libertate agi, videant, quam ſummis viribus opibuſque tuebuntur. Id. Martiis, A. cIↄ IↄCXXCVI.

CCXC.

CCXC.
MATTHIAE MOLLERO,
Ephoro Isenburgensi.

FIlius tuus Ioannes auspicato redit, vita moribusque integer, quos mihi et senatui nostro, qua par est, industria, comprobauit, memor officii et partium, abs te impositarum, quas ita egit constanter ac sedulo, vt mea commendatione haud egere videatur. Quam vitae doctrinaeque rationem si deinceps sequatur et teneat, sponsor ero laudis non vanae et semper mansurae, cuius fructus ad patriam perueniat, et auctus cumulatusque ad sacram rempublicam redundet. Illud vero vt quamprimum eueniat, et gratulandi occasio mihi non desit, magnopere cupio, et hoc etiam pietati tuae vltro debere volo. Vitembergae, Id. Martiis, A. clɔ Iɔ CXXCVI.

CCXCI.
COLLEGAE CVIDAM.

SI hoc fortunae beneficio mihi eueniat, vt petitioni meae locum relinquas, laetabor, te datum delectumque Ordinis nostri Praesidem, qui me frustra petere non sinat, praesertim, quum ea res boni exempli est, et optimos quosque mouet, atque in primis ad ingenii gloriam pertinet, et honesta

neſta ratione excuſatur. Hoc argumento ductus, commendo tibi iuuenem, rectae indolis, nec doctrinae vulgaris, gente, inſigni, genere honeſto, Erfurti apud Thuringos natum, qui magnum tibi dat munus, et, velut Aeſchines Socrati, ſe ipſum offert, vt fructum laudis induſtriaeque tibi ſeruaret, teſtatumque faceret aliis, quantopere te coleret, atque obſeruaret. Quare ei viam aditumque ad honores patefacias, et conatum voluntatemque adiuuando confirmes. Non fallet, crede, opinionem tuam, nec committet, vt huius beneficii vnquam obliuiſcatur. Age vero, defendas dignitatem Ordinis, et inſtituto aequiſſimo aſſentiare. Quod ſi cadat, vt opto, et abs te confectum reddatur, vt par eſt, cuncti affirmabimus, te non ſecus, atque eximium artificem, inſigni et egregio opere laetari poſſe, XVI. Cal. Apr. A. cIɔ Iɔ CXXCVI.

CCXCII.
ALTERIVS NOMINE.

QVod familiare propriumque tibi eſt, de rebus magnis perapte et grauiter diſſerere, id praeclare abs te factum eſt, et vehementer placuit gratumque accidit, quod iuuenem lectiſſimum mihi commendatum reddidiſti. Optandum quidem eſſet, vt Socrates meo munere fungeretur, qui Aeſchi-

ſchinem reciperet, ſed tamen Socratici ſunt ſermones noſtri, et quae a maioribus accepimus, libenter impertimur, neminem inuidendo reiicimus, neminem negligendo impedimus, omnes adhortamur et erigimus conſilio et opera, ſi res facultatem habitura eſt, facimus, quod Socratici ſolent, et quod optimo cuique propoſitum eſſe debet. Vitembergae Saxonum An. cIↃ IↃ CXXCVI.

CCXCIII.
COLLEGAE CVIDAM.

NOn fraudi tuis negotiis ſit, quod ſemel atque iterum te appello, cum, id eſſe cauſae, intelligas, quod honeſtae iuuenum petitioni deeſſe non poſſim, ſciamque, te eo eſſe animo, vt adiuuando potius confirmare, quam negligendo impedire quemquam, velis. Conſilio vales, et ampliſſima auctoritate fungeris, et opera ſtudioque praeſto es omnibus, quotquot occaſioni imminent, et ſuo atque opportuno iudicio reguntur. Res, crede, facultatem habitura eſt, ſi auxiliis et copiis tuis eum adiuuare velis. Non vero is committet, vt maximam tuorum in ſe meritorum gloriam vlla obliuionis ſuae culpa in poſterum corrumpat. XV. Cal. April. A. cIↃ IↃCXXCVI.

CCXCIV.

FRIDERICO RVDOLPHI.

Duci Saxo-Gothano a ſecretis, et ſanctioris tabularii praefecto.

GRatum mihi officium eſt, quod in curandis ad me litteris nauaſti, et ſuperioris noſtrae conſuetudinis ſermoniſque recordari benigne voluiſti, cuius fructus tuo beneficio maximus ad me peruenit, adeo, vt nihil maius luculentiuſque mihi tribuere potuiſſes. Opto, Deumque obſecro Immortalem, vt te quam diutiſſime felici fortunatoque rerum ſtatu ſeruet, et aulae patriaeque ornamento eſſe iubeat, ac ipſa etiam poſteritas laboribus tuis, quibus nomen famamque illuſtras, non ingrata perfruatur. Libellus tuus argumenti et ordinis dignitate mihi perplacet, doctiſque merito ſuo ſe commendat, et imaginem perpoliti ingenii relinquit. Vix quiſquam alius magna orbis terrarum regna tam breui accuratoque ſcribendi genere tradidit, quod iure in laudis parte tibi ponendum, exiſtimo, qui tam ſuccincta et eleganti ſcribendi ratione exſpectationem fere meam viciſti. Tantum hoc audaciae, aut potius amori in te meo, concede, vt quaedam monere liceat, de quibus vel dubitandum, vel diſſentiendum, mihi videtur. Quod ne grauiter feras,

feras, peto, et, sequentia abs te recognosci, cupio, si denuo in lucem illud tam insigne et elegans opusculum emittatur. P. 25, Imperium Romanorum non condidit Augustus, sed C. Iulius Caesar, victo in campis Pharsalicis Pompeio, cum S. P. Q. R. in verba eius iuraret, tanquam veri Imperatoris. Hinc coniurati non Tyrannum, sed verum atque legitimum Imperatorem, occiderunt, propterea, quod pactione, iureiurando firmata, ei fidem obsequiumque adstrinxerunt, quod auctore Dione Cassio liquet. Fundauit ergo Caesar, vindicauit et ampliauit Augustus. P. 44, Francorum nomen iam ante Probum, vltimis Alexandri Seueri annis, coepit, id quod colligitur auctoribus Lampridio et Vopisco, scriptoribus historiae Augustae minoribus, illo quidem in Alexandro Seuero, isto in Aureliano. P. 45. primus Francorum Rex non fuit Marcomirus, sed Pharamundus, qui nomen titulumque Regis A. C. 417. accepit, quod argumentis certis, ex ipsis antiquissimis scriptoribus, possum confirmare. Iste Pharamundus recta serie descendit a Priamo, Franco, Patrem habuit Marcomirum, vt scribunt, et causae meae suffragantur, Rorico et Prosper, quorum magna est auctoritas, et fides non suspecta. Vulgus autem Priamum Francorum, nescio qua mentiendi licentia,

 aTro-

a Troianis, nullo idoneo hiſtoriae argumento, deduxit. P. 60, Iacobus IV. non coniunxit omnia Britanniae regna, ſed Iacobus VI, nimirum in ſerie Regum Scotiae, Primus in ordine Regum magnae et coniunctae Britanniae, quae ratio cauſaque eſt, quamobrem Iacobus hodiernus appellari debeat II in magna Britannia, qui VII eſt in Scotia, per ſe conſiderata. P. 47, Francia Germanica et Gallica, quae ſub Carolo M. coaluerunt, ab eius nepotibus diuiſae ac diuulſae ſunt, vt Ludouicus Germanicus in linea ſeparata Franciae Germanicae, Carolus Caluus Franciae Gallicae, Rex eſſet, neutra in alteram ius haberet, ſuis vtraque legibus vteretur. Ex propagine Ludouici Germanici vltimus fuit Ludouicus IV, Arnulphi filius, quo mortuo Conradus I, Rex Germaniae, non Imperator, eſt conſalutatus. Imperium Romanum ductu et auſpicio Ottonis M. partum eſt A. 962, cum ſuperiores Franci diu antea hoc ius Caeſareum amiſiſſent. P. 52, pro telonibus, ſcribatur, *teloniis* ſ. vectigalibus. P. 53, Alſatiam excepto Argentorato et X. liberis Imperii Ciuitatibus, nuper contra pacis conuentae formulam occupatis. Nam ſupremum *Aduocatiae* ius, et ceſſio ad eum modum facta, quo Alſatia penes Auſtrios fuit, non poteſt dare ius et ſupremum dominium in dictas

et

et nominatim exceptas vrbes. Quorſum legatur Pactio Pragmatica Monaſterienſis. Hic pace tua, finem facio, et pro Principe veſtro, aula, ſenatu vniuerſo aulico, pro te ipſo et familia, vota, quanta poſſum pietate, nuncupo, totumque me tibi ad obſequia trado. XIV. Cal. Apr. A. O. R. cIɔ Iɔ CXXCVI.

CCXCV.
ADAMO RECHENBERGIO,
Doct. Theol. et Prof. Lipſ.

VEhementer doleo ſuperiorem negligentiam, et tarde fidem libero, quam promiſſi religione adſtrinxi, et nemini magis, quam tibi, obligaui. Meierus noſter, bibliopola, me lactauit ſpe potiundi Gobelini, nec dum voti me compotem fecit. Quare rogo, vt in auctione Scherzeriana eum liciteris, et ſpondeo de pecunia mittenda. Aegre enim adduci poſſum, vt compago libri, quem ad me curaſti, diſſolvatur. Ius ſtatuendi tibi relinquo, et, ſi aliter fieri non poſſit, neceſſitati cedo. Illud autem magnopere peto, cumulum addas benignitati, et ex bibliotheca Scherzeriana mihi compares Apollonium Alexandrinum, Eunapium, et, ſi res facultatem habitura eſt, Eſpencaeum. Simul, atque res confecta erit, pecuniam ſine mora tranſmittam.

 Vale,

Vale, et tuo me patrocinio orna. Vitembergae Saxonum, XIII. Cal. Apr. A. cIↄ Iↄ CXXCVI.

CCXCVI.
IOANNI CHRISTFRIDO SAGITTARIO,
Sacrorum Altenb. Antiſtiti.

EXpreſſas numorum tuorum effigies non ſine laetitia vidi, induſtriamque tuam in colligendo maximam valde miratus ſum, cuius rei exitum promitto tibi proſperum, et ſumma cum nominis tui dignitate coniunctum. Nam, qui meus animus eſt, ingenue fateor, decus afferri patriae hoc tam inſigni diligentiae genere, quod in eruendis et exornandis Caeſarum, Principum, Antiſtitum, monumentis vtiliſſime verſatur. Nemo certiorem hiſtoriae fidem faciat, quam numus, qui titulos, inſignia, oſtendit, temporumque viciſſitudines non fallente indicio demonſtrat. Non errauerit, quiſquis viuum temporum actorumque teſtem dixerit, cuius approbandum permagna vis eſt, et ad ornamenta doctrinae cumulandae plurimum confert. Hiſtoriam perſaepe corrigit, et ſcriptores negligentiae ſeu arguit, ſeu admonet, quod in hiſtoria Henrici Aucupis vſu veniſſe mihi, recordor. Index et auctor mihi numus

eſt,

est, Henricum, Aucupis cognomine celebratum, non alio, quam Regis, titulo vti consueuisse. Huius filius Otto I, ante annum DCCCCLXII, perpetuo Regis titulum sumpsit, hoc vero anno, Imperatoris nomine, primo omnium mutauit. Haec atque talia ex numis didici, atque eo magis in pretio habui, quo certiora veritatis argumenta praebent, magisque ornant et instruunt rem litterariam, quae, si illis careat, non modo non culta et ampla satis, sed etiam prope mutila, mihi videtur. Numi, imaginem pomi praeferentes, aetatem suam produnt, nec Saliquorum tempora praecedunt, aeuo autem Hohenstauffiorum, Friderici I. Aenobarbi, et Friderici II. in primis sunt perfrequentes. Francorum numi,mea opinione, distinguendi sunt, ne Franco Germanici, qui a Ludouici Germanici tempore cusi expressique sunt, cum numis Regum Franciae Gallicae confundantur. Gratulor tibi de tanta numorum copia, et spero, confectum iri negotium, quod cum aliis usui, tum praecipue tibi ornamento,esse possit,vt sciat,aestimetque posteritas, tua cura, studio, labore,rem numariam,qua antiquitati seruit, maxime auctam fuisse ac nobilitatam. Deus te nobilissimamque familiam seruet, vires, firmitatem,

vt labori egregio ſufficias, largiatur. Vitembergae, Non. Apr. A. cIↄ IↄCXXCVI.

CCXCVII.

BENEDICTO KRESSIO,

Aerarii Miſenenſis Praefecto.

PEcuniam, beneficio Principis in annuum ſumptum mihi attributam, ſuperiori tempore tua ope auxilioque accepi, fortunaſque meas iſta tam luculenta acceſſione, in ipſo rerum articulo, firmaui. Tantum in eo culpam meam agnoſco, quod ſerius ad te litteras perſcripſerim, quae nominis cautioniſque vim habere poſſint. Sed quia de filii tui optimi diſceſſu intellexeram, non exiſtimaui, eſſe fraudi, ſi vel longior mora interponatur, et apochae conficiundae obligatio in aliud tempus differatur. Quare me purgo de mora, et doli, a quo longiſſime abſum, ſuſpicionem deprecor, aequamque ſententiam peto, ac tuae me benignitati totum permitto. Filius tuus hic bene moderateque vixit, temperatione, moderatione, diligentia, nemini conceſſit, pleroſque aſſiduitate vicit, ad extremum abiturus egregie ſtetit, ac diſputans talem ſe probauit, qualem volui diuque optaui. Promptum in loquendo et elegantem perſpicacem et accuratum in iudicando, memorem rerum, peritumque do-

doctrinarum, audiuimus omnes et collaudauimus, libentes etiam diximus fassique sumus, ingenium habere in numerato. Fac, Patrone, in posterum subleues filium, sumptibusque iuues, vt ad summum vsque laudis fastigium recte ac feliciter contendat. Ego nullam eius vel ornandi, vel praedicandi, occasionem facile omittam, vota demum ad Deum faciam, te familiamque, cum filio tam egregio et solide erudito, diutissime seruet, consilia tua, res, actiones, prosperet atque fortunet VI. Calend. Mai. A. cIↄ IↄCXXCVI.

CCXCVIII.

HENRICO MEIBOMIO,

Professori Iulio et Archiatro Guelphico.

QVae mihi tecum sancta officiorum necessitudo est, saepe cupio votisque expeto, vt labori tuo, qui ad decus patriae pertinet, fortuna respondeat, nec vlla tam ingrata posteritas sit, quin diligentiae laudem tibi rependat. Credo, magni aui tui cineres laetitiae quodam sensu affici, quum sentiunt, te auctore memoriam renouari tot superiorum laudum, tot meritorum in omni doctrinae genere cumulatissimorum. Par auo nepos, et idoneus adeo laudator, contigit, a quo nihil vulgare, nihil mediocre exspectamus. Fac, in huius incepti

gloria insistas, spemque nostram ita confirmes, vt superiora aeui monimenta etiam cumulatiora exeant, et, insigni accessione facta, magis magisque locupletentur. In hoc studio atque industria tua pono fiduciam, et acquiesco libens, ac, nisi fallor, iam tum praesentio gratae iudicium posteritatis. Nostrae ceteroquin res hic modicae sunt, Calouii, in cuius funere dixi, neque enim officium defugere potui, iacturam sarciet Bebelius, Sacra Principis EL. moderabitur Spenerus, vterque virum moderatum Saxoniae nostrati spondet, vt vel sic longae istae et difficiles superiorum temporum lites opportune tandem finiantur. Dissertationes tuas, scite accurateque scriptas, magnopere aestimo, et, vt par est, crebris sermonibus vsurpo, ciuibusque semel et iterum commendo, vt non vanam, elimatamque eruditionem consequantur. Vtinam vero, gratiae referendae mihi locus esset! sed haec me spes frustratur, quando obruor priuatis laboribus, taediaque haec praesenti animo nunc fero, spero autem, fore, vt in posterum, superatis huiusmodi molestiis, par pari referatur. Ita te Deus Immortalis familiamque tuam seruet, augeat, fortunatamque praestet. Vitembergae Non. Mai. A. cIↄ IↄCXXCVI.

CCXCIX.

CCXCIX.
ADAMO RECHENBERGIO.
Doct. Theol. et Prof. Lips.

OMnia, quae volui, nauiter et recte abs te curata sunt, nec habeo, quod vicissim tibi gratum faciam, occasionem tamen vehementer exspecto, qua et referre gratiam, et amorem tuum digne aestimare, possim. De Apollonio Alexandrino mihi prorsus satisfecisti, cuius et habendi, et legendi, desiderio iam diu tenebar. Scholiasten Sophoclis possideo, nec veterem illam editionem refugio, pecuniam soluet auriga. Gobelinum, quaeso, aere meo emas, vt fidei meae ratio tibi constet. Angor et doleo, cum moram recogito, sed tuae humanitatis est, accipere in meliorem partem. Fefellit promissa noster, qui comparandi eius spem fecit in quem, velim, culpa transferatur. Ziegleri de *Episcopis* librum recensere, vt primum licet, exopto. Religio enim sit, negare quicquam tibi, et nobilissimae societati vestrae, pro summa animorum voluntatumque nostrarum consensione, et mea etiam fide obseruantiaque, nullo temporum statu oblitteranda. Pufendorfii Historiam oculo fugitiuo percurri. Minas, opinor, non timet, ipse causae suae

ſnae idoneus vindex futurus, Vitembergae, Id. Iun. A. clɔ Iɔ CXXCVI.

CCC.

BALTHASARI BEBELIO,
Doct. Theol. et Prof. Publ. primario deſignato.
Nomine Academiae Vitembergenſis.

SImul ac litterae tuae ad nos perlatae ſunt, magno, vt par eſt, gaudio affecti ſumus, cum, quod plenum humanitate animum, tum, quod inſtitutum quoque tuum ad nos proficiſcendi ſignificarent. Erigit nos ſpes aduentus tui, quem laetum fortunatumque eſſe, volumus, nec dubitamus, quin e re Academiae ſit, ſi tam vſu et conſuetudine vitae, quam mutuis inter nos officiis, arctiſſime, in poſterum coniungamur. Nos igitur, pro eo, ac decet, fauemus honori tuo, daturi operam, vt intelligas, nos et complectendi, et recipiendi, tam exoptati hoſpitis atque Collegae deſiderio teneri. Id proſperis aeque tuis, ac noſtris, rebus eueniat, vt coetus Dei in his regionibus, nulla corruptela deprauatus, tuo pariter, et religioſi Speneri, conſilio integer floreat, ac maiora deinceps incrementa, auſpicio Saxonis noſtri, conſequatur. Vitembergae VII. Cal. Quinctil. A. clɔ Iɔ CXXCVI.

CCCI.

CCCI.

AMICO.

LIbrum ſuperiori die non ſine quaerendi moleſtia repertum, tibi reddo peramanter et promte, nec idonea ſemper accurataque temporum ratione confectum, et quod non grauato audies, ex Chriſtiani Matthiae Theatro, atque ex Boxhornii Chronologia deſcriptum. Tantum abs te peto, ne moram mihi in vitio ponas, et in amore erga me tuo perſeueres. De me ſtatuas, nullam inſeruiendi occaſionem praetermiſſurum. Vitembergae Saxonum, A. cIↄ IↄCXXCVI.

CCCII.

PHILIPPO IACOBO SPENERO,

Doct. Theol. Sax. EL. *a Sacris, et in ſummo Senatu Eccleſ. a Conſiliis.*

Nomine Ordinis Philoſ. Vitemb.

VIcit pudorem noſtrum gratulationis officium, cuius cum multae rationes, graueſque cauſae, nobis extiterunt, tum in primis ſumma tua humanitas, aequiſſimuſque erga litterarum ſtudia animus, nos erexit, vt obſeruantiam noſtram aliquo ſaltem et euidenti, eoque publico, argumento notam teſtatamque faceremus. Praeterquam enim, quod felix aduentus tuus incredibile gau-

gaudium nobis attulit, altiſſimus quoque dignitatis gradus, in quo diuina ope collocatus es, nos recreauit plurimum, atque in ſpem nouae felicitatis, tuo ductu conſilioque obtinendae, omnes adduxit. Communis haec laetitia eſt, ſed maxime ad ordinem noſtrum, pertinet, qui cum ſuauitate litterarum, et manſuetioribus ſtudiis, rationem habet, vnuſque praecipue tuo praeſidio eget. Patiaris ergo, ſumme Venerande Vir, nos eo eſſe loco, quo fuerunt omnes, quotquot ante nos doctrinas liberales pari fide, ac diligentia, hic tradiderunt, quippe qui beneuolentia ac ſuffragio AntiſtitumSenatus veſtri ſummopere floruerunt. Enitemur, vt quam docendi rationem ingreſſi ſumus, tuo in primis iudicio approbare cupiamus, nemini certe in te colendo vnquam concedamus. Seruet Te Deus Immortalis, ac nihil praeter optatum euenire ſinat, vt cum Dei coetus, tum Academia noſtra, perbenigno tuo, quod ſperamus, auxilio fulciatur, fructuſque curis atque laboribus tuis multo cumulatiſſimus reddatur, nec minus ab aetate noſtra, quam a grata poſteritate, dignis conſentientibuſque ſermonibus celebretur. Vitembergae, Prid. Cal. Sextil. A. clↄ IↄCXXCVI.

CCCI.

CCCIII.
THEOLOGO CVIDAM.

NOn poſſum deeſſe Heineccio, Gedanenſi, qui, me ſpei petitioniſque ſuae interpretem eſſe, voluit, viam aditumque ad Te, Magnifice Vir, me adiutore, ſibi muniturus. Equidem praeclare ſcio, me non eo eſſe loco, vt meae commendationi permultum tribuas, qui nulla officiorum parte te mihi deuinxerim, ſpero tamen, fore, vt iuueni, honeſtis natalibus orto, et pio modeſtoqu ciui noſtro, ac meo etiam auditori perquam gnauo, bene cupias, eumque ornandum pariter, et tuendum ſuſcipias, vſumque ſtudii ſacri, vt obnixe petit, commonſtres. Hominem aeque gratum, et clientem ſempiternum, tibi permitto, qui nihil non velit et agat, quod ſciat tibi eſſe acceptum. Ita Deus te, Magnifice Vir, reipublicae ſacrae, et intemeratae religionis parenti Saxoniae, quam diutiſſime ſeruet, et nihil, niſi ex ſententia tua euenire ſinat ac iubeat, omnia demum voto maiora tibi et nobiliſſimae familiae conſtanter ac perbenigne largiatur. Vitembergae Saxonum, Id. Sextil. A. cIↃ IↃCXXCVI.

P. S. Budae expugnatio optanda et metuenda eſt, ſed optanda magis, vt limes Chriſtiani orbis contra barbaros muniatur.

Coe-

Coetum emendatum, qua ad nos pertinet, inſpiciat ac moderetur Deus.

CCCIV.
IOANNI GEORGIO ORTHIO,
Patricio Francofurtenſi ad Moenum.

EXiſtimo, res tuas adhuc eſſe proſperas, et nihil de meo in te amore imminutum volo, tantum peto, vt haud grauato formulam mutes, et, qua par eſt ratione, tuarum nomine expenſarum tibi ſatiſfactum, declares. Nam, ex quo capite non coactus ſoluam, id ſigillatim et expreſſe definiri oportet, nec ferri poteſt vocabulum, quod noſtro loquendi more publica negotia complectitur, et priuatorum rationibus non perinde accommodatur. Tibi vero id excidere nolim, me ea lege, quod reliquum eſt, ſoluere conſtituiſſe, vt verba apochae mutentur, et, prout in ſchedula Germanica ſcripſi, ordinentur. Caput et cauſa debendi perſpicue nominari debet, vt morae tergiuerſationique occaſio praecidatur. Buda capta, Caeſarem deinde in ſpem belli, contra Gallos felicius gerendi, erigit, nec dubito, quin ex huius expugnatione vrbis pendeat recuperatio Argentorati, quo Rheni pariter et Germaniae, fines, aperiuntur. Filius Pr. EL. veſtratis in obſidione fortiter ſtetit, Boii, Saxones et Brandenburgici, nihi-

nihilo ſegniorem Caeſari operam probarunt. Quod bene vertat Auſtriae, pium iuſtumque aduerſus barbaros bellum gerenti, vt alias ſuper alias Auguſti victorias audiamus. De Hamburgo, non eſt, quod metuamus, vicini Principes pro ſua quiſque parte parati ſunt, nec committent, vt tam pinguis bolus deuoretur a Danis. Falluntur, ſi Gallico ſe metiuntur modulo, et idem apud Albim deſtinant, quod Galli apud Rhenum confecerunt. Diſſimiles vtrinque vires, nec ſucceſſus par futurus. Quid de Geneua futurum ſit, omnes anxii exſpectamus, nec facile adducimur, vt credamus, Heluetios tam ignauos fore, vt, clauſtrum hoc, quod aditum ad ipſos munit, eripi patiantur. In Anglia res conuerſae ſunt, Londinum, populus, faſces ſummiſit, religio, libertas, nutant. Sueonum Rex pleno imperat iure. Vngari, capta regni ſede, in modum prouinciae habebuntur, reſciſſis priuilegiis, quae tumultuando amiſiſſe cenſentur. Religionem Deus reſpiciat, et, nihil conſcientiae eorum graue ac repugnans fieri ſinat. Populus, qui libertate ſua vti non poteſt, in obſequium redigendus, ac, niſi aliter fieri poteſt, armis coercendus, et libertatis poſſeſſione mulctandus, religio, qua is cum Deo coniungitur, non auferenda, quae non hominis, ſed Dei, imperio continetur.

Ii Plus

Plus nocet Gallia, quam quis nocuit vnquam quippe quae religionem Protestantium, ex Gallia eiecit. nec melius agit cum locis tractibusque in Germania occupatis. Sententia Furstenerii, ita statuentis: Satius esse, amitti Viennam, quam recuperari Budam, ob inualescentem Galli potentiam, et metum communem, nunc plane mutata est, et recte mecum sentit Vir quidam harum rerum peritissimus, quod cum arbore Austriae omnes rami, id est, omnes Principes, decidant, si illius tam altae radices excidantur. Vinculum amoris erga Caesarem, et metus erga Gallum est Argentoratum. Spenerus hic et in aula summopere colitur, et conciones eius quasi oracula aestimantur, passimque describuntur. Tu, quaeso, faue et vale. Vitembergae Saxonum, Nonis Sept. A. clↄ lↄCXXCVI.

CCCV.
PAVLO BORNEFELDIO,
Patricio Lubecensi.

BElle cecidit, quod tam celeriter finitum, quam inopinato coeptum est Hamburgense bellum. Caesaris melior fortuna magnam patriae spem facit, et Galli sociorumque eius, consilia conuertit. Ne Deus sinat, vt claustra Imperii et propugnacula libertatis Germaniae eripiantur. Si pauci

de

de plebe peccant, non continuo in omnes vindicandum. Murus libertatis, et munimentum aequabilis iuris, eſt magnus et peramplus ille inferioris Saxoniae tractus, in quem deſcripti, diſtributique ſunt praepotentes, et conſiliis viribuſque coniuncti, Principes, non paſſuri, vt vnus tanta, et tam opulenta vrbe potiatur. Cum primus eius rei nuncius afferretur, Antiochi et Philippi, regum, res geſtas, conſilia, mores, inſtituta, euentus, ex Polybio ediſſerebam, et ſimilitudine quadam hodiernas imperandi rationes, et imperantium exempla, illuſtrabam. Quid priuatim ſentiam, proloqui fas non eſt, ſed coram aliquando audies, ſi Deus volet. Buda capta Caeſar frenos barbaris iniecit. Reſtat, vt caſtrum Eſſeckianum cum ponte in Caeſaris poteſtatem redigatur, adituſque regni muniatur, et Tranſyluania regno veteri, a quo ſeceſſit, coniungatur, Danubii ac Tibiſci, Draui item et Saui, imperium proſpere ac plene recuperetur. Illuſtriſſimi Roſencranzii ſchedas haud grauato mitte, et, ſi libet, coram Roſcio, vt iocaris, non timide in poſterum ſalta. Frater tuus, bene liberaliterque habitus, de ſtatu noſtro et conuictu plura nunciabit. Finem igitur facio, et me tuae, quam expertus ſum, beneuolentiae permitto. Deus te ſeruet. Vi-

tembergae Saxonum, XVI. Cal. Octobr. A. clↄ Iↄ CXXCVI.

CCCVI.
IOANNI VALSTADIO.

TVus et bona indole, et praestanti ingenio, Constantinus, iussu tuo patriam repetit, nec sine laudis et diligentiae fructu ad vos redit. Nihil, quod sciam, in se vnquam desiderari passus est, ac piam modestamque vitam, iuxta cum popiari suo egit tam constanter, quam circumspecte. Nunquam in senatu nostro stetit, quia nihil admisit, quamobrem in ius vocaretur. Solas, quanta potuit industria, obiit, et viros in omni genere clarissimos insigni ardore animi audiuit, et dicta eorum libens excepit, atque in animum demisit, neque fuit quisquam ex Patrum ordine fuit, qui non vltro eius vtilitati deseruiret. Pridie, quam hinc discessit, festo solemnique ritu Caesaris victoriam celebrauimus, fusis fugatisque barbaris insignem. Actum, crede, fuisset de vestris finibus, nisi iste rerum Austriacarum successus ambitiosa Galliae consilia conuertisset. Venio in spem, fore, vt posthac communis patria bonis et melioribus coniunctisque consiliis erigatur ad expellendos, qui libertati insidiantur, qui patientia hucusque et discordia nostra

tos. Bellum Hamburgenſe quam inopinato coepit, tam repente confectum eſt, non paſſuris Saxoniae Principibus, vt tam opulenta et valida vrbs in poteſtatem Dani redigatur. Plura aliquando, coram, ſi ad vos, vt ſpero, ſaluus et incolumis veniam. Vale. Vitembergae, Nonis Oct. A. clↄ lↄCXXC VI.

CCCVII.

PHILIPPO IACOBO SPENERO,

Doctori Theologo Pr. EL. Sax. a concionibus aulicis primariis et a Conſiliis Eccleſ.

DVae mihi cauſae ſunt, quamobrem tibi, Vir Magnifice, gratulari debeo, altera, quod partam in hac regione ſummam ſacri ordinis dignitatem, aliquot abhinc menſibns ſuſceptam, firma cum felicitate ac valetudine teneas, altera, quod filiam optimo ampliſſimoque Viro elocaris. Cuius gaudii fructum quam diutiſſime capias, et patriae ſacris rectiſſime praeſis, nec minus honori ſtudiorum faueas, quae praeſidio egent, ac tuae in primis bonitati ſe commendant. Sed vna de cauſa maxime doleo et angor, quod decus Academiae, et exemplar pietatis ac modeſtiae, nec opinantibus nobis, ereptum eſt, Bebelium dico, quem Deus oſtendit nobis, et iratior

abſtulit, magno tuo incommodo, et rei Chriſtianae damno. Haud ſcio, an vulnus tam acerbum emendatus Dei coetus acceperit vnquam. Enim vero, amiſimus virum, cum quo pietas et felicitas Academiae concidiſſe propemodum videtur. Sed ferendum eſt, quod Deus, a moribus noſtris alienior, conſtituit, cui repugnare non licet. Vnicum in te ſolatium nobis ſupereſt, quem DEus ſeruet ad tuendum rei Chriſtianae ſtatum, quatenus pietate et ſanctitate continetur. Illud ad vltimum abs te peto, Magnifice Vir, cauſam meam agas in ſenatu ſacro, et, pro facienda itineris in ſex hebdomadas poteſtate, ſuffragium feras. Rogat, qui bene tibi cupit, Princeps VValdeccius, qui mihi perbenigne ſcripſit, et, quinque abhinc annis, eam in ſententiam Saxoni ſupplicauit. Admouebit me reuiſendis Culemburgi tabulis, et litteris ſanctioribus excutiendis, quam operam et vtilem et honorificam mihi fore, credo. Deus te ab iniuria temporum, maliſque omnibus, aſſerat, conſilia denique, et ſpes reſque cunctas, fortunet. Vale, coetus ſanctioris praeſidium et decus. Ordo noſter obſeruantiſſime ſe tibi commendat, et praedicat ſingularem in reſpondendo beneuolentiam, cuius in gratulatione nuper interpres fui. Vitembergae Id. Oct. cIↄ Iↄ CXXCVI.

CCCIIX.

CCCIIX.

PATRONO CVIDAM.

IOannes Conradi, Megapolitanus, vitam pie actam diligentiae et modestiae laude, vt Patribus, sic mihi, quem in antiquitatis studio elegit ducem, sigillatim approbauit, nec modo artes liberales, quas in patria auspicatus est, sed etiam sacras litteras, sedulo didicit, atque his praecipue totum se tradidit, cuius instituti perficiendi causa, huc potissimum venit. In scholis *Theologorum* assidue versatus est, quod doctores meritissimi Quenstadius, Deutschmannus et Mayerus, eius industriae testes et arbitri, ingenue mihi affirmarunt. Quo testimonio ornatur, viros quosque grauissimos sibi conciliauit, eaque de causa Zieglerus, ICtus noster, ipsum, cultus vitae capiendi causa, Dresdam dimisit, et Raschio, principalium negotiorum curatori, obnixe commendauit, perspectaque eius indole ac doctrina effecit, vt filiorum studia regeret, exemplisque instrueret et ornaret. Quo munere, vt par est, functus, patriae reuisendae consilium cepit, fructum, quem in Saxonia et Misnia, Vitembergae et Dresdae collegit, magno laudis quaestu in patriam relaturus, et Serenissimo Principi pietatem aeque, ac obsequium, testaturus. Nemo Patrum du-

bitat, quin magnum exinde commodum ad coetum Dei, ducatumque Megapolitanum, deinceps redundet, id quod Patres Academiae, nemine excepto, volunt ac optant, et ciui huc vſque ſuo, in omnibus vitae doctrinaeque partibus, integro et recto, bene precantur. Vitembergae Saxonum. XVI. Cal. Nouembr. A. clↄ iↄ CXXCVI.

CCCIX.

AMICO CVIDAM.

TVam potiſſimum ſequor auctoritatem, et ſimul expono conſilium itineris, quod defugere nequeo, verſus Culemburgum ſuſcipiendi. Annitere, quaeſo, auctoritate tua, et Principem idoneis rationibus moue, vt poteſtatem mihi faciat. Scholae tuae, quas repetis, Mathematicae meis mixtae ſchedis, confuſaeque, iacent, quas explicare ſimul et ordinare tam breui temporis ſpatio non poſſum. Igitur moram concede, et negotium hoc fidei popularium tuorum, qui hic verſantur, committe, quibus tradam, quicquid reliquiſti. Frater meus, qui idem optat et vrget, ſaluere te iubet, et in patriam reuerſuro nihil non furtunatum tibi, tam egregio et veteri amico, precatur. Rectoris tabulas, ad commendationem tuam pertinentes, curaſſem libenter ac prompte, ſi quis ciuium tuorum me inter

terpellasset. Semper, vbi opus erit, potestatem huius rei impetrandae tibi facio, et quicquid laudis tuae causa possum, vltro susscepturum me recipio. Steinheilius, dignus te successor, petit, vt omni, quo par est, modo eum iuues et instruas ad prouinciam, qua decedis, capessendam. Est modestus, et Graece doctus, et mihi percarus. DEus te seruet. Vitembergae XVI. Cal. Nouembr. A. clↄ Iↄ CXXCVI.

CCCX.

AMICO.

FElix fortunatusque rei Christianae annus fuit, quo domi et militiae respublica bene administrata est, barbari hostes disiecti sunt, ac dissipati, nec Rheni Mosaeque fines turbati. Cum vero laetum faustumque litteris honorem haec tempora promittant, accipe omen negotii prospere successuri, et crede, Musas tutum hoc tempore praesidium habituras. Caio gratulor, et tua causa gaudeo, idque me facere, aequum est, ob summas et singulares tuas virtutes. Nunquam committam, vt vel in agnoscendis, vel in colendis, tuis meritis alicui concedam. Si qua in re gratum facere tibi potero, enixe id agam, nullamque tui ornandi occasionem deinde praetermittam. Vitembergae Saxonum. IIX. Calend. Nouembr. A. clↄ Iↄ CXXCVI.

CCCXI.

A M I C O.

GRatulor solennia nuptiarum feliciter peracta, et Deum oro ac veneror, vt sine numero ac fine tuam cumulet felicitatem. Quid actum continuatumque sit, vide, vitio describentis famuli ignosce, et mihi faue. Vitembergae Saxonum A. clɔ. CXXCVI.

CCCXII.

PAVLO BORNEFELDIO,

Patricio Lubecensi.

VAlde laetor, te, multis officiis et fa- miliaritate mihi coniunctum, studere tu- is commodis, et cupere enixius, vt libri, quos dudum expeto, tua in primis cura et labore primo quoque tempore ad me perferan- tur. Vicissim, si se dat occasio, gratum tibi faciam, et quoad omni studio possum, habebo rationem tuae dignitatis. De belli Danici, quid prorsus sentiam, scribere non facile ausim, hoc tamen affirmabo, tiones vrbis, quas ego quidem cognitas ha- beo, longe esse firmiores, quam vt vllius specie conuellantur. A Schauenburgi idoneo et habili gentium titulo, ta est, in quorum ius Dani Oldenburgi gentis successerunt, nec plus

potuerunt, quam illi, cum cederent, habuerunt. Nulla quies inter populos ſit, nulla tranquillitas vnquam ſperetur, niſi pacta ſancte inita valeant, maxime ea, quae ceſſione voluntaria nituntur. Multae vrbes, a poteſtate imperantium exemptae, et recto iuſtoque modo in libertatem vindicatae, vel ſola poſſeſſione ac diuturnitate temporis ſe defendunt. Argumentis et exemplis ſuperſedeo, ne epiſtolae modum excedam. Fratrem meum generoſo Domino a Borne commendabo, de quo non magis ſpero, quam ſpondeo, virum omni liberali doctrina inſtructum, qui illuſtri reipublicae operam probet, grato et obſequenti cliente dignam. Primum conatus ſpecimen in tabulario Culemburgico, me auctore et duce, edet, tu fac, honeſto abs te ſimul vitae et indolis teſtimonio ornetur. Ita te propitium Numen benigne reſpiciat ac tueatur. Vitembergae IX Cal. Nouembr. cIↄ Iↄ CXXCVI.

CCCXIII.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,
IC. Dreſd. et Conſiliario.

DVdum quidem peregrinandi me taedium cepit, ſiue ſatietas tenuit, nec tamen poſſum, quin ipſe mihi reſiſtam, et vnum hoc ab Illuſtriſſimo Senatu veſtro petam, vt poteſtatem mihi faciat itineris, Culembur-

burgum versus instituendi. Vrgeor litte-
ris ac fatigor, nec scio, quemadmodum me
expediam, praesertim, cum, sub conditione
missionis, ad breue tempus impetrandae,
iturum me, receperim superiori anno, cum
saepius ea de causa interpellarer. Offert
aperitque mihi Princeps VValdeccius o-
mnes schedas et epistolas in tabulario Cu-
lemburgico perspiciendas, nec minus
bibliothecam, ab Henrico V. Volrado o-
non paruo pretio comparatam. Videtur
mihi tandem, etsi alieno et difficili huius an-
ni tempore, occasio haec arripienda, quam
adultum vsque autumnum differre vo-
finitis omnibus tam publicis, quam pri-
tis, commentationibus, quae me adhuc
pediuerunt. Fratrem mihi comitem
iungam, vt, me duce et magistro, sensim
que his interioribus studiis praepa-
Concede mihi, Patrone summe, vt qu
vel sex hebdomadum interuallo
Musis mihi liceat, vt maioribus subsidiis
namentisque cumulentur. Faciam,
fugiat, si quid reconditum imp
selectum. Multa, fateor, ab illo Prin
didici, qui me familiariter, ob litte
storiarumue elegantiam, amat.
gessit, a primis vsque annis, in Se
ne, in Germania, Belgio et Hun

mihi rerum suarum interpres enarrauit. Tabularium VValdeccium aperuit, in quo multa reperi, et contemplatus sum, quae alibi frustra sperem. Princeps aetate confectus, et de Germania consilio ac manu bene meritus, iam A. cIↄ Iↄ CLXXX. in hanc sententiam Potentissimo Saxoni, Hero meo, supplicauit, quarum, opinor, litterarum exemplum redux ad aulam misi. Ego vicissim, si quid possim, gratum faciam, et pietate atque obseruantia tuum, vt par est, nomen etiam foris colam. Deus Te, Magnifice Vir, cum nobilissima familia, incolumem et bonis omnibus affluentem seruet. Vitembergae, X. Cal. Nouembr. A. cIↄ Iↄ CXXCVI.

CCCXIV.
CHRISTIANO KOCHIO,
In Regio Visinariensi Tribunali Assessori.

QVod mihi superiori mense negotium mandasti, id libenter suscepi et, qua par est, industria curaui, hominemque eruditum pariter, et moratum, delegi, qui, mea quidem opinione, has partes ex animi tui sententia, et ex filiorum vtilitate, agat. Ciuis est Torgauiensis, multa familiaritate officiisque mihi coniunctus, litterisque humanioribus mediocriter excultus, et in historia ciuili diligenter versatus, ac iuris etiam studio deditus, sine mora, si velis et iubeas, Vismariam abiturus.

Ex-

Exemplum epistolae, quam ad me perscripsit, mitto, copiamque iudicandi facio, ne quicquam temere statuam, totiusque adeo rei huius arbitrium tibi permittam. Quod reliquum est, nihil enixius cupio, quam, vt commodis filiorum, in quibus spes tua sita est, consulere queam, cum, vt tuae voluntati prompte obsequar, tum, vt dignitatis tuae rationem habeam, quae prorsus ad cultum obseruantiamque tuae gentis spectat. Seruet te Deus rei christianae propitius, sub auspicio et tutela fortissimi Regis, qui summo et incredibili consilio, et pari ac diuina magnitudine animi, regnum, superiori tempore afflictum instaurauit, et potentiae inter vicinos aequabili modo tenendae exemplum praebuit, nec se a partibus Imperii disiunxit, cum maxime praesidio egeret barbaris ad exilium Christiani orbis, conspiratione Gallorum, excitatis. Quae tempestas, fortunante Deo, transiit ac dissipata est, Buda capta, et nomen Austrium victricibus signis prolatum, vt, qui, funditus illud perire, optabant, meliore iam successu attoniti, alieno paullatim abstinere, et cupiditates continere quodammodo et coercere, metu magis, quam studio et amore nostro, videantur. Respiciat Deus aequissimum fortissimumque Regem vestrum, et meliori causa adiutorem et socium, ac ple-

no auspicatoque iure nunc demum regnantem. Dubiae temporum rerumque vicissitudines Martium iustumque Carolum flagitant, ad cuius felicitatem spes, studia nostra, spectant, vota omnium diriguntur. Vale, Magnifice Vir, et honori meo faue. Vitembergae Saxonum, Nonis Nouembr. A. clɔ lɔCXXCVI.

CCCXV.

A M I C O.

Reliquum laboris transmitto, petoque, vt aequi bonique consulas, et, quod libenter suscepi, nec tamen sine mora, inuitus licet, confeci, recenseas, mihique, Culemburgum abituro, faueas, et conatus atque studia mea probes. Si reuertar, de itinere, et rebus aliis, vt par est, te certiorem reddam. Vale, et, nisi graue est, data occasione, has pagellas ad Tenzelium cura, ac diu prospere et feliciter ex animi sententia age. Vitembergae Idib. Nouembris, in ipso procinctu. A. clɔ lɔCXXCVI.

CCCXVI.

IOANNI GEORGIO GRAEVIO,

Polyhistori Batauo.

Peracerbe doleo, colloquium, inter nos Traiecti coeptum, opinione citius finitum,

tum, propterea, quod, a nauta interpellatus, non poteram non vti commoda abeundi occasione. Aliquoties in congressu, cum nostratibus consiliariis instituto, honori tuo, vt par erat, libaui. Fratri meo, quaeso, auctor sis humanitatis porro excolendae. Nolim festinet iter, quod ad iurisprudentiam ducit, spretis sane litteris, quibus solis et vera iurisprudentia continetur. Illa verba ipsi oracula erunt. Ego prius, quam abeam, nisi, animi causa, ad nos excurram, certo te visam et salutabo. Maxime autem de rixoso illo tecum loqui, qui, nisi fallor, somniat in libero et litterali sapientiae regno dominatum. De morte *Electoris* Colonienfis perfertur fama, vtinam faustae rerum Germanicarum omine! Caesar, fortuna et victoria firmus, aduigilabit. Bucardus, ludi Culemburgici moderator, tibi sua studia approbare cupit, quem, vel ob Camerarianam prosapiam, commendabo, ne putes, eum esse, qui mereatur. Vale cum familia nobilissima, et me ama. Deus te Calendas Ianuarias feliciter auspicatum benigne seruet. Ex noua arce apud Tolbantios, ipsis Nonis Ianuariis, A. cIↄIↄ CXXCVII.

CCCXV

CCCXVII.
EIDEM.

OMnino tricae ſunt, quae me in dies implicant magis et impediunt, iamque diu inuitum retinent, et, neſcio quid, inamoeni habent. Sed omnia prius experienda ſunt, quam e tricis me expediam, quibus aut parum ſuauitatis ineſt, aut non magna cum artibus neceſſitudo intercedit. Tranquillitatem animi in ſtudiis et quiete pono, et, quoad licet, a negotiis recedo, ac penitus abhorreo, ſi quidem taedio aut periculo non vacant. Saepe tamen aliquid ſuſcipiendum eſt, quod honeſta ratione recuſari non poteſt, ſi vel maxime periclitemur fortunam, et iniquam adeo conditionem ſubeamus. Libri, res, fortunaeque meae omnes, vnius hominis fidei creditae ſunt, per cuius imprudentiam ac deſidiam multa mihi pernicioſa euenire poſſent. Iam menti occurrunt ſubiti incendiorum caſus, iam inſidiae furum, et odia maleuolorum, qui ex aliis malis quaeſtum ſperant. Pauci dies ſunt, quod famulus meus, Ioannes Cliſius, ſcripſit, rumorem de facto naufragio, et meo fratriſque interitu, perlatum, pleroſque, velut in communi gaudio, exultaſſe, id eſt, vt interpretor, artium et litterarum rudes, et vana ac inani arrogantia

 elatos.

elatos. Credo iam de hereditate adeunda cogitasse, alienis, vt suspicor, laboribus laudem sibi paraturos, accipitres, seu mauis, Harpyias. Ignosce commoto animo, quem litterae tuae, commodum allatae, non mediocriter leniuerunt. Sed Principis VValdeccii aduentus bonam mihi eluctandi spem facit, vt, rebus confectis, repetam stationem, de qua decessi. Prius autem tecum confabulari aueo, tuos, multo doctissimos, sermones audire gestio, tecum esse, opto, et hoc omni felicitate potius duco. Fac tandem, visendi mei caussa, Culemburgum venias, eodem tecto et mensa, sine strepitu, solius animi gratia, excipiendus. Ego et Leonardus, frater meus, qui inusitatam humanitatem tuam praedicat, et dicta praeceptaque tua repetit ac veneratur, soli prandemus, et soli coenamus. Neque id fraudi erit officio meo, quod, rebus ad exitum perductis, omnino tibi, prius, quam abiturus sum, persoluam. Litteras, quas ad me curasti, scripsit Nitschius, Dresdensis IC. frater eius, qui Ephemerides eruditorum Galliae virorum Latinas fecit. Inuitauit me ad auctionem, Lugduni Batauorum instituendum, sed *catalogum* non misit. Frater meus summopere et sancte tibi se commendat. Vterque optamus, vt de tuo, magnae exspectationis, filio bene mereri queamus.

Epu-

Epulo vrbis publico non ita pridem exceptus, prolixa obſeruantiae ſignificatione honori tuo libaui, et, cum VVagnero, Sacerdote, collocutus ſum, qui filium tuae diſciplinae traditum, affirmabat. Sacerdotes hic modeſti et moderati ſunt, et abſtinent a foedis factionibus. Vale, et priſtinam mihi fratrique beneuolentiam ſerua. Culemburgi Non. Febr. A. cIↄ Iↄ CXXCVII.

CCCXIIX.

NICOLAO L. B. A GERSDORF.

DVdum mea clientis fides poſtulabat, vt rationes abſentiae redderem, veniamque tardioris reditus peterem, ac moram, mea opinione, longiorem tibi in primis reuerenter excuſarem. Fretus enim tuo, quod aequiſſimum eſt, patrocinio, inceptum feliciter perficiam, atque ad ſtudia me referam, et locum, qua coepi, diligentia in poſterum ornabo. Poſt longas itineris ambages, hiemiſque moleſtias, adulto Nouembri Amſtelodamum veni, hinc Traiectum ad Rhenum diſceſſi. Vtroque in loco conquiſiui libros, et ſalutaui doctos viros, Graeuium ante alios, qui vnus maxime Traiectum ornat. Paullo poſt, quam aduerſo Lecco Culemburgum acceſſi, Henricus, Londini *Epiſcopus*, huc commigrauit, nec pauci ex Anglia et Scotia iuuenes, ſtu-

 dio-

diorum caussa, ibi commorantur. Parum abest, quin exules dicam, quippe quos afflicta religio permouit, vt, Batauiam quaererent, et, quorsum noua tempestas euasura esset, soliciti exspectarent. Bataui interim securi sunt, et, florente Indiae *Orientalis* Societate, non admodum timent, et spem munimentumque in diuitiis ac hominum multitudine habent. Terra fines exquisitissime muniti sunt, Nardenae, Traiectoque ad Mosam, noua, eaque validissima, opera praestructa sunt, vt nihil ab eo limite metuant, de vrbe Luxemburgo Germanis solicitudinem relinquant. Mari classes instructissimas obiicere possunt, ac de Angliae dominatu fortasse non absurde iudicant, non fore diuturnum, nisi *Presbyteriani*, et populari ex statu homines, penitus fortunis suis euertantur. Neque, hoc rerum statu, ei Regi bellum expedit, quo Anglos taedet praesentis fortunae, repente turbaturos, si vel semel foris rem gerat male. Proceres plerique, et aulae coniuncti homines, sacra deserunt, populus, adhuc constans, patientia se firmat praeter consuetudinem suam. Belgium, quod *Foederatum* dicitur, dissidia *Theologorum* perturbant, et, nisi fallor, fatali eorum malo proludunt. Cocceiani et Voëtiani in se declamant, et altera pars alteri odium conflant, reuera vul-

gus

gus concitant atque confundunt. Auriacus, quanto poteſt, conatu tuetur et ornat Voetianos, Spanhemio pro his annitente. Cocceiani quorum VVittichius Lugduni Batauorum princeps eſt, et propugnator ſectae acerrimus, idemque philoſophiae Carteſianae ſcientiſſimus, tamen, doctiores, vt exiſtimo, ſunt, et iudicium rationemque Carteſii ſequuntur. VVeihenus Franequerae varie et inſolenter agit, patrocinio Henrici Caſimiri, Naſſauii Principis, confiſus. Proximo menſe emiſit libellum, in quo contendit et pugnat contra diuini Codicis auctoritatem, atque illius verum interpretandi modum non aliunde, quam ex ratione naturali, petendum, affirmat. Non ſum litis eius iudex, ſed illud tamen aſſeuero, his rebus religionem Chriſtianam peruerti, et cum philoſopha ac pagana veteri prorſus commutari. VVitſius, *Theologus* Traiectinus, VVeiheni quondam collega et amicus, non veretur, ipſum dicere *Atheum*, et ſententiam caſtigat impiam, cuius exemplo accenſus Vlricus Huberus, Ireconſultus elegans et eruditus, reiecit foedas iſtius Theologi propoſitiones. Exculpitur hinc ſecta Arminianorum, quae rebus Naſſauiorum minime vtilis eſt, et cauſam motibus dedit. Vnum illud VVeiheno laudi ducitur, quod hereditariam Friſiae

Occiduae praefecturam Henrico Casimiro conciliauerit, et nuper Auriacum cum eo redegerit in gratiam, quod fieri posse, multi et sapientes viri desperarunt. Quamuis nec illud paribus studiis voluerint Frisiones, nec hoc perinde optauerint Amstelodamenses, qui libertatem potentia muniunt, et soli Principi Auriaco obnituntur. Sed de his plura perscribam, cum in Saxoniam fuero reuersus. Breui cum Principe VVolfenbuttel... deccio Hagam Comitis ibo, adulto vere in Saxoniam rediturus, et libros codicesque magno numero mecum allaturus. Nunc in pietate acquiesco, Deumque oro, vt te Domine, eadem atque antehac, felicitate vti iubeat, coelestique praesidio tuam, inclutis necessitudinibus fundatam, domum fulciat, et plane efficiat, vt, tuo ductu atque consilio, honor Saxonis, vtilissima patriae conditione, in maius in dies fastigium crescat, atque in immensum augeatur. Ex vrbe Testerbantiorum Id. Febr. A. cIɔ Iɔ CXXCVII.

CCCXIX.

IOANNI GEORGIO GRAEVIO
Polyhistori Vltraiectino.

ADhuc recordor suauissimi colloquii, quod in multam noctem extraximus, et de varia ac vera eruditione inter nos col-

loc...

locuti ſumus. Nunquam id animo meo excidet, et in Saxonia cum primis materiam dabit praedicandae humanitatis tuae. Res fortunaeque meae ſaluae et incolumes ſunt, quod litterae, quas diu exſpectaui, hodie allatae, ſignificarunt. Princeps VValdeccius cras Hagam Comitis tendet, cuius ſermones mihi periucundi ſunt, et rationes optimas vtiliſſimaſque complectuntur. Quod reliquum eſt, peto abs te, fungaris officio beneuolentiſſimi hominis, et Burcardum noſtrum tuendum ornandumque ſuſcipias, qui tua commendatione ſe aſſecuturum ſperat munus Rectoris Bredanae ſcholae. Si quid apud te valet Camerarii ſanguis, rogo te quaeſoque, faueas honori ipſius, et efficias, vt ſibi et rebus domeſticis commodiorem rationem inire poſſit. Vale, cum ornatiſſima familia tua, et filium tuum elegantiſſimi moris, meo fratriſque nomine, ſaluta. Culemburgi, Nonis Martiis, A. cIↄ IↄCXXCVII.

CCCXX.

CAROLO L. B. AB APPELBOOM.

NOndum exceſſi e Belgio, partim ſalutantium officiis, partim auctione Goeſiana, impeditus. Summam rei frater meus exponet, ſignificationem obſeruantiae daturus. Vis coeleſtis Numenque diui-

num illustre nomen tuum fortunet, et quam diutissime in terris florere velit iubeatque. Haec vota nuncupo, et me profiteor clientem. Lugduni Batauorum. Ipsis nonis Aprilis cIↄ IↄCXXCVII.

P. S. Chiliarchum et Satrapam Lindenbaum popularem tuum saluere cupio.

CCCXXI.

GEORGIO FRIDERICO MIEZIO,

Sacerdoti Culemburgensi.

Cessi postulatis Lugdunensium, et longius, quam vellem, substiti, auctioni Goesianae interfuturus. Haec, fateor, me tenuit, et ab itinere, quod ingredi cupiebam, retraxit, nec defuerunt salutantium officia, praesertim Academiae Patrum, qui summo honore me affecerunt. Sic aliquoties pransus sum apud Vitriarium, praesentibus Rectore Magnifico, Spanhemio, Moyne, Drelincurtio, Ryckio, et ciue meo, Doctore Nitschio. Quin et Rector Academiae, Spanhemius, ipse mihi adfuit, et Calendis Maiis in praedium vrbi vicinum solenniter inuitauit, vbi plurima, in primis de statu *Ecclesiae*, de studio moderationis, de spe pacis et concordiae, itemque de rebus ad eruditionem pertinentibus, collocuti sumus. Inter alia mentio fiebat Salmasii Notarum in Nouum Foedus amissarum, quod non

non dubitabat Stephanus Moyne consilio nutuque diuino accidisse. Multos enim Instrumenti Noui locos, secus, quam par est, interpretando, aliorsum detorsisset, et *Theologis*, vt acumine pollebat, crucem fixisset. De Petauio dicebat, eum solide non didicisse Graecas litteras, idque ostendebat, de loco Epiphanii, vbi, νομικὰς τάξεις, legendum, contra, quam legit Petauius. Porro de vestra Testerbantiorum ora sermones cum Antonio Matthaeo contuli, atque multis argumentis probaui, oram Testerbantiorum non Geldriae Ducatus esse partem, sed omnino S. R. Imperii clientelam haberi debere. Idem asserebat ius in Leccam statui Traiectino, eique tribuebat ius prohibendi in flumine, idque ab *Episcopo* Traiectino repetit, inde a saeculo XI, postea etiam Praepositum Diui Ioannis Traiecti obtinuisse ius in flumen, affirmabat. Sed regessi, Testerbantios regulos fuisse liberos, et ratione castri Culemburgici, non agnouisse *Episcopum* Traiectinum. Ille hoc dicere pertendebat, fuisse Comites Traiectini *Episcopi* Clientes et *Vasallos*, Ego negaui dixique, castrum a portionibus et accessionibus quibusdam distingui oportere. Postea haec bello et insecutis parcionibus mutata. Ille contra, ab Hemo ad Schonhouiam portam ius in Leccam habere Tra-

iectinos Ordines, dicebat, id quod rurſus negaui. Is, Inſtrumentis publicis niti ſe, referebat, et, *inueſtituram* Comitis habere ſe, aſſeuerabat. Ego reponebam, etſi quid belli tempore mutatum ſit, ac Culemburgicus clientelam Traiectino fuerit profeſſus, tamen poſtea Praeſules Traiectinos ius neglexiſſe, et non vtendo amiſiſſe, atque ſic Comites Culemburgicos ſe occaſione belli inter Geldriae Comitem et *Epiſcopum* Traiectinum orti, ſeiunxiſſe. Poſtea, rebus foedere Traiectino mutatis, nihil de iure in Culemburgicos motum, atque adeo priſtinum ius neglectum fuit, idque agnoſcebat ipſe iureconſultus Batauorum Antonius Matthaeus. In Bibliotheca Goeſiana pleroſque antiquos Friſiae ſcriptores reperi, et emi, forſan cauſae VValdeccenſi contra Friſones, profuturos. Indica, quaeſo, Pichelio, et, vt certa capita deſignet, roga. Conſiliarios, Ettelinum, Boeſchium, Klughofium, Lithium, Viros de me bene et inſigniter meritos, prolixe et humaniter meo nomine ſaluta. Lugduni Batauorum, ipſis Nonis Maiis A. cIɔ IɔCXXCVII.

CCCXXII.

CCCXXII.

BVRCARDO,

Rectori Culemburgensi.

Diutius, quam vellem, Lugduni Batauorum commoratus sum, nec salutantium officia, quae modeste refugere volui, defuerunt. Tuam causam Spanhemio, Rycquio, Graeuio, aliis, quam potui, enixissime commendaui. Tanto magis studiosiusque hoc agam si venero Castellas. In auctionem Goesianam quadringentos, et plures aureos impendi, nec me facti poenitet, quandoquidem codices, Scaligeri, Vulcanii, Xylandri, Heinsii, manu subnotatos accepi, et cum licitantibus strenue certaui. Frater meus aperiet, quae, tempore exclusus, perscribere non possum. Suauissimae coniugis tuae litteras accepi memorque sum eius et tuae humanitatis, neque animo excident officia tua. Tantum opto, vt occasio det, quod, honoris tui causa, efficere cupio et ingenue promitto. Morbum, de quo coniux tua mihi obnunciauit, abs te superatum, spero. Deus te seruet, et omnibus adeo beneficiis, quae ad constituendas fortunae tuae rationes pertinent, ornet atque augeat, gaudiisque perpetuis et cumulatissimis te perfundat. Traiecti ad Rhenum, V. Idus Maias, A. clɔ lɔCXXCVII.

CCCXXIII.

CCCXXIII.

AMICO,

SAluus tandem e Belgio redii, et libros egregios in auctione Goesiana emptos, mecum attuli, plerosque manu principis litteratorum, Iosephi Scaligeri, distinctos et subnotatos. Quosdam etiam manu exaratos Codices Graecos et Latinos sum nactus, qui cum bibliothecam meam ornant, tum industriam in primis adiuuare possunt. Graeuius, Gronouius, Rycquius, magna mihi familiaritate coniuncti erant, qui et litteris et humanitate, politissimi mihi videntur. Gronouius, aetate et ingenio magis feruidus, cum Fabretto, *Abbate*, et Isaaco Vossio, vehementer disputat, et huius, mirum, notas in Melam inanes atque nugatorias vocat. Belgae ceteroquin commerciis et pace florent, et decora ingenia fouent atque inuitant. Regem Galliae lacessi, nolunt, et Auriaco, bellum cupienti, multum acriterque aduersantur. Nihil est, quod, hoc rerum statu, ab Anglia sibi metuant, quae, rebus domi nondum plene firmatis, nihil audebit. Me Lugdunum Batauorum nitore et elegantia sua maximopere tenuit, praesertim, quum Professores mei amantissimos vidi. Rector Academiae, Spanhemius, ipse me inuisit, salutauit et prolixe accepit. Me abeunte, decessit VVittichichius,

chius, ſubtilis et praeſtans acumine Carteſiano rerum ſacrarum interpres. Si quid deinde futurum eſt, frater meus accurate perſcribet. Fac valeas, Patrone, et patrocinio tuo me ornes. Vitembergae, IX. Cal. Quinct. A. cIↄ IↄCXXCVII.

CCCXXIV.
HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO, *Fratri*, *Lugdunum*.

TArdius opinione mea reſcribo ad binas tuas litteras, non, quod tam male tibi cupiam, vt aegritudine te conficias, ſed, quia tardior meus in Saxoniam reditus omnes propoſiti rationes conturbauit. Duae hebdomades in nauigatione conſumptae ſunt, tertia Hamburgi extracta eſt, quod Meyerus, quem fortunae ſuae taedet, me inuitum atque recuſantem ibi retineret. Loeſcherus in Bebelii locum ſublectus eſt, VValtherus Mayero ſuccedet. Patronus noſter non ea, qua antea, auctoritate pollet, propterea quod arbitratu ſuo res moderatur Knochius, ſanctioris Praeſes Senatus, a cuius nutu et voluntate litterae et conſilia noſtra pendent. Vacantem Ephori Alumnorum prouinciam multi iam prenſant, petamne ego, nec ne, incertus ſum atque animi anceps. Neſcio, an rationibus

bus pecuniariis me impedire debeam, quae plerumque exitus dubios miserosque habent. De connubio res perinde implicata est, neque id tu nescis, qui mores captantium aliena abunde perspectos habes. Quenstedius, me absente, salarium semestre rapuit, contra, quam volui, quod cur factum sit, facile intelligo. Animum ei fecit rumor de me submerso in Saxoniam allatus. Iam cunctatur, iam tergiuersatur, quum rationes posco. Meyerus, bibliopola, mussat aliquid, et dolore afficitur, quod tam multos, tamque egregios, libros emptitaui. Eam ob causam tota Saxonia sermonum plena est, nec paucos torquet rumor de successu meo. Nullus liber amissus est, nec scheda vlla desideratur. Codices, quos attuli, quam potui, diligentissime disposui et ordinaui. Praeferunt paruae bibliothecae faciem, et superiorem apparatum augent perinde, et ornant. Leiserus, iureconsultus, heri super mensam, cum tui mentio incideret, bene de conatu tuo sentiebat, et, nisi vanum omen sit, magnam quoque dignitatem tibi promittebat. Quod ne non eueniat, opto, et, vota publica pro te fieri, iubeo, sed consilium tuum non probo, quod existimasti, commodum mihi fore, si Roemeri aedes emptionis iure mihi cedant. Reputa animo insidias furum,

et ma-

et malas hominum artes. Nihil constituo te absente. Coci filium, qui Culemburgi remansit, multi flagitant, et, seruitiis suis adscribi, optant. Quid facto opus sit, ipse tu iudicabis. Rudelius pedibus captus est, et ex aqua intercute laborat, praeter, eum nemo est, qui Mathematici famam dignitatemque tueri possit. Velim, horis succisiuis Clarissimum Volderum adeas, Lugdunumque teneas, vrbem peramoenam, et cultu egregiam, litterarumque studiis, et omnibus sane rerum copiis, affluentem. Clarissimus Gronouius a sciolo quodam audace, et Graece indocto, prorsus indigne tractatus est, cuius vicem doleo, etsi is sibi constat, nec aduersarium pertimescit. Tam impudentes sunt, qui rudes mihi videntur. Anglos Batauosque tam bene mihi velle, gaudeo, et, quae possum, studia ad ipsorum laudes confero, idque cupio, vt meo nomine ipsis sancte confirmes. Dissertationes Academicae iam me obruunt quasi tempestates. Prius quam redii, Graunius, excusante se et deprecante Oratore, Principis EL. matri panegyricum dixit. Vizthumii nostro conuictui se adiunxerunt. Hermundurus iacet, amoris, quem infeliciter coepit, pertaesus. *VVolfhardus*, *Abbas* Bergensis, sincerus integerque est, qui amat colitque Spanhemium tuum, litteras ad eum, nisi grauiter

uiter

uiter ferat, propediem missurus. Pollet is gratia Brandenburgici, et Brunsenio per carus est, nec Spanhemio fraudi esse potest, cum tali viro litteras commutare. Cura, vt valeas, et leges diaetae, accurate, quoad fieri potest, serues. Vitembergae Saxonum, VII. Calendas Quinctil. A.cIↄ IↄCXXCVII.

P. S. Spanhemium, Voëtium, Vitriarium, Drelincurtium, Hermannum, Gronouium, Rycquium, tum conuictores tuos nobilissimos atque amantissimos, itemque hospitem tuum, salutes. Parum abfuit, quin cum ferme nauigaremus in portu, e regione Gluckstadii naufragium fecissemus. Nisi per tuam curam Amstelodami mansissem, aliquot dies amplius, cum nauta Hamburgensi rerum iacturam fecissem apud Enckhusam.

CCCXXV.
PATRONO CVIDAM.

Diutius, quam vellem, apud Batauos mei amantissimos, substiti, et confecto Valdeccii negotio, Traiectum ad Rhenum, Lugdunumque Batauorum, augendae rei librariae causa, discessi. Eodem tempore aduentauit Bergerus, Doctor Medicus, gratus vtique hospes, et, ob doctrinam atque experientiam, aestimatus impense et amatus. Cum Drelincurtio, Hermanno, bis in Indiam

diam versus Orientem profecto et reuerso, vixit tam familiariter, atque si eorum necessarius esset. Inde ad Brabantos, Flandros et Gallos, se contulit, et doctissimos passim sermones habuit, dignusque eorum amicitia iudicatus est, quorum meritis respublica litteraria permultum debet. Ego, quoad potui, libros mihi comparaui, plerosque manu Iosephi Scaligeri, Xylandri, Heinsii, subnotatos, scriptores etiam Graecos haud paucos, Aldino prelo excusos, qui tam castigati sunt, vt parum absit, quin manu exaratis aequentur. Historicos, Scardeonium, ex quo Morhofius aliquid ad excusandam Liuii Patauinitatem afferre potuit, Vredium, aliosque permultos, in primis raros, pretio non iniquissimo, emptitaui, Iosephum item et Aratum, cum scriptis manu Scaligeri animaduersionibus, quod sane cimelium putarim. Nullus prope Orator, Poeta, aut Historicus est, quem non possideam MSS. annotationibus distinctum. Quae ad mediam aetatem pertinent, in tabulario Culemburgico, quod totum peruolui, et arbitratu meo excussi omnia mihi patuerunt. Non libros, sed thesauros politioris doctrinae, in Saxoniam intuli, quorum fructus ad Academiam redundabit. Eo magis causam clientis ages apud Herum meum Saxonem, Illustrissimosque aulae pur-

puratos, et sigillatim apud Excellentissimum Senatus Sacri Praesidem, apud quos tua longe grauissima auctoritas plurimum valet. Vnum, si pace tua dicere ausim, abs te demisse, vt par est, peto, ne, vacante Ephori loco, spe potiundi cadam, vel eo maxime argumento, quod Latinae Graecaeque litterae hoc munus praecipue ornant. Schmidius, Buchnerus, Ostermannus, iidem Ephori, et magni litteratores, fuerunt. Tuo et Illustrissimi Senatus vestri praesidio me fulciri, confido, et pro tua salute vota precesque assiduas nuncupo, vt te, litterarum statorem, quam diutissime seruet. Vitembergae, Prid. Nonas Quinctil. A. cIↃ IↃCXXC VII.

CCCXXVI.
ERNESTO GOCKELIO, IC.

QVem mihi commendasti iuuenem, libenter accepi, neque vlla ei officia denegaui, si qua sint eiusmodi, vt exspectationi ipsius faciant satis. Me ex Belgio reducem multae, fateor, occupationes impediunt ac distinent, neque te celare volo, multos ex eo libros codicesque MSS. in Saxoniam me asportasse. Florent commerciis Belgae, et in India versus Orientem, ringentibus Anglis, triumphant. Rex beatae illius insulae minatur, hoc certe anno nihil ausurus, nec

nec ratio eius imperii ita constituta est, vt nunc quidem aliquid audere possit. Caesar, Buda capta, Rex est, in qua Turcae plus, quam regnum, amiserunt. Venetorum incrementa grauiter ferunt, sed multo grauius iacturam Budae, arcem propugnaculumque contra Germanos olim. Veneti tantum non suffecturi sunt tantae moli. Caesari illud optandum, vt Esseckio potiatur, quod aditum barbaris munit. Citerior pontis apparatus breui, vt ominor, in nostra potestate erit. De sacris quidem Vngari queruntur, nec Transyluani dissimulant vexationes Caesarei militis, ex quo capta est Buda. Sunt haec belli mala, tam diu ferenda, donec bellum durat. Quod reliquum est, gratulor Sueuis vestratibus, manu et consilio ad reprimendum barbarum promptis. Si de prouincia regendi Sapientiae Ordinis decessero, votis tuis annuam, et spei desideriisque tuis respondebo. Nonis Quinctil. A. cIↃ IↃCXXCVII.

CCCXXVII.

HENRICO LEONARDO SCHVRZ-FLEISCIO,

Fratri.

QVinquaginta numos *Imperiales* ad te curaui prima vice, altera accipies totidem, tertia iterum quinquaginta. Fac, au-

reum cimelium recipias, et, ſi quid alibi reperis, bene ſapienterque conſtituere nitaris. Libri in auctione Amſtelodamenſi plerique erant egregii, ſed nimis diſiuncti ſumus, vt ſtatim in ipſo tempo[illegible] articulo non ſuppeditare poſſim, quod ve[illegible]s. Princeps iuuentutis, Io. Georgius IV, niſi rumor fallit, ducet filiam Daniae Regis. Lotharingus ſtrenue molitur Eſſeckii obſidionem. Stipendium Lubecenſe, de quo multa fabulatus eſt Bornefeldius, prenſat Maſius, quem noſti. Is, opinor, Ziegleri et Syndici Lubecenſis, Pomereſchii, commendatione adiutus, impetrabit. Nec tamen deſponde animum, et Deo fide, ſtudiaque, qua potes, contentione animi excole. Non deerunt tandem patroni. Ipſe tu ad Rauchbartium ſcribere potes, et moram aduentus purgare. De auctione Oeſeliana me in tempore admone, et vale. Vitembergae Saxonum, prid. Id. Quinctil. A. cIↄ Iↄ CXXCVII.

CCCXXIIX.
ERNESTO STRVNZIO,
Sacerdoti.

Filius tuus, pereruditus et frugi iuuenis, mihique percarus, rogatus comiterque accerſitus, ad me venit, quem, exploratis ingenii et doctrinae profectibus, cum bona ſpe

ſpe potiundi honoris, quem philoſophia confert, dimiſi. Magna me eius laudis exſpectatio tenet,nec dubito, quin hoc decus, quod diligentiae praemium eſt, ei iure debeatur. Nihil, quantum in me eſt, recuſo, quod eius dignitati ſeruire poſſit, ſi quidem tuo conſilio et ſumptu honeſtiſſimum filii conatum iuues. Quod quin abs te impetret, non ambigo, Deumque obſecro Immortalem, vt hoc inſtitutum reipublicae ſacrae perinde, ac litterariae, bene vertat. Ita volens propitiumque Numen te, cum florente familia, ſeruet ac benigne tueatur. Vitembergae, Id. Quinct. A. clↃ lↃCXXCVII.

CCCXXIX.
HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,
Fratri.

VTrum litterae, tribus abhinc hebdomadibus perſcriptae, recte commearint, ſcire aueo, nec ſine cauſa dubito, propterea, quod de meo tam diuturno ſilentio conqueſtus ſic acerbe es, vt prope indignari videare. Litteras, quaeſo, meo ſemper nomine inſcriptas, mittere pertendas. Ego enim ſoluo, et ideo hanc praerogatiuam mihi ſumo et ſeruo. Citius etiam ad me, quam ad quemuis alium obſcuri nominis hominem, curantur. Cum magiſtro curſu-

um, Elstermanno, expostulaui de mora, qui se purgat, et, curatas esse deierare audet. In posterum Lipsia accipies, minori tua impensa, quando Amsteiodamum vsque ego, quod cursus nomine debetur, persoluo. Duodeuiginti numos vnciales dinumeraui mercatori Lipsiensi, Kaesio, quos, repraesentandi argenti causa, flagitauit. Nihil denegaui, vt abs te auerterem onus, quod me in Batauis premebat, cum Apella Samuel nihilo minorem summam flagitaret. Trium spatio hebdomadum rursus quinquaginta numi ad te perferentur, et deinde videbo, vt nulla re necessaria destituaris. De reditu, constituta et peracta auctione Oeseliana, pro arbitratu tuo agas atque disponas. Gratus mihi acceptusque eris hospes, et, si Vitembergae te satietas capiat, Francofurti ad Viadrum sedem studiis figas, vel, si ea quoque conditio tibi displicet, Ienam te conuertas, et ibi aliquandiu subsistas, vt ex propinquis locis litterae ad nos perferantur. Vale, et bene, pro solertia prudentiaque tua, res age. Vitembergae, XIII. Cal. Sext. A. clɔ lɔCXXCVII.

CCCXXX.

ZACHARIAE ZVVANZIGIO,

Principi EL. Brandenb. a Secretis.

GAudeo rebus tuis ex asse florentibus, et

et cupio, hanc felicitatem tibi esse perpetuam, praesertim in aula maximi Principis, qui, praeter ceteros Europae Principes, opibus, copiis clientelisque, abundat. Cuius fama omnes terrarum orbis regiones peruasit, et sociis venerationem, hostibus metum, expressit. Mihi, tot tantasque res aestimanti, verba idonea et magnitudini eius suffectura desunt, vt animo, in admiratione defixo, quaedam silentii religio afferri videatur. Batavi, a quibus non ita pridem redii, robur praesidiumque in huius salute Principis ponunt, neque Caesar non agnoscit fortitudinem, multis felicissimisque expeditionibus demonstratam. Hostes ipsi, quod foris audisse memini, magni Herois imaginem in eo circumspiciunt, et, quanquam, vt inuidi infensique Germanis, aliorum facta deterunt saepe ac minuunt, tamen ipsum vel inuiti laudant atque admirantur. Magnum hoc Dei beneficium est, quod patria communis in hoc Martio Principe EL. tanquam in libertatis fundamento, insistat, et summi huius possessione gaudii fruatur. In Vngaria res lente, et dubia ancipitique fortuna, eunt, nec dum ex animi sententia succedunt. Poloni, more suo, tergiuersantur, tempusque fallunt et perdunt, ac nihil suo nomine et exspectatione Caesaris dignum

gerunt. Moſchi verſuti, oſtentant milites, non pugnant, etſi pugnae deſiderium prae ſe ferunt. Polonia, qui antiquus regni morbus eſt, diſtrahitur conſiliis, idque finitimis ſaepe expedit, hoc maxime tempore, quo Regis potentia nimium adoleſcit. In Anglia res valde conuerſae ſunt, et, ſpecie libertatis, ipſa libertas et ſacra *Proteſtantium* opprimuntur. Apud Vngaros parum proficietur armis, ſi, vt queruntur Vngari militum licentia haud coerceatur. Recordare, quaeſo, quod ex Taciti Agricola dixi olim, cum inter nos crebro in muſeo colloqueremur. Vnum in ponte et propugnaculo Eſſeckiano praeſidium eſt, quo non capto, non magni forte huius anni expeditio erit Sed Deus meliora Caeſari, et rei Chriſtianae, cuius hoc negotium intereſt, largiatur. Tu vero in luce aulae et conſpectu Illuſtriſſimorum atque excellentiſſimorum Procerum, certius accuratiuſque haec cognoſces. Mihi, quaeſo, vt antehac, ſic in poſterum faue, et Generoſiſſimum a Caniz reuerenter et demiſſe meo nomine ſaluta, et, ſi qua mihi et Fratri meo vſui eſſe potes, conſule, et pro vtroque experire. Vitembergae, Calend. Sextil, A. cIↄ IↄCXXCVII.

CCCXXXI.

CCCXXXI.
GVIL. ERNESTO TENZELIO.

IVcunda mihi est tua gratulatio, optoque, si tempus sic ferat, viciſſim gratulandi occaſionem, quanquam id mihi ad explicandum gaudii ſenſum nunc ſufficit, quod, ſaluum te eſſe, intellexi. Itineris cura liberatus ſum, et libros codiceſque permultos ex Batauia attuli, remque librariam, vt noſti, modicam, laeto proſperoque ſucceſſu magis auxi. Iam noua quaedam ſolicitudo me afficit, et moleſtum *Decani* munus angit, quod, crede mihi, longiori abſentia declinare cupiebam. Sed vel inuito ſubeundum fuit, quod leges et inſtituta Ordinis poſtulant, quibus repugnare ſit nefas. Iuuenis ſtudioſi, de quo ſcripſiſti, deſiderium, faxo, vt leniatur. Cuius honori faueo, ſi epiſtolam, Doctoris Theologi auctoritate munitam, ad me curet, ſpeciminaque, vt moris eſt, quam primum edat. Cupidum iuuandi animum meum ſatis exploratum habes, tuaque ſola commendatio petentis cauſam tuetur. Loeſcherus et VValtherus hodie in ordinem Theologicum cooptantur, alter heſterno die, auſpicii cauſa in concionem aſcendit, gratiſſimamque ad populum habuit, alter ſuperiori die Iouis magno cum applauſu diſputauit. Lipſienſis

reuertendi desiderio tenetur, sed spes eum frustrata est, renitente aula, et poenitendi occasionem spatiumque dante. Frater meus te salutat, qui Lugduni Batauorum agit. De epistola, quam a me petis, excusabunt negotia muneris, quo leuatus, in omnibus, quibus potero, rebus, gratum tibi faciam. Vitembergae Idib. Sextil. A. cIↄ Iↄ CXXCVII.

CCCXXXII.
ADAMO RECHENBERGIO.
Doct. Theol. et Prof. Publ. Lips.

OMnino permultum tibi debeo, et munus donumque tuum inter carissima sepono mihi ac seruo. Votum, quod abiturus solui, reuersus pie repeto, iterumque persoluo, et Deum posco, vt solido prorsus stabilique gaudio perfruaris. Illud quoque per epistolam precor, vt tandem familiae tuae heredem sufficias, dotesque tuas in filios atque posteros cumulate feliciterque propages. Vacuum D. Bebelii locum ornabit Loescherus, vir religiosus pariter, et doctus morisque Academici haud ignarus. VValtherus, Meieri successor, Theologum nihilo inferiorem spondet. De Pufendorfii aduentu hac transeuntes narrant, rem aliter cecidisse, ac putemus, postquam Rex, a consiliariis submonitus, nolit permittere discessum. Frater Esaias, a Re-

a Rege offensus, Hamburgi priuatus agit, melioremque fortunam exspectat. Haec est vicissitudo et iniquitas rerum humanarum. De Sagittarii conatu licet bene sperare, si multos vetere sque ineditos scriptores nanciscatur. Patronum, opinor, Gothae inueniet Fridericum Principem, qui Patres, Hieronymum et Augustinum, edendos curauit. De recensendo quarto Ziegleri libro nihil recuso, tantum peto, moram concedi exiguam, propterea, quod *Decani* prouincia me impedit et turbat. Abs tua humanitate contendo, vt iuuenes quosdam mihi concilies, beneuolentiamque pro more tuo praestes. Vnum, ne accidisset, optarem, Gronouianum innuo certamen, quod, vtinam falsa augurer, multas lites ciebit, quas extingui, quam excitari, maluissem. Sed factum infectum reddi non potest. Menckenium et Fellerum saluta. Vitembergae VI. Cal. Sept. A. cIↃ IↃCXXCVII.

P. S. Celeberrimus Graeuius optime vobis cupit, et recte sentit, ac honori vestro semel iterumque libauit, vir cordatus et egregius, et immortali vita dignus.

CCCXXXIII.

IOANNI FRIDERICO MAYERO,

Doctori Theologo.

POenam diuturni silentii deprecor, et studia atque officia mea, veteri lege, denuo

nuo per epiſtolam confirmo. Rationes aulae immane quantum conuerſae ſunt, et carendo intelligimus, quanto nuper patrocinio orbati ſimus. Feramus, quod fato imponitur, et nihil recuſemus, quod mutari non poteſt. Loeſcherus auſpicalem concionem habuit, nec ſine applauſu diſputauit VValtherus, omniaque iam confecta ſunt, quae curas aulae intendere videbantur. Tui deſiderium ſcita oratione leniebat Heberus, Academiae Rector. Omnes audiebant, atque in ſpe tui reditus defixi erant. Non loco, neque officio ſuo, Academia defuit, ſed auerſus quorundam animus conſilia meliora impediuit. Caeſar in Vngaria victor barbaros profligauit atque exterruit, vt iam in ſpem totius regni potiundi veniat, fractis, qui reſiſtunt, Vngaris, et Tranſyluanis ad obſequium redactis. Impendet vtriſque ſeruitus, Germanis nouum robur contra hoſtes paratur. Tinniunt, opinor, tibi aures, ciui libero, et patrono libertatis. Donec Caeſar floret, neminem timeatis; iterum opex poſitus eſt inſidiantibus libertati Danis. Mihi communis eſt laetandi cauſa, et recordatio tuorum ſane beneficiorum ſempiterna. Aes alienum diſſolui, Nobiliſſimoque fratri tuo numos mutuo acceptos reddidi, ac fidem liberaui. Non opima adfulget Candidatorum

rum messis, nisi Lipsia me soletur. Hic omnes, quotquot tuas eximias summasque dotes aestimant, salutem impertiuntur. Vale. Festinanter, Vitemb. V. Cal. Sept. A. clɔ lɔCXXCVII.

CCCXXXIV.
BENEDICTO KRESSIO,
Aerarii Misenensis praefecto.

CVm ex litteris, abs te missis, intelligerem, nuptias te apparare filiae, virgini multo florentissimae, tum scribendi, vel potius gratulandi occasionem nactus mihi videor, voloque fortunatum esse, quod agis atque destinas, vt tuae, per se egregiae et amplae, necessitudines crescant pariter, et firmiori praesidio muniantur. Gaudet mecum Academia, tui in primis amans, et laetum explicat animum, officiisque tuis permultum iuuari se et ornari, libens fatetur. Donum, quod dare voluit, ne respuas, petit, animumque propensum dato hoc, quantumuis exiguo, pignore sancte confirmat. Bene cadant, quae moliris, omnia, et, volente propitio Numine, felices, prosperosque exitus habeant, quae ad conciliandum foedus filiae tuae castissimum spectant. Res Christianorum ex animi sententia eunt, barbari fusi fugatique sunt, et in Vngaria, Dalmatia, Peloponneso, laeti vbique

que nuncii de victricibus palmis circumferuntur. In partem laetitiae veniamus Saxones et Miseni, tu ante alios in dignitatis et honoris sede stabilis firmusque insistas, et in filiis atque filiabus generis tui munimentum habeas firmum iuxta, ac sempiternum. Vitembergae, IV. Cal. Septembr. A. cIↃ IↃ CXXCVII.

CCCXXXV.
IOANNI SCHEDIO.

PRelum Henckelii lente festinat, et proposita tua moratur, nescio, quam ob caussam, neque id te celabit Peiskerus, amantissimus tui. Res meae in arcto sunt, et valde angor, quod nullus abs te veniat, qui nomen profiteatur. Quid Mirenius agat, quare spem meam deludat, praesens apparitor meus perquiret. Fac, sciam, quid velit, et quo ingenio sit morosus iste debitor, qui nullam fidei datae rationem habet. Moneas hominem, vt pecuniam iuueni, quem ad vos misi, persoluat, tandemque, fidem suam liberet, mihique, vt par est, faciat satis. Id honos et religio promissi ab eo postulant, qui nisi faciat, in extrema incurret, et de ingrati crimine ac mora accusandus erit. Vitembergae, Cal. Sept. A. cIↃ IↃCXXCVII.

CCCXXXVI.
HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,
Fratri.

Hesterno die litterae, Vienna missae, spem mihi faciunt adipiscendi muneris consiliarii et bibliothecae praefecti. Magna haec est, splendidaque dignitas, capessenda prorsus, nisi religio obsisteret incepto. Nomen, famam, genus, si, altius efferri, cupias, non recusandum. Mosnerius Berolinensis quondam Sacerdos, affectat, et paratus est mutare sacra, si consequatur. Strykius, in quo viua spirat Iurisprudentia, conditionem in Aula Brandenburgica mihi obtulit, simulatque constituam relinquere prouinciam, et nuncium remittere Vitembergae. Pufendorfius, ne veniat, grauiore Regis consilio impeditur, quod omnes alioqui credebant, et Lipsienses, gaudio aduentus excitati, certatim cupiebant, et pro certo compertoque affirmabant. Strykius recepit, se fore tibi auctorem ingrediendi et prosequendi Iuris studii, quod his maxime rationibus conducet. Apud vos sunt veterani plerique et desides, omnia vigent contra in Strykio corporis et animi ornamenta. Victoria Caesaris spem Turcarum denuo infregit, praeliique narrationem ad

me

me curauit Duderstadius a bellicis secretis. Multa huc perscripta sunt de piratis, a Gallo et Anglo, ad infestanda Belgarum nauigia, conductis atque excitatis, ex quo periculo eluctati sunt ope Numinis, mala hostium consilia in commoda Batauorum vertentis. Nam Gallus, Anglus et Danus, hoc agunt, vt Batauorum rebus noceant, et commercia ipsorum pariter, et Hispanorum, disturbent. Libri, quos designaui, curam solicitudinemque meam intendunt. Tu fac, accipias, et, quos parasti, retineas omnes. Proceres Viennae a me postulant descriptionem familiae Vrsinorum, qui ex Germania in Italiam, hinc in Carinthiam et Carniolam, migrarunt, quibus Rosenbergii sunt innexi. Quando vtrique coniunctim eo nomine appellari coeperint, solicite perquirunt. Henninges, Spenerus, Rittershusius, tacent. Zazora mihi commendatus est, qui de familiis scripserit, quem circumspice diligenter, etiam, si fert occasio, cum Vitriario communica, simulque explora, num illi quicquam ea de re et necessitudine amplissima constet. Brandenburgicus tractum Suibusii, cum accessionibus eo pertinentibus, titulo Ducis a Caesare accepit, et titulo Ducis Iegerndorfensis cessit. Tu, quaeso, si facultas est, in primis tibi compara scriptores, qui iuris prudentiam criticam illu-

illustrarunt, quibus abundabat bibliotheca Goesiana, quos, vbi potest, inuestigat Iacobaeus, et bonam eorum partem possidet Graeuius Traiecti. Vale. Vitembergae Nonis Sept. A. clɔ lɔCXXCVII.

CCCXXXVII.

BENEDICTO KRESSIO.

Aerarii Misenensis praefecto.

BEneficia, quae in me contulisti, vt permulta sunt, sic animo meo fixa manent, quibus cumulum addes, si petitioni meae, cuius interpres fuit Starckius, locum des, atque efficias, vt decretum attributumque mihi stipendium citius persoluatur. Multos ex Batauia libros codicesque attuli, in primis manu exaratos, et Scaligeri Manutiique cura perscriptos. Belgae e magno periculo eluctati sunt, quod classi eorum, ab India, versus Orientem sita, reduci, impendebat. Angliae, specie libertatis, iugum imponitur, quum omnes religiones permittuntur, vt sensim repurgata opprimatur. Ferunt, perferunt Angli, et ex obitu Regis consilia destinationesque suspendunt. Galli conatus conuertit prospera fortuna Caesaris, quanquam expeditio versus Petri Varadinum non commoda Caesareis fuit, sed Transyluanis opportuna. Deus reipublicae Christianae salutem moderetur

et Saxonia floreat, fataque ſemper benigna experiatur. Vale, et filium natu maiorem, laude doctrinae officiiſque mihi coniunctum, ſaluta. A. cIↄ IↄCXXCVII.

CCCXXXVIII.
AMICO CVIDAM.

CVrabo, quanto poſſum ſtudio, res tuas, et honori, vt par eſt, conſulam, vt intelligas, verbis congruere facta, et promiſſis reſpondere euentus. Deus fortunet, quod agam, et patriae familiaeque tuae feliciter euenire ſinat. Quaeſo fac, vt litterae hae Benedicto Kreſſio reddantur. De conuento inter nos res bene habet, de meo animo nihil fas eſt dubitare. Occaſione vini deuehendi vteris, vt iuſto commodoque tempore praeſto ſit. Non rixabimur de pretio, ſed facile atque ex aequo omnia fient. Ita vale, et non ſpera modo, ſed confide etiam voluntati meae. Vitembergae Saxonum, VII. Idus Sept. A. cIↄ IↄCXXCVII.

CCCXXXIX.
NICOLAO L. B. A GERSDORF,
Senatus Sanctioris Principi.

MErita, quibus ornas et auges rem publicam, per totum fere orbem, magno omnium conſenſu plauſuque, celebrantur, in primis apud Belgas, qui, praeſidium con-
ſiliis

filiis litterisque in te redditum, affirmant. Princeps VValdeccius super Culemburgi mensam Principis EL. tuoque honori, data obseruantiae et amoris significatione, assidentibus et complaudentibus cohortium praefectis, libauit. Lugduni Batauorum et Traiecti ad Rhenum doctissimi homines, non sine veneratione et cultu, nomen tuum appellarunt, quod vnus tu esses communis doctrinae fulcrum, quo studia liberalia niterentur. Vicisti causam difficilimam, et explicasti negotium arduum, propter quod suspensa fuit diu Germania, omnium oculis in te defixis. De Anglia nihil perscribo, quae cum Belgis animos ciuium sociorumque aduertit, ad gloriam tuam. Referet de huius statu Molesvvarthius, nobilissimus Anglus, qui orauit me obsecrauitque permultum, vt aditum commendatione ad Te liberioremque congressum sibi patefacerem. Habere, quae de patria exponat, multa et singularia, quae non grauato vt audiantur, petit reuerenter. Ego deprecor audaciam, et votis precibusque Deum posco, vt Tibi, Domine, et genti tuae, Illustrissimae Coniugi, liberis in exemplum saeculi natis, semper indulgeat, et quaeuis ex animi sententia benignissime largiatur. Vitembergae, Idib. Sept. A. cIɔ ɔCXXCVII.

CCCXL.

HERMANNO HAXTHVSIO,

Hassorum Principis Cancellario.

DIu est, quod Cassellas cogito, et obseruantiam praesens Tibi approbare cupio, sed nec opinanti molestiae et difficultates obiiciuntur, quae me identidem impediunt et remorantur. Apud Belgas nuper substiti longius, et versatus sum inter clarissimos litteratissimosque homines, qui nulla non honoris significatione me exceperunt. Frater meus etiamnum ibi commoratur, et, iussu arbitratuque meo, veteres ac reconditos codices perquirit, quorum multos, careque emptos, ipse curaui per mare deuehendos Hamburgum, in quo itinere adii periculum, et proxime abfui a metu naufragii, sed Deus me eripuit, cum rebus fortunisque omnibus, vt saluus atque incolumis exscenderem in continentem. Germania, firmatis Austriae rebus, magno metu liberata est, non sine perturbatione Gallorum, qui, per clades ruinasque Austriorum, dominatum in communi affectabant. Sueones meliora tutioraque consilia iam capiunt, et, a superiore *Foederato* delusos deceptosque se, animaduertunt. Vicini eorum prope in eadem extrema incurrissent, nisi tempestiue obstitissent Guelfi,

Cae-

Caesarisque prospera fortuna obicem posuisset. Nam, Buda capta, demum Rex est Leopoldus, regnum amiserunt barbari; iacturam Peloponnesi non perinde grauiter ferunt, ac vnius Budae vrbis. Tantum in eo castro situm est Christiano orbi, et Austriae sigillatim, quae fines aperit munitque. Quid de Anglia agatur, ipse exponet Anglus, nobilissimus Molesvvorthius, qui aulam vrbemque vestram visere desiderat, obitis Germaniae prouinciis, domum rediturus, quod ei bene cessurum, spero, cuius gratia litteras ad illustrissimum Gersdorfium perscripsi, eumque Principi Senatus sanctioris commendaui. Ego, vt alias, ita nunc me tuae beneuolentiae permitto, nobilissimaeque familiae tuae clientem spondeo, me et confirmo. Vitembergae, XVI. Cal. Oct. A. clↃ IↃCXXCVII.

P. S. Nobilissimo filio, Consiliario Principali salutem nuncio, et commendo quendam Burcardi, Rectorem scholae Culemburgicae, virum doctum, et varia eruditione ornatum, qui munus scholasticum apud vos prensat, et omnino meretur.

CCCXLI.
IOANNI ANDREAE DANZIO,
Prof. Publ. Ienensi.

DOleo vicem tuam, et opto, vt meliore

ſis loco, et, dignus Friſchmuthio ſucceſſor, pari conditione, et fortuna in poſterum meliori, vtare. Sed, quomodo tibi conſulam, non habeo, niſi oculos animumque in Belgium conuertas. In Germania prope omnia ſunt miſera, et ſtipendia magnis conatibus imparia, nec tamen ſine inuidia ſaepe et amittendi metu. Venio in ſpem meliorum temporum, ſi recto maturoque iudicio expendant Proceres, neruo ſtudiorum inciſo, ſtudia exoleſcere et contemni. Ego, quoad poſſum, honoris tui rationem ducam, atque hoc tanto magis efficiam, quod ſcio, te eſſe doctrina et induſtria nobis omnibus magnopere commendatum. At enim, non eſt vacuus locus qui ad te pertinere queat. VValtheri prouinciam, ab inſtituto tuo alienam, noui. Daſſouius, more ſuo, incumbit in concionandi artem, et ipſe animi pendet adhuc, ſpondetque tandem ſibi ſacerdotium pingue et amplum, ſi mora ei longior videatur. Vale, et Sagittarium, ac Schubartum in primis, ſaluere iube. Vitembergae, XV. Cal. Oct. A. cIↄ IↄCXXCVII.

CCCXLII.
OTTONI MENCKENIO,
Prof. Publ. Lipſienſi.

QVi hac tranſiit, nobiliſſimus Moleſvvor-

vvorthius Anglus, aditum alloquiumque tuum petit, et, facilem te promptumque ad hoc genus officii fore, confidit. Ab eo multa audies de ſtatu Angliae, et rebus eius regni, Iacobi II. calliditate perturbatis. Libertati ſuae non timent Angli, multitudine et potentia ſua freti, conſilia conſiliis eludunt, vel praeuertunt. Quid de Voſſii et Gronouii certamine tandem futurum ſit, me fugit. Neuter non acerbus eſt ac vehemens, alter iratior, pertinacior alter. Volui me interponere pacis componendae cauſa, ſed, ne id conſequerer, iracundia commoti vtrinque animi impediebat. Haud aliter in Fellerum exarſit, qui, vellem, certamine abſtinuiſſet. Nam, certare nunc, arduum periculique plenum eſt, quum nulla ſpes in moderatione reſidet, ſed ſumma inter partes contentione diſceptatur. Valde me offendit acerbitas Pufendorfii, et doleo vicem reipublicae litterariae, cuius vulnera exteris aperiuntur, et ſeria adeo in iocum ludumque vertuntur. De libris codicibuſque, ex Belgio allatis, alibi ſeorſim ad te perſcribam. Vale, Vitembergae, XIV. Cal. Oct. A. clɔ lɔCXXCVII.

 CCCXLIII.

CCCXLIII.

ADAMO RECHENBERGIO.

Prof. Publ. Lipsiensi.

Vix quisquam sit, qui moderate accipiat acerbum vehemensque scriptum, proxime emissum, et, nisi me ratio mea fallit, aculeis illiberalibus refertum. Non me immisceo, et talia, tamque erubescenda, certamina grauiter fero. Illud autem scribendae Historiae Brandenburgicae studium meliorem mihi spem facit, in quo decus patriae, et dignitas auctoris, versantur. Sed haec tibi forte liberius aperio, cui otium pacemque oppido placere, scio. Neque enim me interpono iudicem, et mearum satago rerum. De Esaia quaedam mihi nunciata sunt, quae profecto innocentia eius diluet prorsus. Sagittarii quidem conatus laudem habet sed vt coniicis recte et colligis, in fumum abit. In magnis tamen voluisse sufficit, et, nisi res succedat, consistere quam progredi, est tutius. Gronouio, nisi nos petat, indulgeamus, vsque dum impetus deferuescat. Iudicium Viti, inuitis Musis, non audiamus, siquidem eo spectat, vt homines Academici nihil industriae conferant ad Historiam scribendam. Vsu refellitur, et euentu coarguitur, nec me perterrefaciunt ista simulacra, maxime,

quum

quum Potentiſſimus quidam Princeps ad perficiendum induſtriae curriculum non obſcure inuitat. Vale. Vitembergae Saxonum XIII. Cal. Oct. A. clↄ IↄCXXCVII.

CCCXLIV.
SIMONI FRIDERICO VVOLFHARDO,
Abbati Bergenſi.

ERubeſco, recogitans humanitatem, qua me ex Belgio reducem accepiſti et proſecutus es, pro animo et innata bonitate tua, quam ſemel iterumque ſum expertus. VValtherus, in locum Mayeri ſurrogatus, non leuiter et curſim, ſed ſerio, rem agit, et vere Theologum profitetur. Loeſcherus quoque ſuperiorem ſanabit plagam, et vitae grauitatem cum doctrina coniungit, adeo, vt, iam cicatrice obducta, mortem obitumque Bebelii mitius feramus. De Spanhemio crede pariter, et confide, promta beneuolaque mente litteras tuas excepturum. Vir doctus et modeſtus, ac ſigillatim antiquitatis gnauiter eſt peritus. In Anglia non timent nimis, ſed cauent ſibi, *Proteſtantes*. Rex ſpem *Eccleſiae* Anglicanae, et ſenatus regni fefellit vnde ſibi prouident ordines, nec latum vnguem a libertate recedunt, Cum exercitu nihil audet, cuius maior pars *Proteſtantibus* coniuncta

 eſt.

est. Auriacus et Georgius, Principes, retinent ſacra, et flecti non poſſunt. Pontificii etiam, eruditione impares, et linguae Anglicae imperiti, in certaminibus religionis ſuccumbunt. Batavi, recepta feliciter claſſe, triumphant diuitiis, et recreantur nuncio rerum Anglicarum, quae in India verſus Orientem non optimo loco ſunt et paſſim laborant. Caeſar, profligatis barbaris, exultat, Veneti, ſubactis Naupacto et Conrintho, totam Peloponneſum imperio ditioneque ſua complectuntur. Ita res Chriſtianorum bene eunt, male affecto *Chriſtianiſſimo*, quippe a gaudio communi et partibus noſtris auerſo. Vale. Vitembergae XII. Cal. Oct. A. cIɔ Iɔ CXXCVII.

P. S. Eckhardus opem patrociniumque tuum poſcit: Viros Ordini Sacro adſcriptos ſaluta, et niſi graue eſt, apud nos inuiſe, ſolenniaque ordinis noſtri praeſens orna.

CCCXLV.[1]

HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,

Fratri, Lugdunum.

TVa in comparandis libris diligentia mihi placet valde ac probatur de pecunia non eſt, quod ſolicitus ſis, quam proxima hebdomade curabo. Si Vbiorum

con-

consilia desiderio tuo non respondent, fac in Saxoniam redeas, et specimina industriae, vt par est, edas. Stipendium, vt audio, absentibus non persoluitur, nisi concessu beneficioque Principis singulari. Intelligo, quorsum id spectet, neque id moror. Annus effluxit, ex quo nihil acceperunt alumni; mittamus ergo hoc negotium, et aliam emergendi rationem viamque circumspiciamus. Vale, Vitembergae A. cIↃ IↃCCXXCVII.

CCCXLVI.

ILLVSTRISSIMAE DOMINAE HENRICAE CATHARINAE GERSDORFIAE.

Libenti demissoque animo imperata facio, et Vulpio, qui illustrissimae proli a studiis est, examen remitto, et a vita, moribus atque doctrina, commendatum in tabulas Candidatorum refero, exemplumque testimonii mitto. Illud ei ad laudem satis est, quod, tua commendatione ornatus, petat postuletque honores, quos humanitatis et sapientiae studia merentur. Felix fortunatusque est iuuenis, qui togati Herois exspectationem sustinet, et de sobole, illustri loco nata, meretur in dies, atque in vna adeo familia totam omnino patriam sibi deuincit. Nam omnium vota et charitates

tates Gerſdorfiae et Friſiae neceſſitudines complectuntur. Cum in Batauis eſſem, Clariſſimi Lugdunenſis et Traiectinae vrbis viri, audito Henrici et Caroli, Diuinorum fratrum, nomine, capita ſua, reuerentiae cauſa, aperiebant, in quibus, velut columnis, litteraria res innixa ſtetiſſet. Non mentior, ſed ingenuus teſtis loquor et ſcribo, quae praeſens vidi et audiui. Per horum veſtigia incedit dudum Illuſtriſſimus coniux tuus, et parem ſibi laudem vindicat, noſtriſque votis ac precibus reſpondet, ac dignus eſt, vt viuere nunquam deſinat inter mortales, ſuaque gloria viuus in perpetuo tecum foedere arctiſſimo perfruatur. Hoc optat, ſperat, precatur cliens. Vitembergae, Cal. Octobr. A. cIↃ IↃCXXCVII.

P. S. Ex Batauia frater meus raros curioſoſque libros afferet, qui ſimul atque redierit, copiamque fecerit, curabo aliquod exſpectatione dignum monumentum. Quos ego attuli, maiorem partem Graeci et manu exarati ſunt, a Scaligero, Heinſio, Vulcanio, et clariſſimis viris ſubnotati.

CCCXLVII.

CONSVLI OSNABRVGENSI.

CVm ſuperiori anno tenderem ad Batauos, conſtitutum mihi erat apud vos inviſere, et petere alloquium, et officio, quod tran-

transſeuntes exhibent, perſungi. Maxime ideo, quod veſtrae vrbi, ſapientia litteriſque florenti, bene cupio, et in parte gaudii pono, ſi intelligam, res veſtras eo eſſe loco, vt ex animi ſententia ire videantur. Sed curſor publicus, vt importunum eſt id hominum genus, retineri non poterat, vt commorandi ſpatium mihi daret. Teſtandae obſeruantiae ratio dilata, et in aliud tempus reiecta eſt occaſio ſalutandi. Audeo nihilo minus alloqui per epiſtolam, et intercedere pro amico, vita, moribus ſtudiiſque, mihi cognito, qui abs te, et prudentiſſimo ſenatu, prouinciam Rectoris Gymnaſii vacuam reuerenter et obnixe petit. Verſatus eſt probe in linguis, et modeſtia, ſobrietate ac diligentia, nemini concedit aequalium ſuorum. Eſt is Gerardus Meyerus, Hamburgenſis liberalium ingenuarumque artium magiſter, Vir perquam doctus, et editis doctrinae diſputationumque exemplis, clarus. Spondeo pro eo confidente animo, nec magis hominem, quam eruditionem atque probitatem, amo. Ego vero, audaciam hanc vitio mihi dari, nolim, quam et obſeruantia, et veritas, mihi expreſſit. Deus te ſeruet. Vitembergae prid. Nonas Octobr. A. clↃ IↃCXXCVII.

CCCXLVIII.

CCCXLVIII.
HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,
Fratri.

SVpplementum pecuniae, quod flagitas, curaui, iamque tempus et rationes domesticae admonent, vt quam citissime redeas, et taedia molestiasque hiemis anteuertas: si tamen ante Parisios visere cupias, per me licebit facias, et iter ex animi sententia tandem absoluas. Sin autem per Hassiam redeas, Haxthusium salutabis, ad quem scripsi, et Burcardum enixe commendaui. Libros, quos, abs te emptos, gloriaris, videre cupio, sed aurei numi iacturam vehementer doleo, non tam ob materiae praestantiam, quam ob antiquitatem. Fero, quod prospicere non potui, qui tuis litteris, quae redemptum nunciabant, omnino habui fidem. Ioanni Culemburgio duo numi unciales, me iudice, sufficiunt pro labore. Liberalitas tua claudenda, aut in aliud tempus differenda est, dum modo coetui sacro pro me exposueris, quos promisi, numos. Volo, vt de Origenis Commentario in Iobum labore non magno dispicias, et, an haberi possit, perquiras. Mentitur, enim auctorem et sola raritate aestimatur. Thesaurum Stephani forte alibi

alibi reperiamus. Etiam de nouis Liuii ſupplementis videas, quae in Gallia edita eſſe, affertur. Caroli a S. Paulo Geographia Sacra, et Petri Puteani opera, cum ſe occaſio dabit, comparanda ſunt, ex illa Spanhemius, ex his Obrechtus, ſapit. Bedae editio nouiſſima, cum notis, alio commodiori tempore haberi poteſt. Dartis Ius Canonicum, et Andreae du Cheſne opera, dudum a me deſiderantur, ſed nemo hic ſuppeditat, niſi, quod Bielkius affirmauit, apud Batauos extare, quod expertus ſum Hagae Comitis, in bibliopolio aulae Principis vicino. Aldini Rhetores, A. clↄ Iↄ VIII. editi, Ariſtaeneti epiſtolae, Porphyrius Holſtenii, Angeli Caninii Helleniſmus, Mekerchus de recta pronunciatione Graecae Linguae, Ennii fragmenta, Henrici Stephani, Simeonis Boſii, Leonis Malae ſpinae et aliorum, animaduerſiones atque caſtigationes et annotationes, in Epiſtolas Ciceronis, et cetera eius opera, ſaliuam mihi mouent, ſummo quodam habendi deſiderio, quod verbis exprimere non poſſum. Interpretes Graeci in Ariſtotelem, Caſtellii Variae Lectiones, Berterii πιθανῶν Diatriba, et Gallorum Italorumque opuſcula, ad Iuris prudentiam Criticam pertinentia, quem non inuitent et accendant? Hos poſſidet Noodtius veſter, et

Grae-

Graeuius Traiecti, qui, cum subsidiis abundent, magni fiunt, et merito celebrantur. Binii et Labbei Concilia in antiquitate *Ecclesiastica* vtramque faciunt paginam, sed quotus quisque sibi vindicat illa? Quenstedius priora Zieglero vendidit, iam riuulos consectatur, et Casalium, Suicerum, Montacutium versat. De Vicecomite, quem expilauit Casalius, videas, diligenterque explores. Cyrillum Hierosolymitanum et Cyrillum Alexandrinum, Isidorum Pelusiotam, Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Ephremum Syrum et Oecumenium inutili et vano labore hic quaeramus. Dadini res Aquitanicas et de Comitibus prouinciae, Lurbei Chronicon Burdegalense, Altasserrae et aliorum praeclara ingenii monimenta, multi ne viderunt quidem. Boxhornii Theatrum Hollandiae, Schreuelii Harlemum, Alex. Donati Roma vetus et noua, Nardinus, Bosius, Aringhus, vel solo nomine desiderium excitant. Omnia Meursii et Henrici Canisii opera, vbi simul hodie inueniantur, ignoro. Bruschii de *Episcopatibus*, Chiffletii Vesontium, Budaei tria volumina, et Gyraldi opera, Scriptores rerum Septentrionalium Lindenbrogii, Antonii Augustini Numismata, tua forte industria ementur, meam certe spem exspectationemque fallunt. Dictionaria et Glos-

Glossaria Antonii Nebrissensis, Roberti Constantini, obuia et vsitata Belgis passim, hic ignorantur fere, et Critici tamen esse volunt. Opuscula Bulengeri, Dresdae in pretio sunt, et a plerisque aestimantur. Langlaei Semestria, et Leopardi quaedam, solicite quaerit Iacobaeus. Lambecii Prodromum et Teschenmacheri Annales Cliuiae, vt accipias, vide. Libros illos nouos, de rebus Sinensibus et antiquitatibus Hollandicis, non refugio, si rationes tuae ferant. Vale, et Professores vestros, Graeuiumque, saluta, litterasque, abs te reduce et me simul mittendas, sponde. Vitembergae Saxonum, Cal. Nouembr. A. clɔ lɔCXXCVII.

CCCXLIX.
EIDEM.

NOn equidem reprehendo tuam in libris conquirendis industriam, sed volo iubeoque vt modum statuas, Germaniamque repetas, et insequenti anno, si fortuna benignior affulgeat, denuo Batauos inuisas, solertiamque tuam mihi probes. Neque id non monent rationes studiorum, ne ab instituto cursu prorsus alio rapiaris. Quid agamus et moliamur, spectant atque obseruant inimici nostri, miraturi, si facultates tantas, librorum caussa, profundamus. Multa fert tempus, et incepta fortunat, ne-

que vno ſtatim anno perfici poteſt conſilium, quod ratione magis, quam impetu, maturatur. Non, quae volumus, ſed,quae poſſumus, accipiamus, et Dei opem prouidentiamque compoſiti exſpectemus, quae noſtros conatus non deſtituet, tuoſque egregios labores iuuabit et prouehet ad exitum bonum atque optatum. Tantum opus eſt moderatione et patientia, cuius fructus ſaepe ad non opinantes redundat. De meis rebus ne angare, prouideo, quoad poſſum. Sciſcitantur, quid agam, ſed nihil experiuntur. Maſio reſiſtere non potui, cuius conſilium fouebant Lipſienſis et Pomereſchius, Syndicus Lubecenſis. Quod cum praeſentirem facile, conſulto factum eſt, vt prae me ferrem, non peti abs te beneficium, non, quod ita ſentirem ex animo, ſed, quia intelligebam machinationes inuidorum hominum, qui fundamentum petitioni Maſianae praeſtruxerant dudum. Non nullos male habet fortuna tua, et rebus tuis inuident, ac meam in te beneuolentiam et fidem prorſus admirantur. Vide, vt perquiras Galliam Chriſtianam Fratrum Sammarthanorum, et Pabebrochii Faſtos Sanctorum, in primis Miraei Bibliothecam Eccleſiaſticam, ex qua Cointe, vir ſummus, didiciſſe ſe, fatetur. Tu vero genus ſcribendi vitae ciuili accommodatum ſectare, et diligen-

ligenter excole, quod perpauci noſtra memoria ſolent, vix vnus condigne poteſt. Vitembergae, IV. Idus Nouembr. A. ᴄIↄIↄ CXXCVII.

CCCL.

EIDEM.

FAc, quam primum reuiſas Germaniam, et, comparata librorum ſupellectile, in Saxoniam redeas, mercibuſque expoſitis, fructum operae non inanem ſperes. Hic ſimulatque repetieris ſuperiora doctrinae ſtudia, fundamentumque ieceris ſolidum, edito ſpecimine, diſcedes Francofordiam, et, Strykii ductu, ornamentis in Saxonia Batauiaque partis, cumulum addes. Nec tamen prohibeo, quin Saxoniam tranſeas antiquam, et, quod ad concinnandum opus reſtat, conquiras et aſſerues. Quod ſi nullo tamen reſponſo te, dignentur, ſilentio tranſmittes omnia, et iter alio vertes, vt inter nos et colloqui, et de inſtantibus conſtituere, poſſimus. Mater benigniſſima de ſtudiis tuis non ſine gaudii ſenſu ſcribit, ſpemque bonam concipit, et impenſe ſibi gratulatur, nec dubitat, ſi quid ipſi humanitus contingat, nos concordes fore. Nihil hic, opinor, ſubuerendum eſt, quando meam hereditatis partem tibi donaui et ceſſi, hancque mentem non mutare ſtatui, con-

ſilio maturo pariter, et firmo. Librorum
indicem perlegi, nec recuſarem emere p
roſque, ſi temporum fortuna ſineret, et
tiones tuae ad abitum comparatae. Tan
tum volo, vt Artemidori Onirocritica, qui
bus egeo, Chronicon item Alexandrinum
Raderi, Purchaſſii opera, in Batauum
to, ſermonem verſa, Conringio non
rata, cum in Batauia viueret, locuple
librorum notitiam ſibi pararet, S
Concilia Galliae, Scotiam Italiamque
ſtratam, Cheſnii opera, Themiſtium
tionis Petauianae, Ariſtophanem Ald
Diodorum Siculum Stephani, Caſaubon
lingua Saxonica antiqua, circumſpe
aequa conditione emas. Quaedam C
foſtomi Homiliae, ſeparatim Lutetiae
ſiorum editae cum notis, magno
rio afficiunt, ex quibus Graecum
egregia deſumpſit, Atticumque
ciano perapte et opportune
Muſeum VVormii apud Schel
Hagae Comitis extat, liber certe
et curioſus. Ad Magliabechium
faſciculum ſubmiſi, an acceperit,
quem fidei bibliopolae commiſi.
Norimbergenſis liber, manu exaratus
triangulis Sphaericis, non eſt, quod
euulgatus. Ariſtotelis Mechanica
notationibus, a Viſierio

dum prenſo, tu licitaberis, pecuniamque expones. De Geneuenſi ſtudioſo gratum eſt, quod nuncias. Murſa capta, Poſega iugum ſubiit, Agria dedita eſt, Alba regalis fortunam ſuam exſpectat. Quod reliquum eſt, feliciter ad nos reuertere, et, priuſquam abeas, omnes viros clariſſimos multum diligenterque meo nomine ſaluta. Vitembergae, prid. Cal. Dec. A. clɔ Iɔ CXXCVII.

CCCLI.

EIDEM.

QVod ſemel iterumque ſcripſi, vt quanta poſſis celeritate redeas, id tertium volo, ſerioque hortor, vt, confectis rationibus viae te des, moramque praecidas. Libros codiceſque conquiſiuiſti diligenter, et comparaſti enixe, quod laude dignum eſt, meumque in te ſtudium auget, amoremque confirmat. Sed modus, vt prudentia admonet, tenendus eſt, ne emendo nimis, vires noſtras exhauriamus. Caeſaris ſucceſſus ſecundi et prorſus admirabiles ſunt. Vngari, etſi paullum tricati ſunt, tamen Caeſari armato, Turcarumque victori, regnum, lege hereditaria pro maribus feminiſque deſcendentibus, adſcito in iuris partem Rege Hiſpaniae, nec Lotharingorum Du excluſo, conceſſerunt. Hoc eſt, quod a

ſaeculo inde quaeſiuit, et tandem obtinuit, Auſtria, magnum terrae ſpatium complexa domus. Ioſephus, natu maior Caeſaris filius, regni Candidatus, nec minus Pater eius, Latina oratione Vngaros allocuti ſunt, obſtupefactis, qui adeſſent, et in admiratione loquentium Principum defixis. Sane eruditiſſimus omnium Europae Principum eſt Auguſtus noſter. Catalogum Oiſelianum non vidi, vbi haereat, ignoro. Tu laborabis, vt quam primum afferatur. Cheſnii Scriptores Francorum, et Lindenbrogii Scriptores Septentrionales, in primis abs te curari, oportuit, quos Conringius et Boeclerus habuerunt, et hic inter praecipuos bibliothecae ſuae hiſtoricae numerauit. Sed, quia tot tantiſque impenſis vix ſufficiunt res meae, hoc inſtituto ſuperſedeas, et in aliud tempus reiicias, velim. Credo alioquin, eos ne in Saxonia quidem noſtrate reperiri, quos ſolicite inueſtigant Lipſienſes aeque, ac Ienenſes. Iſidorus Peluſiota hic XIV veniit numis. Oecumenio carere poſſum. Magliabechius ad me ſcripſit de ſecta Molinae, et mihi bene cupit. Vellem, te, ſtudio Iuris perfunctum, ipſi praeſto in Italia eſſe. Non dubito, quin data occaſione, bene de te promereatur. Vale. Vitembergae, pridie Nonas Decembr. A. clɔ Iɔ CXXCVII.

CCCLII.

CCCLII.
EIDEM.

Sisyphius ille tuus conatus, et consilium prorsus inane est, quum te tali struenda bibliotheca cogitas, cuius similem nemo priuatus in Germania habet, aut facile non sit deinde habiturus. Sed, nisi tibi Suffenus es, non recusabis, admoneri, et, subducta ratione, aliter statues, sententiamque tuam mutabis. Vnus Italiae angulus plures possidet codices scriptos, quam vniuersum, cuius litterarias opes iactas, Belgium vestrum. Michaelem Ephesium Graece vbi reperias? Dic, quaeso, vbi nancisci queas Plotinum, Steuchumque Eugubinum, in quo tantopere sibi quidam hic placet? Commentatores Graecos in Aristotelem, Thomam Magistrum, ne vidisti quidem. Scriptores Duchesniani non integri perfectique extant in bibliotheca Oiseliana. Petri Puteani opera, vix audias, venum exponi. De Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum altum apud vos silentium est. Launoii Epistolae iam dudum irrito labore abs te quaeruntur. Eusebius de Praeparatione et Demonstratione Euangelica, editionis Vigeri, nondum abs te conspectus, nedum repertus est. Graecae Constitutiones Nouellae Iustiniani, quas

ſeparatim editas deſidero, nunquam tibi viſae, nedum emptae ſunt. Galeni et Hippocratis opera ſimul edita Pariſiis, fugiunt tuam ſcientiam, nec ſubeunt oculos librariorum. Procopii opera vniuerſa Graeco Latina a Gallis emiſſa, an videris, dubito valde, et, niſi aperto indicio fidem facias, vidiſſe te affirmanti non credo. Plato Serrani, de quo ſcripſiſti, non hic perrarus eſt, etſi eum mihi fortuna hucuſque inuidit. Quoties abs te poſtulaui et petii, vt copiam mihi faceres ſcriptorum Septentrionalium Lindenbrogii, ſed, ſpe fruſtratum me, ſentio, et Hylas; Hylas, abs te occini, audio. B[illegible]aeum, Nicium, Boxhornium, ingeminas, et tantum non his nominibus me obtundis. Dartis empti fama huc permanauit, ita omnis tuus ſermo de Darte eſt, vt breui omnes Magiſtri Dartem empturi videantur. Tollius, vir clariſſimus, Florentiae commoratur, et codices perquirit, quem credo in vicinia veſtra manſurum fuiſſe, ſi apud Belgas reperiſſet, quae in Italia reperturum ſe, ſperat, planeque confidit. Mazarinus in Italia, non in Belgio, libros codiceſque emendos curauit. Gudius, Cimber, Toloſae, et alibi in Gallia atque Italia, Graeuius Coloniae Vbiorum plura nactus eſt, quam in Belgio, vbi tot emptores, quod homines, ſunt: multo pau-

cio-

ciores Italia habet librorum et litterarum admiratores. Haec recogita et reditum festina Fons exarescet tandem, nisi tantundem recipiat, quantum exhauritur. Sera in fundo parsimonia est, quod tempestiue reputes, velim, modumque teneas emendi. Oiselii Bibliotheca longe est infra Heinsianam et Goesianam, si libros manu exaratos expendo, illic perpauci sunt, nec his pretio et dignitate aequandi. Arbibitror, centum, vel ducentis numis, si licitari velim, potissimos eius bibliothecae libros, quibus ego quidem indigeo, ad me peruenturos. Merceri Forneri, Alberici et Scipionis Gentilium, Contii, Caroli Malinaei, Langlaei, opuscula emere cupio, quippe quae erudita sunt, et variae doctrinae copiam praebent. Vossii Historia Philosophica, Ennii Fragmenta, Gaudentii et Filesacci scripta, Gatakeri Antoninum, Raderi Chronicon Alexandrinum, Concilium A. M. CCCCXXXIX. Florentiae habitum. et in Anglia editum, ac Hagae Comitis recusum, Descriptionem Concilii Nicaeni, vel auctiones tibi crebrae offerent, vel officinae librariae suppeditabunt. Quotusquisque est, qui Victorii Siri historiam legit? Laeti historia hic in omnium manibus est. Vulgares, nec admodum raros libros, frustra sis, si adferen-

dos putes. Quae abs te fieri, velim, ex Clisii epistola intelliges satis, et sine mora te viae dabis. Vitembergae Idib. Decembr. A. clↄ Iↄ CXXCVII.

CCCLIII.
EIDEM.

MVlta in te ornamenta sunt, quae vsu et diligentia auges magis et excitas, magnamque mihi laudis parandae et amplificandae spem facis. Haud exiguam vero curam sustineo, quod nihil dum litterariae supellectilis, de qua tam praeclare promittis et scribis, ad me est curatum. Illud me inter incerta erigit quodammodo et sustentat, quod, alieno anni tempore, viae perquam difficiles et lubricae impediant remorenturue aurigas. Nisi haec seri aduentus caussa sit, operam perdideris tuam, ego sumptus frustra fecerim omnes. Digna haec esset audaci consilio poena, si quid secus accideret, quam cogitasti. Sed bene spero, et foedum ineuntis anni omen detestor, veneror que Deum Immortalem, omnibus tuis honestis conatibus adsit et annuat, teque custodia sua defendat, ac laeta feliciaque tuis praecipue studiis benigne largiatur. Ex te mea et familiae nostrae spes pendet, matris quoque praesidium vnicum, cuius retinendae cura tibi vel maxime

xime incumbit. De mea fide et auxilio, quoad fieri poteſt, non dubitabis. Tantum pie et prudenter res tuas age, modumque emptionis habe. Nam in hoc negotio praeferuidus es, et ruis in officinas perinde, ac ſi currenti quiſquam calcar addidiſſet· Quem ardorem impetumque rationes domeſticae non ferunt, quando occaſiones interdum occupandae, ſi periculum in mora eſt, aliquando exſpectandae, ſunt, ſi minor eſt licitantium numerus aemulatioque. De Suiberto, praeſule, falleris, quippe qui, ſacris Ferdenſium apud Veſtphalos praefectus, ſedem ampliſſimi ſacerdotii iuxta Alleram, quae Viſurgi iungitur, habuit, non apud Rhenum, quae tua coniectura eſt, conſedit. Ratio tua longius petita eſt, quandoquidem Viſurgis lintrium et nauigiorum patiens eſt, atque ex Oceano in Viſurgim, et hinc in Alleram, commeare licet expeditumque eſt ſatis. Te iudice aut arbitro nihil hic recte conſtituam, quoniam te ratio interpretandi commoda fugit. Ignoſce libertati, quam veritas mihi exprimit, vt reducam te in viam a qua logius aberraſti. Oppidum, de quo ſcribis, nullum habuit Antiſtitem, quod te praeterire non potuit, ſi Faſtos Antiſtitum, cum ſcriberes paulo diligentius euoluiſſes. Viciſſim ex te ſcire cupio, quo tempore Friſia,

Frisia, quae Hollandiae, qua Septentrionem spectat, iuncta erat, abrupta, et mari diuisa atque disiuncta fuerit, quod si non doceas, vt par est, accurate, poeniteat te, vixisse inter Batauos, originum suarum non ignaros. Sed illud in primis te posco, quid Ciceroni *territorium* sit, quaue notione capiatur. Nam Romani prouincias in territoria descriptas non habuerunt. Verba Ciceronis extant in Philippica II. Venit hic quoque in mentem Alpheni, qui affirmat, medicum Libertum, si liberti sui medicinam non facerent, plures imperantes sibi habiturum, vt legere tibi licet sexta et vicesima lege in Pandectis, titulo, qui proditus est de Operis Libertorum. Cuius notae sint hi imperantes, edissere mihi, si potes. Ego ex Tacito exponere consueui, locus, an tibi succurrat, ignoro. Quare, humaniorem Iuris prudentiam cordi esse tibi, volo, et, quae legum rationes causasque ex philosophia et recta ratione depromit. Vtraque vulgo neglecta est, et eo magis cura laboreque tuo digna. In publicis lux Historia est, cuius opes copiasque, licet, apud me inuenias, si libet. Auctor tibi sum, circumspicias, an apud vos extent, et haberi possint, Charondae Verisimilia, Antonii Goueani Variae Lectiones, Freymonii crepundia, Guil. Ranchini Variae Lectio-

ctiones, Petri Perrenonii Animaduerſiones, Scipionis Gentilis Opuſcula de Iurisdictione, Fornerii Selectiones, Longouallii Commentationes, Caniſii et Ducheſnii opera, quae me tenent deſiderio et torquent. Thomas Magiſter diu ſpem deludit. Si in antiquam Saxoniam venias, fac accipias Epiſtolas Lipſii nondum editas, quas daturum ſe, recepit Rauchbarius, excutias vbique pluteos, Solderi er Funcii, quorum alter habet libros pleroſque ſelectos et bonos, alter non paucos furtim ſurripuit nobis, quos, data occaſione, repetas et ſerues. Themiſtii editionem caſtigatiſſimam, in forma ordinis maioris quaeſiui dudum, nec facile, credidi, apud vos reperiri, cuius ſi copia tibi ſit, velim ſine mora emas, mihique tranſmittas. Vale, et caute circumſpecteque res tuas age. Vitembergae, A. cIↄIↄCXXCVII.

CCCLIV.

NICOLAO L. B. A. GERSDORF.

SAncta mihi eſt recordatio Calendarum, quae praeterierunt Ianuariarum, quippe quae me admonent, vt votis publice factis cumulum addam, optemque a Deo Immortali, et, quanta poſſum, animi pietate contendam, vt Numine ſuo, cuius nutu reguntur omnia, caput fortunaſque tuas praeſi-

dio

dio et ope sua defendat, arduaque consilia fortunet, et bene semper patriae euenire patiatur. Tempora difficilia pariter, et dubia, res passim miserae afflictaeque, sunt quae abs te idoneum et sufficiens remedium, quod alibi destinant quidem, sed non reperiunt, fiducia bonitatis tuae exspectant, non opinione sua et spe concepta frustrantur. Indulget hoc tibi rerum Parens et Moderator aeternus, vt, corpore animoque vigens, magna cum admiratione omnium, qui [illegible] ras occupationesque tuas multo grauissimas atque in primis arduas, circumspiciunt, attoniti vident aestimantque maximos, plane incredibiles pro salute publica [illegible] res. Quae gloria tibi relicta est, vt [illegible] feturque posteritas, nihil abs te [illegible] inchoari, quin perficias recte, et [illegible] lumen addas, fastigiumque imponas. [illegible] vero Deus sinat, vt haec tua, meritis [illegible] digna, felicitas vnquam haesitet, [illegible] rumque iniuria minuatur. Hoc [illegible] timus, hoc clientes precamur, hoc [illegible] petimus, hoc publico consensu [illegible] et poscendo instamus, vt coelesti [illegible] fultum te diutissime habeamus, [illegible] oculos et animos ad cultum [illegible] que tuam aduertamus, [illegible] tentem et firmam, Coniugem [illegible] saluam, heredes validos, atque [illegible]

maternamque laudem erectos, aspiciamus, aspectuque hoc, tanquam gaudii nostri parte, fruamur, et fruendo intelligamus, vnum Musis praesidium decusque esse nomen tuum, in quo respublica innixa est fulcrumque habet, quod patria amat, colit, admiratur. Vitembergae Saxonum, ipso die Epiphan. A. clↄ IↄCXXCVIII.

CCCLV.
HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,
Fratri.

Libros, quos Amstelodamo Lipsiam curasti, sine vitio integrosque accepi, quamuis minori numero, ac speraram, nec omnes perinde selectos, atque cupiebam. Nihil tamen de industria tua detraho, propterea, quod licitantium strepitus saepe oculos animumque perturbat, vt, quid eligat, nesciat, turbae clamore impeditus. Inter omnes optabam Dufresnii Historiam Francorum, Lindenbrogii Scriptores Septentrionales, Michaelem Ephesium, Thomam Magistrum, sed spe cecidi, nec fortuna mihi arrisit. Roberti Stephani N. T. Codicem, maiori forma editum, ignorasti, et Henrici Stephani Thesaurum, Rhetoresque Graecos Aldinos, omnino praetermisisti, in quibus plus, ac in aliis omnibus, mi-

hibitum erat. Themistium liberalius, quam verius, promisisti. In Espenecaeo Zieglerus sibi placet, et plaudit. Opuscula Frifaci apud Viuierium, de quibus submonui, excidisse memoria nullus dubito. Halloixius qui Vitas Orientalium Scriptorum multo studio conscripsit et edidit, hic passim tus, hominibus etiam proletariis tritus, titiam tuam fugit. Launoii epistolas labore perquiris, Hammondi plerique Historiam sacram, et hierarchiam perti tia, eaque in vulgus nota, et nostris rissima, vbi apud vos delitescunt? eiusmodi, de occasione, origine et pro su, hierarchiae Anglicanae, suggeret monebit Theologus multo doctis Spanhemius, qui abituro Opuscula misit. Patres, in primis eruditi, zenus, Nyssenus, atque, non postremus, terpretum, Oecumenius, et plures, expectantur. Vitembergae Saxonum Febr. A. cIↄIↄCXXCVIII.

CCCLVI.
ASARELI MEDERO,
Transyluano.

SAlutum te esse, vehementer gaudeo, manopere cupio, vt, inter has tempo rum vicissitudines, diutissime flores rerum consiliique de patria bene me

Non dubito, et prorſus opto, nouas Vngariae conuerſiones vobis eſſe proſperas, et libertatem pariter, ac ſacra, nihil capere detrimenti. Litteras tuas laeto libentique animo perlegi, maxime ob confectas itinerum moleſtias, quae decus tibi afferunt maximum, fructuſque cumulatiſſimos reddunt. Turcae nihilo meliora auſpicia ſub Solymanno habent, atque ſub Mahomete IV. experti ſunt. Id quod rei Chriſtianae expedit, et vobis etiam, vt ſpero, conducit. Vale, et veteri amico beneuolentiam ſerua et confirma. Vitembergae, Prid. Non. Febr. A. cIↃ IↃCXXCVIII.

CCCLVII.
FRONIO.
Tranſyluano.

SAepe recordor iucundiſſimae ſtudiorum conſuetudinis, qua inter nos coniuncti, vulgus, in ſtudia iniquum, adſpernati ſumus. Nihil fraudi ſit nobis, quod ignari homines, furentium ſimiles, debachentur in litteras, quas ipſi non intelligunt, et odio potius, quam merito noſtro, commouentur. Infra iram tuam eſt cenſura hominis abſurdi et impotentis, qui in lingua, non in animo, praeſidium habet, tantoque eſt audacior, quanto imperitior iudicatur. Erigit te conſcientia recte factorum, et contra ſae-

culi inuidiam firmat, propterea, quod hic mihi, et omnibus bonis, qui de virtute recte existimant, cumulate satisfecisti. De numis, quas possum, ago habeoque gratias, et, si qua in re possum, studia officiaque mea promptissime offero consecroque. Vale et honori meo faue. Vitembergae, Non. Febr. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCLIIX.

SEBAST. HENR. TRESCHIO, *I. V. D. Magdeb.*

EX superiori tuo colloquio, et consuetudine multo iucundissima, mirificam et prope incredibilem cepi voluptatem. Quo magis te videre et amplecti cupio, [illegible] si hoc assequi non possum, libenter curo omnia, quae ad dignitatem tuam quocunque modo spectant. Magistrum erudiendae sobolis, vt potui, diligentissime quaesiui, tuaque imperata prompte ac libenter feci, vt intelligas, omnia, quae fieri velis, curae mihi cordique fore. Professus est inter ceteros nomen Carolus Guilelmus Calbius, Palaeosedinensis Pomeranus, homo probus, sollers et doctus, qui, honesta mercede se conduci, patietur, venturus ad capessendum hoc munus, quando mandata tua perferentur. Quem eo magis commendandum duxi, quod biennium hic exegit, et aliquam

pe

post priuatim docendi partes suscepit, ac pietatem diligentiamque omnibus probauit. Hunc, quaeso, admittas, et, qualis sit, venientem explores, quem ego idoneum existimo, et credo, in hac industriae laude perseueraturum. Quod reliquum est, opto, vt consilium hoc tibi et soboli tuae bene vertat, commodisque expediat, curasque tuas soletur. Nam decus parentum in moratis liberis situm est, quod volo tibi esse perpetuum, et cum gaudio ac dignitate tua semper coniunctum. Ita te Deus propitius seruet, et familiae tuae omnia prospera ac salutaria largiatur. Vitembergae Non. Mart. A. cIↃ IↃ CXXCVIII.

CCCLIX.
HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,
Fratri.

DE felici tuo in Germaniam reditu sic afficior, vt prosperitatem hanc velim tibi esse perpetuam, quae mihi periucunda est, et singulare gaudium affert. Nullam alienati animi suspicionem habet, quod scripsi, neque fidem et industriam tuam in dubium vocaui, sed omnino desideraui in te moderationem, quam adhibere atque citius in Germaniam reuerti debuisses. Nam, quae mea fuit sententia, superiore anno

redire te oportuit, vt ſub initium menſis Maii iter reflecteres Groningam. Sed, facta iam infecta reddi non poſſunt. Pufendorfius, Berolinum accitus, et mercede ad ſcribendam hiſtoriam conductus, atque inter ſanctiores conſiliarios eſt relatus. Saxo, viſendae Batauiae cauſa, viae ſe dedit, natu minor filius Galliam Italiamque obit, Heres dignitatis verſus Italiam iter parat. Anglus, vt ego quidem iudico, nihil auſurus eſt contra Batauos, quibus Hildebrandus, in epiſtola ad Zieglerum ſcripta, exitium praeſagiuit, haud aptus augur et verus, quandoquidem Regis illius rationes ita comparatae ſunt, vt, regno nondum ad nutum formato, bellum non ferant. Polonia contrariis trahitur ſtudiis: Caeſari expedit bellum continuari, vt per illam gentem Tartari diſtineantur. Pontifex ſibi in iure ſuo conſtat, ne latum quidem pilum Regi Franciae ceſſurus. Nititur, vt mea opinio eſt, Regis Angliae praeſidio, cuius cum eo conſilia arctiſſime ſunt coniuncta. Rident in ſinu Hiſpani, et auctores litium moleſtiarumque perhibentur. Vir doctus, Epiſtolam ſcripſit de ea controuerſia, ſed non ſatis rem intellexit, et ineptas a Francorum Regibus, olim de ſe bene meritis, rationes contra ſedem Romanam adduxit. Iure gentium, et argumentis grauiſſimis ſe tuetur Ponti-

fex

fex, et, ratione firmus, non timet vim, ſceleriſque aſylum ſubmouet confidenter. Vnus Romae Princeps, vna Principis iuriſdictio, quae in vno capite inſiſtit, atque inſociabilis eſt, quam ſi Legati nomine Regum ſibi vindicare coeperint, regna pariter, et regnandi iura, confundentur. Ne Caeſar quidem, ſummus vrbis Dominus, Pontificem impedire poteſt, quin iuriſdictione ſua vtatur, quam, donatione Imperatorum, pleno ſummoque et non repetendo in vrbem iure praeditorum, accepit, multorumque poſſeſſione ſaeculorum retinuit atque confirmauit. Nihil habent, quod ſibi arrogent Franci, qui nihil in vrbem iuris habent, quo octo abhinc ſaeculis exciderunt. Quod reliquum eſt, res tuas feliciter age, et vale. Vitembergae Saxonum, VII. Id. Mart. A. clɔ Iɔ CXXCVIII.

CCCLX.

IOANNI GEORGIO ORTHIO,

Patricio Francofurt.

RES tuas eſſe proſperas, valde gaudeo, et volo, vt credas, me et ſeruire honori tuo, et ſtudere commodis, ſi poſſim. De poſtulato tuo, ſi rationes liquido confectae fuerint, non dubitabis, me curaturum, vt tibi honeſta ratione ſatisfiat. Tantum minas omitte, quae amicitiam diſſoluunt ac

tollunt, nec inclinant, ſed irritant magis. Tres et triginta numos ex promiſſo liberali petere tibi licet, amplius poſcere, non eſt integrum. Dabo tamen amicitiae noſtrae, vt vel tandem nonaginta tibi perſoluantur. Si neque ſic acquieſcas, per te ſtabit, mihi, ſuperiore pactione freto, nihil erit metuendum, Adnumerarem plures, ſi conditio mea ferret, vt largius exponerem numos. Iter in Batauiam, et munus Decani, quod vocant, proxime ſuſceptum, nimis care mihi conſtant. Si paullo ad me ipſum redierim, ſpatiumque colligendi habuerim, plura potioraque officia apud te collocabo. Schedas frater meus conquiret, quae hinc inde diſperſae iacent, nec mihi vacat ſolutas colligere, et deſcribendas curare. Vale. Vitembergae VI. Id. Mart. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCLXI.

GVIL. ERNESTO TENZELIO.

INſtitutum laudis plenum eſt, quod nuncias, nec dubito, quin ex animi ſententia ſuccedat, ſi ſimile ſtudium operamque ſocii conferant, et patrocinio magni praepotentiſque cuiuſdam Principis nitantur. In capite, quod ſodalitati eruditae praeſidium decuſque afferat, omnia ſita ſunt, Praeſes in magna florentique vrbe conſtituatur, qui tan-

to ſit par muneri, rationeſque ſapienter conficiat, et cum laude ac dignitate Collegii res moderetur. Si praeſto ſit patronus, ſi praeſes aptus et dexter, qui omnia diſtribuat ſapienter, et ordinet, nemo ambigat, quin digne tandem Germania illuſtretur a ciuibus, quibus haec ratio officii omnino conſtare debet. Non abnuo nomen dare collegio, aut fratri meo vicariam delegare operam, qui, me annitente, edet aliquid huius argumenti, et ſimul, atque ex Batauis redierit, vobis ſubmittet. Opuſculum tuum purpuratis probari gaudeo, et magnopere opto, vt labores tui permulti atque egregii fortunentur, et quae virtus tua poſcit, praemiis ornentur. Vale, Vitembergae Saxonum V. Id. Mart. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

P.S. Diſſertatio pro Rege Galliae contra Pontificem ſcripta, ac deinde in ſermonem Teutonicum conuerſa, mihi non ſatiſfacit, nec ſtatum quaeſtionis recte definit, nec cauſas attingit, ſed rationes ad ſuadendum comparatas adducit, neque has ad caput arcemque rei pertinentes. Ego in duobus argumentis elaboro, ſed quae non edentur, in re cauſaque publica, de qua coram aliquando, ſed haec tibi in aurem, ſalua viri fama, cui nihil detractum volo. Rudolphi a ſecretis ſalutetur.

CCCLXII.

ANTONIO MAGLIABECHIO,

Magni Etruriae Ducis Consiliario et Bibliothecae praefecto.

RAtio officii praeter ceteros tibi constare, debet, cuius et permulta in me extant merita, et dona etiam grata, mihique periucunda afferuntur. Quo nomine vicissim fidem meam libero, et animum declaro promptum, honorisque tui studiosum, ac beneficii memorem, atque in tua etiam veneratione defixum. In Belgio honori tuo libaui apud Graeuium et Gronouium, clarissimos viros. Causam litis, inter Pontificem et Regem Galliae vertentis, non intelligunt nostrates, et perperam defendunt Regem, sed ego a partibus Pontificis stare malim, quam Regis. Tu doce et da, si quid habes selectum, aut tabulas mecum communica, quae me penitus erudiant atque informent. Superiore anno fasciculum misi, quem credo, recte curatum esse. Vale, et, quo soles, amore complecti me perge. Vitembergae apud Saxones, prid. Id. Martias, A. clↄ lↄCXXCVIII.

CCCLXIII.

CCCLXIII.
RECENS CREATO MAGISTRO.

Nihil non honoris cauſa experiuntur mortales, nec dubitant perferre moleſtias, adeuntque pericula et ſuſtinent, neque opinione ſua falſi, vnicum hoc decus praemiumque eſſe arbitrantur. Quos tu in optimo ſapientiae certamine ſequendos putas, nec ferro, ſed ratione diſceptas, ac quotidie doctior meliorque euadis, et noſtram in primis ſocietatem ſtudiis atque indefeſſo labore ornas. In quo propoſito inſiſtis feliciter, et ſumme Reuerendi Sagittarii patrocinio fretus, dignum te exſpectatione noſtra praeſtas, honoreſque ſuſcipis dudum promeritos, quos Deus fortunet, neque vlla temporum labe foedari ſinat. Feſtinanter Vitembergae Saxonum III. Id. Mart. A. clↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCLXIV.
DECANO.

Res tuae ex animi ſententia confectae ſunt, quas non ad queſtum, ſed ad Ordinis dignitatem praeclare ſapienterque retuliſti. Induſtriam, dexteritatem, iudicium probo, quae cum in aliis ſaepe negotiis, tum in hoc maxime munere perſpici debent atque aeſtimari. Quare bene tibi cu-

cupio, et gratulor tot ornamenta et laudes, quae non ab amore meo, quo tamen nemini concedo, sed omnino a tuis meritis proficiscuntur. De meis in te studiis nihil dubita, et statue, me sequi auctoritatem tuam, et nihil in eo genere cuiquam reliqui facere, quod sciam prodesse tibi, commodoque fore. Vitembergae IV. Id. Mart. A. clɔ Iɔ CXXCVIII.

CCCLXV.
ERNESTO GOCKELIO,
IC *Vlmensi.*

PErmultum tibi debeo, cum ob propensam in me voluntatem, tum ob egregia Iuris publici specimina, quibus me donas pariter, atque rem litterariam auges. Planum est scribendi genus, quo vteris, nec implicas verbis ambiguis, quae explicare constituisti, id vero te decet, et arti iuris congruit, cuius tu luculentus es interpres. Nemo igitur hoc nomine iniuriam tibi faciat, quod perspicuam, simplicemque et nudam, scribendi rationem tenes, propriamque tibi vindicas, et doctrinae magis, quam delectationi, inseruis. Etenim tua ad rem publicam spectant, et ad vsum vberiora sunt, ac rerum varietate in primis delectant. Qua in parte tibi et patriae gratulor, de qua tam bene mereris, vt nemo me-

melius possit. Ferme autem tibi succenseo, quod argumentum, de Legatis et Religione inscriptum, mihi subtraxeris, nec miseris simul cum aliis, sane pereruditis, opusculis tuis. Omnia enim libenter lego, animumque, aliis distractum, saepeque laboris pertaesum, erigo tuis et excito, quasique pasco. Ignosce vero libertati, et in illo laudis tuae curriculo perge, saeculumque monumentis ingenii perpulchris orna. Sueui, et sigillatim Vlmenses, qui hic sunt, et studiorum caussa commorantur, dignos se tua patriaeque exspectatione praebent, quibus vel tua causa faueo, et, quantum in me est, cupio prodesse. Princeps EL. Brandenburgicus superiori hebdomade decessit, magnumque sui desiderium reliquit. Quid proxime ab Imperio, satisfactionis causa, postularit, te non fugit. Res Caesaris, pii et iusti Principis, prosperae sunt, quas Deus porro fortunet, et Belgradum, tot victoriis speratam metam, benigne addat. Gallus in sinu non ridet, sed dolet et angitur, sed inuidet et moerore quasi contabescit. Consilium occupandae Cretae melior aura discutiet, quod Alastor quidam improbo adulationisque pleno carmine stimulauit. Angliae securitas pace retinetur, Bataui cum ea bellum, quam pacem, malunt: Gallia molitur potius, quam au-

audet. Deus te et nobilem familiam, cum illustri libertatis sede, Vlma vestra, regat diutissime et seruet. Vale. Vitembergae, Idib. Martiis, A. clɔ Iɔ CXXCVIII.

CCCLXVI.

IOANNI GEORGIO GRAEVIO,

Traiectum.

MVlta et eximia, quae in me extant, beneficia tua saepe multumque aestimo, et, plurimum me tibi debere, fateor, ac libens agnosco. Vellem referendae gratiae occasio suppeteret, vt, cum animum, tum studia mea, tibi approbare possem. Sed non is sum, qui tuam exspectationem sustineat, etsi hoc vehementer cupio, et de tua conditione, quam opto esse prosperam, aeque solicitus sum, ac de mea. Brandenburgicum, qui tuo in primis honori fauebat, alieno reipublicae tempore, amisimus, Principem summae auctoritatis, et soli Caesari secundum. Pufendorfius in aula est, de quo non omnes eadem ratione existimant, nec dum lites confectae sunt, quae ipsi cum Seckendorfio intercedunt. Lipsiensis summis calculo doloribus affectus, quo se vertat, nescit. Vnus Francofurti ad Viadrum Strykius viget ac floret, quem ei successorem plerique destinant simul et optant. Tu vero bene agas, et diutissime su-

ſuperſis, ac de re litteraria, vt ſoles, porro bene merearis. Gronouium, Rycquium, Spanhemium, Drelincurtium, Vitriarium ſalutari, peto, omnium maxime coniugem, filiumque indolis praeclarae, et animi ad gloriam erecti. Andream Chriſtianum Eſchenbachium, ciuem Noricum, tibi commendo, cuius mores et induſtriam, ac diſcendi cupiditatem probo. Vitembergae, Idib. Maiis, A. clↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCLXVII.
HENRICO MEIBOMIO,
Archiatro et Hiſtorico Guelferbytano.

EFfuſa tua bonitas eſt, qua me, nec opinantem, proſequeris, et magnum nominis Meibomiani monumentum vltro tribuis, et meae adeo bibliothecae infers. Scelus ſit, obliuiſci hoc beneficium, quo me affeciſti indignum, ſed laudis tuae omnino ſtudioſiſſimum, ſanctiſſimumque cultorem. Velim, me eſſe eum, qui paria referre poſſit, meritiſque reſpondere ſummis, quae mihi quotidie, nec ſine pudore meo, ante oculos verſantur. Etſi autem nihil tale ſuppetit, quo tuae in me propenſae voluntati ſatiſſaciam, tamen, quod poſſum, ſtudebo atque annitar probare omnem induſtriam, quae cum in officio et obſeruantia ſane, poſita eſt, tum in primis ad hono-

rem

rem cultumque tuum ſpectat. Venit in mentem recordari ſermonum, apud Batauos habitorum, qui quanti te facerent, multis amplisque praeconiis identidem teſtatum fecerunt, inter hos praecipue Graeuius, ocellus noſter, Gronouius iunior, paternae laudis aemulus, Rycquius, et, qui nemini in te amando concedit, Drelincurtius, qui te permultum diligit et colit. Libauimus honori tuo, et optauimus, vt tibi eueniat, quod Iamblicho quondam, optimo ſapientiſſimoque viro, qui et decus ornamentumque erat terrarum orbis, et longiſſima etiam vita fruebatur. Quod perinde mecum cupit Zieglerus noſter, Academiae veſtrae pariter, atque tui, amantiſſimus, qui ſenectutis taedia fert grauiter, et lectione operis Meibomiani peropportune lenit ac temperat, et ſalute ſua te impertitur. Ita vero Deus omnia noſtra vota praeſtet, rataque eſſe iubeat, vt non magis Iuliam, quam rempublicam litterariam, meritis diutiſſime ſuperſtes et florens, ornare, fructuſque tam vberis cumulataeque doctrinae nobis aeque, ac poſteris, largiri feliciter, queas. Hoc mihi ſemper cordi eſt, hoc inter vota ſummum maximumque erit. Vale. Vitembergae, III. Cal. Iunias. A. clↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCLXIIX.

CCCLXIIX.
PHILIPPO REINHARDO VITRIARIO,
IC. Lugdunum Batauorum.

DVdum aestimo singularem illam comitatem tuam, sermonibusque celebro familiaribus, recoloque crebra et repetita beneficia, quae apud me tam prompte, quam liberaliter, collocare voluisti. Personant vestrae laudes omnium ore Saxonum, Principemque nostrum videndae Batauiae cupiditate traxerunt. Brandenburgicus o, quantus Heros! decessit, quem finitimi amarunt perinde, ac timuerunt, cuius ea fuit fortuna, vt nulla vnquam obliuione deleri possit. Repentinus Ludouici, filii, Carolique Mecklenburgici, generi, obitus, aemulationes item et dissidia quaedam in aula praeter spem exorta, Principem, Regibus metuendum, afflixerunt grauiter, ac perturbarunt. Fridericus, successor, Patrem refert ingenii mansuetudine, et benignitate aequat, nec amore in litteratos ei concedit. Iam tum nouo benignitatis exemplo rigorem tribunalis beneficiarii, in quo fortunae et praedia Nobilium periclitabantur, temperauit ac sustulit, vt intelligant, auspicium regendi a clementia petendum. Diuus *Elector* A. cIↃ IↃCXXCVII. tractum Silesiae, fini-

finibus Suibusii comprehensum, titulo Ducis Suibusiensis accepit. A. cIↃ IↃCXXC. Ducatus Magdeburgici hereditatem adiit, extincto sublatoque iure, quo antea continebatur. Insignem tractus, qui trans Viadrum patet, portionem adeptus est A. cIↃ IↃCLXXIX, pace in Fano Germani ad Leyam inita, qua errores, a suis in pactione Sedinensi A. cIↃ IↃCLIII. admissos, provide sapienterque correxit. Nuper admodum in Comitiis, tradi adiicique sibi in patrimonium, petiit, ac, satisfactionis causa, postulauit vrbes Imperii, Northusam. Mulhusam, et Tremoniam in VVestphalis, decies item millena millia aureorum nummum, quin et succedendi ius in Principatum Frisiae, versus orientem sitae, si quidem tota haec familia interitura esset. Quod grauiter tulerunt Saxo, qui patrimonium clientelare habet Northusae et Mulhusae, tum Guelfi, inter hos maxime Cellensis, Georgius Guilelmus, metu potentiae maioris, quam vicini aegre introspiciunt, et plerumque auersantur. Caesar in Pannonia Sauia belli sedem statuet, breuique toti regno, quod limitem eius muniat, imperabit. Ex hoc spes recuperandi Argentorati pendet; si, Danubio in potestatem redacto, securus sit a tergo, Rhenumque versus tendat. Expedit hoc Batauis,

Gal-

Galloque, ad Europae imperium nitenti, fatalem ſane obicem ponit. Claſſes veſtrae et exercitus gloriam vobis aſſerunt maximam, hoſtibuſque iniiciunt terrorem. Ab Anglia, quae ſuarum rerum ſatagit, nihil timendum. Sacra artibus et aſtu petuntur. Vale. Vitembergae Saxonum, III. Calend. Iunias, feſtinanter. A. cIɔ IɔCXXCVIII.

CCCLXIX.

ZACHARIAE ZVVANZIGIO,

Principi EL. Brandenb. a Secretis.

TVum in me ſtudium, pro eo, ac par eſt, magnifacio, et maturum illud exquiſitumque iudicium aeſtimo, laudiſque plenum duco, omneſque rationes tuas, ſapienter confectas, probo, quas ad honorem Principis referre te, ſcio, meritoque laetor. Deceſſit quidem Fridericus Guilelmus, Regibus par, aut, certe proximus, ſummae grauitatis fortitudiniſque exemplum, decus ſaeculi, et Chriſtianae reipublicae lumen, ſed magnum illud acerbumque vulnus tempeſtiue ſanat exoptatus ſucceſſor et heres Fridericus III, ſapientia et benignitate non inferior Patre Filius, qui reparatae temporum felicitatis ſignificationem ipſo imperii ſui initio dedit. Sub quo decus praeſidiumque tibi auguror,

quod res fortunasque tuas prouehat, nec minus cumulet, quam firmet honores tuos, fide ac virtute partos. De scriptore nouo perinde sentio ac tu scripsisti, plura additurus, si facultas alloquendi tui esset. Lipsiensis cetera doctus et diligens, ad eam, quae inter Gallum Pontificemque intercedit, controuersiam, nihil nomine suo dignum, attulit, miratusque sum rationes tam infirmas, et a cardine quaestionis plane aberrantes. Si intra suadendi fines se contineant, non reiiciam prorsus, sin arcem causae caputque rei tangere debeant, nihil solidi praebent, et auctoris imperitiam testantur. Res controuersiasque gentium non callet, nec publici iuris momenta satis perspecta habet, et modeste se excusat, quod dissertationi repentinae ac tumultuariae materiam quaesiuisset. Ex Anglia sinistra quaedam nunciantur. Rex iratior premit Antistites, qui auctoritatem et suffragio ipsum euexerunt. Septem, audacius Regem callocuti, detinentur in turri Londinensi, si vera est fama. Regina abortum fecit, quod erigit confirmatque Anglos, qui nihil magis timent, quam regiae domus munimentum. Caesarei Transyluanos in sententiam obsequiumque traxerunt, qua noua accessione magnum robur Caesari paratur. In eo Principatu regnum

gnum recepit Leopoldus, quale olim fuit cum Decebalus Transſyluaniae praeeſſet. Breui nutabunt Valachia et Moldauia, ad nutum Caeſaris flectendae, ſi Belgradum victori cedat. Rex Galliae, animo et corpore aeger, indigne fert haec Auſtriae incrementa. Furſtenbergius quam ſcenam inſtruat, breui experiemur. Hannoueranus nouum cum Gallo foedus iniit, quod perplures mirantur. Breui etiam Sueones ad Galli partes acceſſuri dicuntur. Vobis arx firmamentumque in pacto, vt vocant, *primogeniturae* ſitum eſt, quod metuendam adhuc vicinis potentiam oſtentat, et gloriam ſucceſſori maximam circumdat. Tu haec plenius accuratiuſque, vt potes, perſcribas, et me veteri ſinceraque beneuolentia complectaris. Vitembergae, IV. Idus Iunias, A. cIↄ IↄCXXCVIII.

CCCLXX.

IOANNI GEORGIO KVLPISIO,

Duci VVurtembergico a conſiliis interioribus et Senatus Aulici Pro-Praeſidi.

DOnum tuum ex argumenti dignitate protinus cognoui, ac tanto accepi libentius, quanto apertius mihi tuum auctoris iudicium approbat atque oſtendit. *Elogia* bene appoſiteque ſcripta ſunt,

et cum ratione tractandi apprime congruunt, mihique satisfaciunt prorsus. Caleno non inuideo meliorem fortunam, qui carminis pangendi admodum gnarus est, ac dudum hic prensat professionem poeticam, si Dassouius muneri sacro, quod pari industria gerat, imponatur. Duo iuuenes, patrocinio tuo freti, nihil non a me impetrabunt, vt intelligas, omnia mea ad voluntatem nutumque tuum conuerti. Fratrem meum, proxime ex Batauia reuersum, commendo tibi maiorem in modum, qui et pietate, et obseruantia, nemini clientium tuorum concedet. Res Batauae firmo stant loco, et nihil ab Anglo metuunt, sed consilia eius merito suspecta habent. Angli ipsimet, qui sacrorum ritu ab rege dissident, salse locuti sunt de Regina praegnante, quasi vota nuncupare iussi essent pro puluinari Reginae. Quod quale sit, me non admonente, intelligis, et, quibus artibus omnia constituta et peracta fuerint, nemini difficile est indicare. Galli postulato, de exigendis profugis, grauiter obnunciarunt. Amstelodamenses, proni alioqui in Regem, metu cum primis Auriaci, cuius potentiam nolunt esse nimiam, et aegre introspiciunt frugalitatem inter immodicas opes. In Gallia res valde con-

versae

verſae ſunt, et ſolitudo commerciorum, ſi cum Batauis comparentur. Caeſar, Buda capta, regnum recepit, fortunamque domus nouo et feliciore regnandi auſpicio firmauit, et Murſa, quam Eſſecciam vocant, occupata, fines Pannoniae, Sauiae Seruiaeque aperuit felici victoriarum curſu, quem hoſtes attoniti vident et mirantur. Sic a tergo ſecurus Caeſar, res rationeſque ſuas aliquando tandem iunget cum Principibus ad Rhenum, quos tantum non vaſta illa et terribilis *Monarchia* Francorum abſorpſit. De metropoli Vbiorum bene ſperamus, vincit numero ſtudiiſque Furſtenbergius, ſed dandum aliquid paci temporumque neceſſitati. Brandenburgicus Princeps EL. Fridericus III, benignitate Patrem aequat, ſubiectos leuat ac reficit, nec Gallis extorribus omne ſubtraxit beneficium, quod Pater impertiebatur. Pufendorfius, ex Suedia excitus, Hiſtoriae ſcribendae incumbit, ſed, velut conductus, et ab Rege Suediae nondum dimiſſus. Ita vero me inuitum abripuit argumentum ſcribendi, et ſtudium cum obſeruantia coniunctum. Vale, Magnifice Vir, et faue. Vitembergae Saxonum, Calend. Quinct. A. cIↄ IↄCXXCVIII.

CCCLXXI.

IOANNI GEORGIO GRAEVIO.

Traiectum ad Rhenum.

NVlla dies praeterit, qua non recolam nominis tui, quod perſancte aeſtimo, memoriam, aut non repetam luculenta illa, quibus me ornaſti, beneficia, quae tot ac tanta ſunt, vt eorum vix inire numerum poſſim. Piget me tenuitatis virium, quae tuae ſpei non ſatiſſaciunt, nec me tamen ita mei oblitum eſſe ſinunt, vt maxima tua merita ex animo meo euellantur. Celeberrimum Collegam tuum, pro loci conditione liberaliter accepimus, tuo et Procerum vrbis honori libauimus, vt taedium itineris quodammodo leuaremus, qui omnia ad voluntatem nutumque tuum vltro conuertere ſoleamus. Epiſtolam dedi nuper ferendam iuueni cuidam Norico, quem ſaluum adueniſſe, credo, et attuliſſe quaſdam ſchedas, quas abs te non ſperni, confido. Nobiliſſimum filium tuum exſpectamus, et taciti precamur omnes, vt laetus auſpicatuſque eius aduentus ſit, in quo magni Patris ſpem repoſitam eſſe ſcimus, certatimque cupimus et fouemus, vt nobiliſſimae familiae tuae omnia ex animi ſententia ſuccedant, et, te arbitro et duce, in omnibus vitae honoriſque rationibus fortunetur. Vale, decus praeſidiumque noſtrum

ſtrum. Vitembergae, prid. Non Quinct.
A. clↄ IↄCXXCVIII.

CCCLXX.
GEORGIO SCHVBARTO,
P. P. Ienenſi.

ALiquot anni ſunt, quod Ienam tranſeunti, nullum amicitiae officium denegaſti, et abeuntem omni honoris genere affeciſti, nec opinantem munere ornaſti tam eximio atque inſigni, vt, ob auctoris memoriam, nullum mihi maius aut carius tribuere potuiſſes. Hoc recogitanti venit in mentem Colloquii Vinarienſis, quod tua pariter liberalitate ad me peruenit, et honori tuo ſacrum in bibliotheca mea diligentiſſime aſſeruatur. Vnum illud, poſt tot beneficia tua in me collocata, reliquum eſt, vt de fratre meo, pro ſumma humanitate tua, bene in poſterum merearе. Niſi tamen petendo audacior ſum, quod amori in fratrem, vt aequiſſimus es, condonabis. Iuuenis eſt diſcendi cupidus, et, meo iuſſu ſumptuque, aliquandiu apud Batauos commoratus, nihil partibus ſuis dignum omiſit, ſed variis rebus ſtudiiſque ita ſe diſtraxit, vt vix de meta ſtudiorum ſapienter cogitarit. Itaque ſpatium, intra quod progrediatur, ei circumſcribendum, quod tu quidem et Sleuogtius omnium poteſtis

 opti-

optime, neque recuſabitis, vt ſpero valde et rogo. Quibus enim doctrinae induſtriaeque ſubſidiis egeat, et quibus deinde adminiculis anniti poſſit ac debeat, vobis etiam ducibus, auſpicato experiatur. Vos iudices arbitroſque dabo, vt virum doctum, et iuriſperitum elegantem, familia et patria mea nanciſcantur, vobiſque acceptum ferant tale beneficium, in quo nemini concedent, et faciam ego, vt intelligatis, nihil tale apud ingratum hominem collocaturos. Date hoc meis precibus, et operam conferte. Is nouus auditor atque diſcipulus veſter ita ſe probabit et geret, vt nihil in eius obſeruantia et grato officio vnquam poſſit deſiderari. Vale, et feliciter age, Salanamque, vt soles, orna. Vitembergae, Nonis Quinct. A. cIɔ Iɔ CXXCVIII.

CCCLXXIII.
GREGORIO NITSCHIO,
I. V. L. Tubingam.

MAgna me reditus tui exſpectatio tenuit, eoque maior ſolicitudo me affecit, quo carior coniunctiorque mihi amicus ſemper extitiſti. Nunquam mihi excident officia tua, humanitatis pleniſſima, quorum dulciſſima cogitatione perfruor, nec poſſum aliter, et vereor tamen, vt dignam iis gratiam referre poſſim. Vnum id

id inter cetera maxime cupio, vt, Saxoniae redditus, dignitate floreas, patriamque exornes, quae adiutorem laudis suae poscere te cum primis videtur. Hoc mecum Bergerus iunior optat. Palma, vt nosti, in medio posita est, quam tibi capiendam melior fortuna adhuc reseruat. Quid Helena vna possit, quantumque roboris in aula habeat, non ignoras. Vacat hic munus Prosyndici, quod alius enixe prensat: si conditio placet, eripies facile et vinces. Nolim, te carere diutius, nec dubito, tandem molestum tibi fore atque acerbum, si patriam procul adspicias, quae te suscepit, vt sibi vindicaret. Sed te virtus tua consolatur, desideriumque tuum lenit, quam quaelibet tellus alit, inuitat et remuneratur. Frater meus, quanta potest, obseruantia te colit, et, ex Belgio reuersus, Ienae, studiorum causa, agit. Kulpisio, apud quem gratia vales, meam, quaeso, obseruantiam approbare ne graueris. Dignatus me litteris est, ad quas superiori mense respondi. De conditione illa nihil constituere possum, cum nec de salario, neque de ceteris, quicquam mihi constet. Nisi conditionem muneris insigniter meliorem fecerim, nihil audebo. Offeruntur mihi dignitates hinc inde, et apud nostras, et diuersae religionis, partes, malim tamen apud Princi-

pem, iisdem sacris praeditum, munere perfungi. Hermundurus spe professionis Mathematum cecidit, et spe potiundae Helenae est frustratus. Mysteria sunt, scrutare, iocanti ignosce: Properat fortuna et ruit, volentes amplectitur, fugientes fugit, quos olim sequebatur. Prudens se temporum fortunae accommodat, et occasione data vtitur libens. Tu deligas, quod expedit; ego, quod ipse non facio, alios facere volo et hortor. Vale, et, pro amore in me tuo, rationibus meis bene consule, fratremque cultoribus tuis adscribe. Vitembergae Calendis Sextil. A. cIɔ Iɔ CXXCVIII.

CCCLXXIV.

HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO,

Fratri.

QVid Ienae agas et destines, quae tua studiorum auspicia sint, quem hospitem delegeris, quam vitae rationem inieris, quo denique conuictu vti coeperis, certior fieri cupio, et ex te ipso scire in primis volo. De tuis studiis bene spero, nec minus tibi de nouis eorum auspiciis gratulor, quam gaudeo, quod intelligo, te amari a viris doctis, quos omni honore prosequendos, scias, atque, his adiutoribus ad summa eniti posse te, confidas, et tandem eluctari. Viro in-

intelligenti et bono virtus praesidium est, in quo insistas et permaneas, etiam rebus aduersis et dubiis, quae molles frangunt, constantes nihil mouent aut turbant. Praeter cetera rectus studiorum ordo tibi seruandus est, nec bene proficit, qui apto ordine non vtendum, censet. Ab Institutionibus, quas vocant, initium laeto animo capias, cum his idoneum et elegantem interpretem coniungas, et fontes eius iuris simul in Grotio perquiras, Grotiumque diligenter euoluas et audias, quo duce Zieglerus, se et acuisse iudicium, et doctrinam locupletasse, affirmat. In hoc omnia magna et solida sunt, in hoc fundamenta Iuris posita inuenias, quae alibi frustra quaeras. Simonis ductu id facias licet, et consulas Slevogtium pariter, qui philosophiam illam, vulgo spretam, pulchre suauiterque docet. Commentationes Obrechti manu exaratas velim perquiras, forte aliquando venient in tuas manus, desideriumque lenient meum. Pro-Rectoris Mulleri scholas non improbo, nec dissuadeo, sed Linckeri in primis commendo. Vir est multae doctrinae, et Iuris publici scientissimus, maxime in Saxonia, vbi vix vnus est, qui eum hac laude aequet. Illius auditores exquire, et nomen inter eos profitere, qui virum colunt et admirantur. Giessae eum noui propius, et dotes ipsius

per-

peradolescens aestimaui, nec minus ille meas, cum aliquanto post Corbachium transiret. Sagittarium quoque diligenter inuisse, et modum rationemque eius, quam in docendo tenet, percontare. Abundat Chronicis Teutonicis, praesertim Thuringicis, quorum ibi magna est copia, et interdum venalia nec opinantibus offeruntur. Lectionem eius variam pro eo, ac par est, aestimo, et a Linckero, vt audio, diligitur, sed iudicio non perinde valet, et nimiis diffusisque narrationibus spatium implet, atque optimam historiae ciuilis partem, quae prudentiam instruit, praetermittit. Tu vtilissima, apis instar, seliges, et in rem tuam, quo par est, studio, vertes, in primisque ad Iurisprudentiam Struuianam, quae apud vos praelegitur, totum te finges. Sagittarii quaedam Opuscula flagito, quae simul, ac mittes, praesenti pecunia redimentur. Illius conuictoribus te iungas, auctor sum, si tamen Bielckianum praeoptas hospitium, non recusabo discedere in opinionem tuam. Schelstratii Opuscula, quae Tenzelium inflant ad classicum, Iosephi Vicecomitis, ex quo ritus sacros nostri transcribunt, fac, accipias libros. Fortasse enim hos et alios libros explorabis, vt felix es in inquirendo. De electione Furstenbergii, quid sentiant vestri, quid tibi videatur, ex-

pro-

prome. Neoburgicus Iunior praeuertit Iacobum,Poloniae Regis filium, et Radziuiliam duxit, pinguemque adeo praeripuit bolum. De expeditione Caesarea proximo loco et occasione scribam. Viuierius Batauus,apocham misit,libros exspecto. Vale,et de meis beneficiis nihil praedica,quae vltro libenterque confero, et,donec viuam, inseruire tibi constanter et sincere volo. Vitembergae,Id. Sextil.A.cIɔIɔCXXCVIII.

CCCLXXV.
VASMERO HAMBVRGENSI,
I. V. L.

LAeta et opportuna mihi fuit occasio renouandae nuper veteris amicitiae, quae arctiori inter nos vinculo contracta est, quam vt vllo vnquam tempore dissoluatur. Abiturus quidem promissis non steti, sed culpae me absolues facile, si repentini discessus causam intelligas, et, quid facto opus fuerit, cognoscas. Cum enim de te salutando cogitarem, interpellabat auriga et, constituti temporis, memor, excundi necessitatem vel inuito imponebat. Nihil ceteroquin prius mihi in votis fuisset, quam de rebus tuis cognoscere propius, et familiam inuisere optimam, in primisque cum VVinckleto, Horbio et Hulsemanno, conferre sermones, quorum vi-

tae

tae doctrinaeque rationes maximopere tibi probari, ſcio. Sed immo plane ignoratus diſceſſiſſem, niſi indicio cuiuſdam iuuenis, qui hic me nouerat, agnitus, per aliquot dies ſubſtitiſſem. Dare hoc tandem volui D. Mayero, poſtquam, e Belgio redux, rationes miſſionis eius confectas eſſe, intellexi. Iam vacat profeſſio quarta, quam ſuo merito impetrabit, ſi eum amor reuertendi capiat teneatque. Suffragiis Academiae Saxoni noſtro commendatus eſt, ſed, an id commode fieri poſſit, per vos, quorum ſumtu venit, ſtabit. Si meo res arbitrio ageretur, mallem ſecundus eſſe Hamburgi, quam primus Vitembergae. Vna haecurbs eſt, quae,cum ob ſitus commoditatem tum ob commercia,mirifice ſemper mihi placuit,adeo,vt communis libertatis ſedes praeſidiumque eſſe videatur, hoc magis, quod iam ſoluta metu, atque ex ſuperioribus erepta miſeriis, veterem ſuam dignitatem tuetur ac ſeruat, et, Caeſare, victoriis priſtinam dignitatem adepto, conſilia ſalutis explicata habet, magiſque floret in dies, et, ſeiuncta ab inſidiis, laetatur. Breui, opinor, Belgradum ſuperiores Auguſti victorias confirmabit, vt, qui, Buda capta, Rex verus et plenus Vngariae, mea ſententia, appellatus eſt, Belgrado intercepto, Rex

Re-

Regum iure meritoque appelletur. Transyluania ad obſequium rediit, Valachi Moldauique nutant, barbari ipſi plane ſunt perculſi. Ludouicus ab occidente adſpicit, miratur, inuidet, et tantum non aegritudine conficitur, nos plaudimus Caeſari, pio et iuſto victori, et, patriae cauſa, tot tamque proſperas, expeditiones gratulamur. Vale. Vitembergae, XVI. Calendas Sept. A. clↄ lↄCXXCVIII.

CCCLXXVI.

CHRISTIANO FRIDERICO IANO,

Conſuli Torgauienſi.

SAepe mihi in animum reuoco perpulchros ſermones tuos, quos non ſine gaudio audiſſe me, fateor, ſperoque, occaſionem fore, vt quam primum laeti liberique inter nos colloquamur. Nunc, etſi abſens, te alloquor, petoque maiorem in modum, vt ſuperioris amicitiae rationem habeas, et meam commendationem valere ſinas. Degit quidam vir eruditus, et probus Conradus Adam VVinckelmannus, Latinae in primis ac Graecae linguae peritus, praeterea modeſtus et ad docendum peraptus, nec mihi commendatus modo, ſed etiam cognitus planeque perſpectus. Is rogat, vt, ſua cauſa, auctoritatem interponas, atque interceſſio-

cessione tua, multo grauissima, efficias, vt amplissimus vrbis senatus vacantem Rectoris Scholastici prouinciam ei decernat. Geret se pro eo, ac par est, nec pietatis et diligentiae laudem, quam hic constanter retinuit, adimi sibi aut imminui deinde, patietur. Ego sane preces eius ad te perfero, meoque amplius nomine rogo, vt VVinckelmannum commendandum pariter, atque tuendum, suscipias, quippe omnibus dotibus praeditum, in quibus ad impetrandum exornandumque illud munus praecipuum inesse momentum, credo. Sane puro dicendi genere vtitur, et stili sordes accurate distinguit ab ornamentis optimae aetatis. Scriptores aureos, quod perpauci hic possunt, legit ac bene exponit, abundatque subsidiis, quibus meliores doctrinae continentur. Statuas, quaeso, me nihil dare auribus, sed penitus atque ex animo probare VVinckelmanniani studii rationes, semperque velle eo anniti, vt, cum Tibi, tum amplissimo senatui vestro, obseruantia mea constet. Vitembergae, prid. Cal. Sept. A. cIɔ Iɔ CXXCVIII.

CCCLXXVII.

CCCLXXVII.
HENRICO LEONARDO SCHVRZ-FLEISCHIO,
Fratri.

BElgradi deditionem breui certiores nuncii afferent. Barbari enim Semendriam vſque retroceſſerunt, Caeſari amplis conditionibus pacem offerunt, aut petunt magis, belli dudum pertaeſi, quod aduerſis imperio ſuo auſpiciis geſſerunt. Gradiſcia, quae Boſniam aperit, potitus eſt Ludouicus Badenſis animo et audacia Boiorum regulo ſimilis, quos fotuna adiuuat, vt admoneatur poſteritas, Deum ſtare pro meliore cauſa. Praeſul Argentoratenſis, etſi numero ſuffragiorum vicit, tamen ſpe excidet potiundae dignitatis, poſtquam Caeſar, de pace ſecurus, et a tergo in poſterum tutus, ſpernit Gallorum minas, et bellum mauult, quam *Epiſcopum* Gallo obnoxium, cuius mores, conſilia et actiones, magno ſuo Imperiique damno perſpexit. Leges Germaniae non ſinunt, eligi principem hoſti coniunctum, quam in ſuſpicionem venit, et argumento graui conuictus eſt, quod is, tanquam Antiſtes Argentoratenſis, fidem dederit Gallo, quem, nemo ignorat, eſſe patriae hoſtem, etſi actus hoſtiles, facta induciarum pactione, ceſſant.

Qq Sed

Sed hos quoque, vt libet, vtilitate et temporum fortuna metitur. Agit enim, prout expedit, seruat pacem, donec metus eum retinet, frangit, dum a periculo longius abest. Disceptat causam, et decidit, nec partem se, sed iudicem, fert, Caesarisque auctoritatem infringit, dum eius iura inuadit, et de aliena republica statuere conatur. Haud nescis, quantum possit ille nobis finitimus Praesul, quibus viribus polleat, qua situs opportunitate praeditus sit, siue de tuenda Germania, siue de inuadendo Belgio, agatur. Si memoria te fallit euoluas, quaeso, Thuanum, et supremas Caroli V. Tabulas inspicias, ac verba repetas consideresque diligenter. Nec enim velim, nec te deceat iste studii iuridici apparatus, qui te in odium contemptumque adducat. Semper tibi comites adiunge litteras, quae elegantiam tibi conciliant, si excolere pertendas, sin abiicias et negligas, nullo apud viros doctos et graues loco eris. Quod dedecus abs te auertat Deus, nec patiatur exolescere honorem nominis, quem in Belgio parasti feliciter et amplificasti. Graeuius, senior, magniete, facit, vir sane aeui nostri maximus, cui litterae meliores iudicii gloriam vltro tradiderunt. Filius eius mihi adfuit, honorique tuo libauit, et in frequenti hominum congressu prae-

praeclare de te locutus eſt, ſpemque non mediocrem de facultate ingenii tui concepit. Hem, frater, quid abs te exſpectant viri ſapientes et eruditi, ad quos fama cum doctrinae, tum bibliothecae meae, permanauit. Aditus tibi iam tum patefactus eſt ad gloriam, occaſio praeſto eſt, materia creſcendi ſuppeditat, doctiſſimus quiſque te inuitat. Viſmarienſis, iactat ſe in notitia auctorum, Vir Latinae et Graecae pariter linguae haud exquiſite peritus, et Buchneri Epiſtolas, quaſi ex Cicerone delibatas commendat, ſed neſcius vitiorum Latinitatis, quae in eius ſcriptis paſſim ſe produnt, tam frigide iudicat vt ne legiſſe quidem putem. Sic, in Diſſert. ſeu Programm. Academ. *Paſſio*, pro morbo. *Puritas*, pro ſanctitate, p. 784, *Regere cancellos*, pro regere conſilia, moderari ſummam conſiliorum, arbitrum eſſe arcanorum, conſilii ſanctioris rationes adminiſtrare, p. 717. *E contra* pro, contra, p. 440. *Habere opus*, pro, neceſſe habere, p. 405. *Numerarius*, p. 404. elegantius rationum artifex. *Nullibi*, pro, nuſquam. *Creatura*, pro, res condita, p. 456. 692. *Saluator*, pro, Seruator, p. 688. *Conſiſtoriis*, pro aulis, vel, curiis, p. 689. Paulo poſt, *in curiis Senatorum*, pro, in congreſſibus ſenatorum, eadem pag. *Promptitudo*, p. 465. pro actione,

ne, vel officio prompti animi. *Ignauia*, pro Iglauia Morauiae, nisi tamen error hic sit operarum. *Orare*, pro orare Deum. *Bene operando concinnamus fauentem*, pro, conciliamus nobis, p. 724. *Ditiones*, pro, regiones, p. 641. *Firmata vndique sancitaque pace*, pro, sancita vndique firmataque pace, ibid. *Licet*, pro, quamuis, p. 272. 275. Licet est verbum cum ellipsi coniunctionis *vt*, concedit ac permittit; *licet facias*, pro, licet, vt facias, quo tamen vtitur Maffeius Histor. rerum Indic. L. I. et alibi, castae ceteroquin dictionis studiosus. *Fide et caritate salutem adipisci, item in fide et dilectione saluari*, p. 275. pro, in fiducia hereditatis coelestis spem figere, nec frustrari. *Amore Dei*, pro amore in Deum, amore in Deo defixo. *Medicamentarius*, *Partitudo*, p. 274. *Inspectio* rectius, contemplatio terrarum et gentium, p. 276. Alibi *Inspectio* pro censura siue praefectura. *Septimana*, pro, hebdomas, p. 277. *catarrhus suffocatiuus*, p. 272. pro destillatione suffocante. *Sacramenta*, pro mysteriis, p. 689. *Eiuraturus* pro eieraturus, ibid. quamuis nec hoc significatione Latina. *Dum*, pro quod, p. 269. *Addere mentem*, alias, *indere*, pro impertire salubre consilium, p. 29. *Cum vita comparatum est*, non Latine, nec eleganter. p. 352. Aliter et extra vitium, p. 51. *septimus*

dies

dies ipse est, imitatione expressit auctor in Oratione Kilonii habita, neque id a stilo Ciceroniano alienum est. Stilus Schubarti vestri purus est, sed vires non mouet, nec maiestate Ciceronis se tuetur. Quanto rectius in proposito, laudis pleno, persistis, et eloquentiae principem firmo vestigio sequeris neque ab illo recedis cum imprudenti vulgo. Nam et dictio purissima, et compositio elegantissima, passim in Cicerone dominatur. Historicos tamen caue oderis, Nepotem, Caesarem, Liuium: Ille natiuus et purus, iste scitus et perelegans, hic copiosus et grauis est, et vbertate se commendat praeter ceteros, ac historiam scripturo dictionis copiam largitur. Tacitus prudentiam instruit, cuius permagnum in quauis re scribenda momentum est. Tantum enim scimus, quantum recte iudicamus. Nam, facta solum narrare, et, quae gesta sint, referre in litteras, est hominis mediocriter sapientis, sed, causas, expromere abditas, et rationes afferre prudentiae grauitatisque plenas, hoc est demum historici munere perfungi. Nunc cogita, quantum recesserit ab hoc scribendi genere Sagittarius vester, qui diligentia nemini cedit, sed veram exquisitamque historiae laudem non sustinet, neque iudicium, nec dictio eius probatur. Vnus Cominaeus, aut,

si Italiam cogitas, Guicciardinus, plus docet vna pagina, quam spisso volumine Historicus vester. Multa tamen, praesertim in rebus Germanicis conquirit et eruit, quae viro sapienti prodesse possunt, si recte adhibeat, iudicioque temperet, et condiat quasi prudentiae sale. Pufendorffius perspicax est in expromendis rerum auctorumque caussis, sed non aequat scribendo Romanae dictionis gloriam, et vocabula, faeces olentia, immiscet saepe, et acumen eruendi ostendit, prudentiae tamen non vsquequaque inseruit, nec liber in scribendo, sed dicax est, et impotens plus semel. Confecta, quam molitur, Historia, in Suediam redibit. Magno animi impetu declamat in aduersarios, et Velthemium vestrum gryllis campestribus, Sleuogtium nescio quibus annumerat. More non humanissimo, et insuaui prorsus, ac illiberali disputandi ratione, vtitur, et, acutius, quam fructuosius docet, atque longissime abest a Grotii doctrina. Hic grauis est, et omnibus viris eruditis satisfacit, hunc tu sequendum putabis Libri Bielkiani aut mutili sunt, aut non rari, quos si cupiam, in me ipsum iniquus sim, nec tu suadeas, pro solertia tua. Suaresius, de quo scripsi, non est Franciscus, inficetae Latinitatis Philosophus, sed Iosephus Maria, vir ingenii multo elegantioris. Gauden-

dentii opuſcula, quae de moribus ſaeculi Iuſtinianei, et de philoſophicis opinionibus veterum Patrum, edita ſunt, vehementer deſidero, ſed vbi inueniam, quando te fugiunt, et fruſtra quaeruntur? Libanii epiſtolas Graecas circumſpice, et alios ex veteri Graecia ſcriptores perquire, cum primis Rigaltii Oneirocritica, quae ſpem meam adhuc fallunt. Mallincrotii quaedam de Archicancellariis, de Typographia, diſputationes ſelectas de ritibus, quas Batatii in pretio habent, fac, accipiam. De Stephani theſauro, nolim, te eſſe ſolicitum, qui ex Batauia perferetur. De Chronicis etiam videas, quae apud Bielckium latent, ſed care vendit ſua, ideoque emptoribus eſt inuiſus. Viuierius ex Batauia ſcripſit ad cuius litteras meo nomine reſponde cum, non ſatis aſſequar omnia, quae ſcribit. Libros, vbi ſe dabit occaſio, tranſmittet. Si plures colligat, efficiam, vt pretio ſoluto acquieſcat Libros non tam care vendit, quam Bielckius, apud quem omnia magno licent. Artem hanc noſcendi et aeſtimandi libros a Boſio didicit, et, tu ſi eo aliquid afferas, et quae apud Batauos, me monitore, intellexiſti, ediſſeras, vendet carius pretiumque intendet. Ceterum de conuictu Bielckiano conſtituas, quod libet. Aditus ad Sagittarium difficilis erit, ſi menſae

ſae eius te non adiungas. Scribam poſt octo dies, et, cur ad eum non dederim litteras, indicabo, meque purgabo. Credidi, ipſum abeſſe ab vrbe, cum audiſſem, moleſtiis implicatum, quas ſua ſibi culpa accerſiuit. Duces Vinarienſes inter ſe diſſident, ob tutelam veſtri Principis cuius rei cauſa Vindobonam abiit Linckerus. Vale. Vitembergae, Cal. Septembr. A. cIↄ IↄCXXCVIII.

CCCLXXVIII.
EIDEM.

BElgradum virtute Boioariae reguli captum eſt, barbari, qui pertinaciter reſtiterunt, caeſi omnes, nec mulieribus liberiſque parcitum, magni ſeueritatis exemplo, quod barbaros commonefaciat ſuperiorum iniuriarum, quas orbi Chriſtiano dudum intulerunt. Abſuit Lotharingus, neque hunc obſidionis ſocium habere voluit Boioarus, ſecutuſque diſciplinam belli Gallici, continuato impetu fregit vires hoſtium, et vrbem, olim proditione Solymanno deditam, magno animo iuſtiſque armis expugnauit. Diſcruciatur animi Gallus, et ſero nimis molitur bellum. Praeſul Argentoratenſis cauſa cecidit, et ipſum ſe decepit fiducia Gallicarum virium, quibus metiri conſilia ſolebat. Ioſepho Clementi veniam aetatis fecit Romanus Pontifex, nec

nec se opposuit Senatus Collegiumque *Ecclesiae* Coloniensis, sed facile admisit ac recepit. Hoc iure parto, nouem suffragiis electus est, quae plus valent, quam tredecim Furstenbergio data, propterea, quod is dignitate *Canonici* se abdicarat, vt *Adiutoris* titulum munusque consequeretur. Porro, vt iure Pontificio loquimur, *postulatus Adiutor* suffragia duplo maiora habere debuit, si in spem vincendi venire vellet. At vero, tredecim quid possint, nunc facile intelliges, et, quonam animo scripserim, vicisse Furstenbergium, iudicabis. Caesar, Pontifex, pro Iosepho Clemente annituntur sedulo, nec repugnant *Electores*, quibus grauis et suspecta est potentia Galli, tum omnes quoque Principes conspirant ad depellendum Galli iugum, hoc praesertim tempore, quo vires Gallicae fere sunt exhaustae, profugis metu *Hugenottis*, qui fide et fortitudine labentem antehac regum potentiam firmarunt. Caesaris legatus libere nimis et acerbe dixit, Galliae regem similem esse canum, qui plus latrent, quam mordeant: auderet aliquid, si vellet, et fortiter faceret, si posset: Caesarem nihilo segnius defensurum imperii fines, et dignitatis suae salutisque patriae rationem habiturum. Ita sensisse et pronunciasse, accepi, Hofkirchium, Caesaris legatum, virum acris in-

ingenii et praesentis. Veterani Gallorum Duces, Condaeus, Turenius, Crequius, sunt extincti: Anglus, eorum foederatus, vix domi tutus, nihil audet: Danus suis tantum viribus hoc rerum statu nihil potest, et conantem aliquid distinebunt Sueones. Schombergius inuitatur a Rege ad praefecturam belli suscipiendam, sed eius animo fixa manent superiora acta, vt malit dignitatem partam tueri apud Germanos, quam dubiam periculique plenam recuperare apud Gallos. Brandenburgicus magnam de eo spem habet, et, in eius fide victoriam suam consistere, arbitratur. Proxime Berolini Magno et Martio *Electori*, Friderico Guilelmo, parentatum est, sumptuosa et solemni pompa, Regumque magnificentiam aequante. Tribus Academiis, Francofordiensi, Regiomontanae, et Duisburgensi, tributus honor est praecedendi ordinem equestrem, contra, quam fieri solet in Saxonia, vbi ne quidam ad solemnia inuitantur. Graeuius iunior quinque dies hic commoratus est, cuius mores perplacent nostris, cum ob loquendi libertatem, tum ob gestus, grauitatis et elegantiae plenos. De te locutus est praeclare, Ienae, quo tendit, veterem in Batauis inter vos contractam amicitiam renouaturus. Feci, quam potui diligentissime, vt intelligeret, conuictum eius

mi-

mihi esse iucundum. Notas Scaligeri MSS. Achilli Tatio additas, patris iussu, apud me quaesiuit et inuenit, miratusque est copiam et praestantiam librorum, quos ego et tu in Belgio collegissemus. Vale. Vitembergae, Nonis Sept. A. clɔ lɔ CXXCVIII.

CCCLXXIX.

ADAMO CHRISTOPHORO IACOBI,

Sax. EL. Consiliario.

ETsi petitiones meas saepe fortuna destituit, et commendationes interdum periculosae sunt, ac, mutato, vt fieri solet, hominum ingenio, certe offensa non vacant, tamen voluntati iunioris Thomasii repugnare nolui, de quo optime spero, et, in primis eius studiorum rationem habendam, puto. Ingenio solerti, doctrinaque eleganti, et vitae consuetudine, delectatus est Graeuius, vir clarissimus, qui de eo apud Batauos retinendo cogitabat. Sed patriae amor eum ad ornandam Saxoniam reduxit, vt tanto magis eius caussam suscipiendam esse existimem, quanto propius animum moresque perspexi. Nullus dubito, quin opera, consilio, re, Thomasium iuuare cupias, idque cum patris, cuius merita te non fugiunt, tum ipsius, caussa facias perlibenter. Tempora haec per se misera sunt, et patronis egent, sed tam raros docti inueniunt,

unt, vt litterae prope ipſae odio eſſe videantur. Germaniam nouus hoſtis laceſſit, Anglia bellum ciuile metuit, Belgiumque, cuius cauſa communis eſt, vocat in partes. Solam Italiam ferme otium conficit, neque arma, nec litterae, perinde ac olim, florent. Quid agamus Germani? ſortem quiſque ſuam exſpectemus, et de nouis Auſtriae auſpiciis, Principumque Germaniae concordia melius, atque antehac, ominemur. Berolini ſolemnia exequiarum peracta ſunt, nihilque, quod illis magnificentiam conciliare poſſet, defuit. Magnae opes, vt fundatae ibi, ſic relictae, ſunt, nec diuiſae regiones aut diſtractae, ſed coniunctae inter ſe colligataeque, manent. Tanto minus ſibi timet a Gallo, et auxilia comparat ſtrenue, ſociumque Saxonem exoptat, et caſtra mouet. Praeſto ſit conſiliis Deus, et tibi totique familiae ſumma maximaque omnia ex animi ſententia impertiatur. Vale. Vitembergae apud Saxones VII. Id. Septembr. A. clↄ lↄ CXXCVIII.

CCCLXXX.

ΙΕΡΕΜΙΑΙ ΤΩΙ ΠΟΛΑΝΩΙ,

Μακεδόνι ἐκ τοῦ Ἄθω ὄρεος, ἀνδρὶ Εὐγενεστάτῳ καὶ λογιωτάτῳ, χαίρειν.

Ἐπειδὴ τοῦ προσειπεῖν σε ἐξουσίας, ἡνίκα παρὼν ἔτυχες, ἐπιμελειῶν τινι εὐρίπῳ ἐνημμένος, νεωστὶ ἀπεστερήθην, χάρτας μὲν οὖν ὅμως πολλὰς

ἐν

ἐν τῷ παρόντι σοι ὀφείλων οἶδα, εἴτε εὐνουστάτῃ τε καὶ ὀρθοτάτῃ, ὅ,τι δὴ σπάνιόν ἐστι, κρίσει καὶ ἄλλους τινὰς τῶν λόγων μετεσχηκότας ἄνδρας καὶ ἐμὲ δέ, ὃς οὐκ ἀξιωθέντι ταύτης μοι σύνοιδα, λογιζόμενον σε παρ' ἄλλων ἀκήκοα, εἴτε τὰ γράμματα λογιωτάτου κυρίου, καὶ αἰδεσιμωτάτου ἱερομονάχου, Κυρίλλου τοῦ Πεδιασίμου, τὰ ὑμετέρου Υμέττου μελιτήριον πανταχόθεν χυλὸν πνέοντα, ἅμα τοῖς τεύχεσι, καὶ παλαιοῖς αὐτογράφοις, ἐγκεχειρισμένα ἐμοὶ τῷ σῷ πόνῳ ἀνεμνήσθην. Δέομαι τὸ λοιπὸν σοῦ, μὴ ἂν ὀκνεῖν πῶς ἤδη ἔχει τὰ Ἑλληνινικὰ, δι' ἐπιστολῆς διαλέγεσθαι. Ἐγὼ, νὴ τὸν λόγον, οὐδὲ παύσομαι εὐνοῶν, οὐδὲ εὔφημα περὶ σῆς ὁδοιποιΐας προσδοκῶν. Τοῦ τῶν Ἐνετῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ πολέμου ἔκβασιν μετ' ἐμμελείας ἐκδέχομαι, ὅντινα δὴ καὶ τῇ πατρίδι σου καὶ ὅλῃ τῇ τῶν χριστιανῶν πολιτείᾳ εὐτυχῶς τετελεσμένον ἐκ καρδίας μυχοῦ, καὶ ὥσπερ οὐ μετρίως τῷ τῇ τῆς κοινῆς πραγματείας βλάβῃ συλλυπουμένῳ πρέψειεν ἂν, εὐχόμενος διατελῶ. Ἔρρωσο, ὦ φίλτατε ἄνερ, καὶ ἀνδρίζου, ὥσπερ εἴωθας, κεχαρισμένα ποιῶν. Τετάρτῃ τοῦ ἱσταμένου Μαιμακτηριῶνος ἔτεος τῆς χριστογονίας ά,χ π ή.

CCCLXXXI.

DANIELI SCHEDIO,

Conſuli Landſbergenſi in Marchia.

NOn ſine voluptate animi et gaudio recordor humaniſſimi conſpectus tui, et iucundiſſimae familiaritatis, in corona pro-

propinquorum et affinium tuorum, in primis generi, qui multo ſale dicta adſpergebat. Mihi quidem tunc moleſtiam attulit metus amittendi ſchedam, ſed vix Berolino exceſſeram, cum Baronis Molzanii praefectus, eam, diligenter conquiſitam, bona reddidit fide. Filius tuus commoda hic conditione viuit, et diligentia ita ſe commendat, vt non poſſit magis. Illud vero maiori dignitati foret, ſi menſae Profeſſoris cuiuſpiam ſe coniungeret, et conuictu pariter, atque colloquio, erudito frueretur. quod meum quidem conſilium eſt, ſed tuo iudicio arbitrioque libens permitto, quandoquidem haec occaſio hic nunquam deeſt, ſi tuo iuſſu et auctoritate res agatur. Galli iam ſe hoſtes profitentur, et limitem Rheni laceſſunt, infenſi Palatino, quod pacis, cum Turca faciendae, Caeſari auctor fuiſſet. Conatus intercipiendi Philippiburgi fuit irritus, detecta proditione, qua vti voluit ad caſtrum Caeſari eripiendum. Nec vires ei, nec cohortes, Germaniae cis Rhenum ſubigendae, ſufficiunt, neque duces veterani ſuperſunt, quorum ductu plurima ex animi ſententia confecit. Batauos tempeſtas et venti prohibuerunt, quo minus in Britanniam exſcenderent, Rex interim propugnandi ſpatium nactus, Proceres ſibi conciliare ſtuduit, propoſitis condi-

ditionibus, quas vellent. Bataui feruide nimis, impulſore Auriaco, cauſam hanc egerunt, alieno anni tempore, et rebus adhuc ambiguis, nec dum conſiliis ſat maturis. Clerus ipſe, qui *hierarchiam* tuetur, nutare coepit, populus etiam ſi pace frui poſſit, bellum ciuile, quod commercia diſſipat, auerſatur. Sed breui haec certioribus nunciis intelligemus. Tu, quaeſo, familiam tuam nomine meo ſaluta, et vale. Vitembergae Saxonum, Id. Octobr. A. cIↃ IↃCXXCVIII.

CCCLXXXII.
ASARELI MEDERO,
Tranſyluano.

Litterae tuae a Schulero mihi redditae ſunt, quas auide arripui, et libenter perlegi, vel ideo maxime, quod gratum de rebus tuis proſperis nuncium afferebant. Patriae tuae bene ominor, quae non bello victa, ſed pacto, Auſtriae ſe coniunxit, et priuilegia immunitateſque nouo et ſolemni titulo aſſeruit ſibi et confirmauit. De Gallicis motibus, nihil eſt, quod metuamus, cuius vires attritae et opes exhauſtae ſunt, veterani duces dudum extincti, conatus intercipiendi aſtu Philippiburgi irritus, omnia denique, ira Dei in rem Gallicam, conuerſa et prorſus mutata. Concors Germa-

nia,

nia, conſpirantibus cum Caeſare ſententiis, militem educit, Batâui exſcenſionem quoque in Angliam meditantur. Quae res vt bene cedat orbi Chriſtiano, et vobis, iuſtum moderatumque Auſtriae Imperium amplexis, felix fortunataque ſit, opto, et tuam beneuolentiam mihi promitto perpetuam et conſtantem. Vale. Vitembergae Saxonum, Id. Octobr. A. clɔ Iɔ CXXCVIII.

CCCLXXXIII.
IOANNI IACOBO PERLSHY,
I. C.

GRatum mihi pariter et iucundum, fuit alloquium, quo me Vitembergae dignatus es, et, cum facultas prolixe accipiendi tunc deeſſet, in voluntate prompte inſeruiendi acquieſcere voluiſti. Illam vero tuam comitatem in primis aeſtimo, honorique mihi duco, quod Patronos mihi conciliare ſtudes, qui et iuuare me, et ornare poſſint, maxime in rebus Germanicis, in quibus gloria illuſtrium, et liberorum Franciae equitum explendeſcit. Faciam profecto, vt gratum memoremque huius tam luculenti officii me intelligas, deditumque me tibi, et vinculo ſemper arctiſſimo habeas deuinctum. Ampliſſimi Brodvvolffii fama ad me peruenit, quam, inſigni beneuolentiae documento, confirmaſti, vt verbis

verbis eam digne ſatis exprimere non poſſim. Mox beneficiis cumulum addis, et ſimul induſtriam excitas, atque ſpecimina, de priuilegiis Nobilium liberorum edita, libenter et vltro offers. Obſecro te, ſi fieri poſſit, copiam Monumentorum Lenderſheimii et Sixtini mihi facias, et, quanti conſtent, beneuole perſcribas. Ita te Deus ſeruet, et litteras, ſtudia et leges, ſub iuſtiſſimo magni Imperatoris auſpicio, ſemper florere iubeat, armaque benigne fortunet, ut, rebus apud Danubium ex animi ſententia confectis, Rhenum quoque pius Caeſar cum imperio et ditione ſua denuo coniungat. Vale, cariſſime Fautor, et me complecti perge: Vitembergae Saxonum, Idib. Octobr. A. cIↃ IↃ CXXCVIII.

CCCLXXXIV.

MOESERO,

Sacerdoti Oſnabrugenſi.

OMnis fere humanitatis expers forem, niſi litteris tuis, humanitate pleniſſimis, reſponderem. Nondum animo excidit propenſa et inſignis beneuolentia, quam Hamburgi prolixe mihi declaraſti. Adhuc videre mihi videor auum matremque tuam decore laetantes, et, honoris mei cauſa, nullum officium recuſantes. Vtinam is eſſem, qui par pari referre poſſet, et, quo in

Rr te

te animo sim, apertiori indicio significare. Tuos ceteroquin nouos ac splendidos in re sacra honores, laetos tibi semper fortunatosque, cupio, vt, quemadmodum Lipsiae et Vitembergae omni laude doctrinae floruisti, sic fructus deinde cumulatissimi in amplissimam, quam illustras, VVestphaliae vrbem redundent. Princeps noster, irruptione Gallorum facta, se ad arma comparat, conscribit militem, delectumque habet, ad Rhenum, nisi alia obstent, profecturus. Caesar, capto Belgrado, firmus et magnus, non sinet, Praesulem Argentoratensem intrudi, inimicum veterem, et litibus serendis natum. Germania concors passim suos armat, militesque parat ad expeditionem Gallicam, Philippiburgum, alieno anni tempore obsessum, et loco paludoso situm, strenue constanterque resistit. Batauorum in Britanniam exscensio irrita erit, cum Rex, vt prudens est, consilia anteuerterit, et venti tempestatesque impedierint conatum. Anglis omnia priuilegia Iacobus II. reddidit atque confirmauit. Danus naues Hamburgensium lacessit et detinet, cum vrbi nihil damni inferre ausit. Vale. Vitembergae, XVII. Cal. Nouembr. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCLXXXV.

CCCLXXXV.

HENR. LEON. SCHVRZFLEISCHIO, *Fratri.*

GAllus, cui nihil, neque ad cupiditatem, neque ad audaciam, deest, ab Austriis, aut potius a factione Neoburgica, irritatus, rupit inducias, magnamque Germaniae partem subegit. Rheni, Moeni et Nicri, oram peruasit, finitimosque debellauit, priusquam fama belli ad eos peruenit. Caesarea Luthera, Spira Nemetum, Oppenheimium, Vormatia Vangionum, Moguntia, Heidelberga, et multae aliae opulentaeque vrbes praesidium ejus receperunt, aditus Sueuiae, Franciae et Hassiae patefacti sunt, nisi quod Philippiburgum adhuc impetum sistit ac remoratur. Miseret me Germaniae vicem, cui plerique Proceres male consulunt, et laborantem auxilio destituunt, ac hosti spoliandam relinquunt. Ille interim secure arma circumfert, et vrbes vicosque, nullo resistente, occupat, tributa imperat, et, cunctantibus nostris, etiam inultus iniurias infert. Germani, more suo, post res consultant, Boiaros, Francos et Sueuos, Hungaria expeditio fatigauit, quosdam credulitas sua decepit, imparatosque reddidit, quosdam inopia ab incepto retinet, reliqui, fatali patriae malo, cunctantur. Interim peribit

tate momentum ponunt. Nostri nimium confisi sunt Augustano foederi, quasi, hoc obice obiecto, Gallus nihil ausurus esset. Sed foedera tam firma et sancta non sunt, vt metum demant, muniantque contra insidias, quas Galli parant, perniciemque moliuntur. Armis opus est, et fraude vti licet contra fraudes, quippe quod solertiae genus est apud Gallos, bellandi cupidos, et alienae ditionis valde appetentes. Asserunt nuncii, Turcas, in pacem antehac pronos, insolescere paullatim, et duriores ferre conditiones. Magnum in Boiaro praesidium est, qui a superiori Germaniae parte veniet cum robore copiarum, Saxo versus Franciam, Moeno proximam, tendet, vt castra coniungat cum *Marchione*, Christiano Ernesto. His se iungent Hessi et Vetterauï, reliqui ad inferiorem Rheni tractum arma ferent, inter quos Brandenburgici erunt praecipui ad pugnandum, si occasio detur, incitati. Batauorum apparatus maior, quam effectus, sed classis eorum valida, et supra modum instructa, celebratur. Aduerso vento, nihil suscipient, neque in continentem Angliae Scotiaeque exscendent. Philippiburgum vix sustinebit continuatum hostis impetum, quamquam id maxime defendi, oportebat, cum ob dignitatem Caesaris, tum ob securitatem Rhenani tractus. Sed omnia

praeripiunt Galli, et horrea belli passim constituunt, praedas et tributa ex finitimis regionibus cogunt et efferunt, Argentoratum spoliis replent, ac prouident, vt multis annis sufficiat annona militaris. Haec sunt fata, imo funera, Germaniae, Rheno Moenoque coniunctae, quae sub iugo gemit, neque liberatur. In conuentu Magdeburgico acerbius locutus est Saxo, sed neruus hoc rerum statu deest. Caesar obsecrauit, vt sine mora occurrat Gallis, caussamque communem tueatur. Hessia superior, Francia et Sueuia, praedationibus Gallorum patet. Virtembergensis Ducatus pariter eorum iniuriis expositus est, omnia trepidant, consilium mutandi locum feliciter dilatum, reputo, nisi Gallus ex Alsatia pellatur, mediocris conditio in Saxonia retinenda. Deus adsit consiliis, et fortunet expeditionem contra Gallos, qui funditus omnia delebunt, nisi arceantur quam primum, armisque profligentur. Vale. Vitembergae, XVII. Cal. Nouembr. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCLXXXVI.
OTTONI MENCKENIO,
P. P. Lipsiensi.

KNorrio bene cupio, viro permodesto, et optimis artibus ornato, et reconditae etiam illius doctrinae, quae principatum

tum in philoſophia tenet, gnauiter perito. Tua praeterea commendatio plurimum dignitatis ei attulit, magnoque ipſi et ornamento et vtilitati,fuit. Rudelius equidem, veteranus ciuis, et Magiſter artium,laudem huius ſtudii digne tueri poterat, ſed eum mors eripuit, vt vacantis gloria muneris forte Knorrio relinqueretur. Roſgerii mores, patronis, vt audio,diſplicent, et ratio eius docendi minus expedita creditur, ſeu vitio linguae, verba praecipitantis, ſiue conatu difficili moroſae ſubtilitatis, ſe ipſam impedientis. Caleno auguror Poetae fortunam, ſi ſpem non abiiciat, praemiumque meritis dignum exſpectet. Qua in re mira omnium conſenſio eſt, qui vident et aeſtimant, poeticam noſtratis Academiae iacere ſterilem, et in extremum prorſus deductam eſſe diſcrimen. Sed redeo ad Knorrium, cuius cauſam aget Zieglerus, et ego in poſterum tuendam libenter ſuſcipiam, quando eum ſummo, vt par eſt, ſtudio Patronis commendabo. Ex ſuperiori Germania nihil, niſi pericula et calamitates, nunciantur. Magnum et difficile bellum patriae impendet,quod litteris quoque graue ominor, et, inciſo ſtudiorum neruo,luctuoſum. Multum ex Batauorum apparatu pendet. Concordia Principum pariter me erigit, et iuſta etiam belli noſtri cauſa ſolatur. Philip-

lippiburgum adhuc resistit, impetumque sustinet summa fortitudinis laude. Collegium Historiae Germanicae magnum vix nascitur, quum extinguitur, conatusque laude finitur et consummatur. Vale et beneuolentia me complectere. Vitembergae prid. Non. Nouembr. A. cIↃ IↃ CXXCVIII.

CCCLXXXVII.
ADAMO CHRISTOPHORO IACOBAEO,
IC. *Sax. El. Consiliario.*

ETsi rationes meae ita ferunt, vt, quid de aliorum doctrina sentiam, scire, quam dicere, plerumque malim, tamen ea auctoritatis tuae vis est, vt consilia et cogitationes meas aperiam, moremque in primis tibi geram. Etenim, nihil prius mihi faciendum puto, quam, vt scholis, quarum salus agitur, bene sapienterque consulatur, hoc praesertim tempore, quo perpauci sunt, qui de iis recte et existimare, et recte mereri, possunt. Vinterus equidem vir probus et diligens, et disciplinae Daumianae assuetus, ac mihi, ob litteras, praecipue Graecas, semper commendatus atque coniunctus, plano satis puroque scribendi genere vtitur, et quotidie proficit, nec vana opinione se effert, neque ineptiis ac nugis indulget. Grammaticum doctum iure dixerim,

erim, et Latinae Graecae linguae peritia nemine facile hic secundum, sed exactam eloquentiae formam ipse sibi non vindicat, ad aequalem autem scribendi rationem, quanto potest studio, adspirat. Egenolphum aequat, sed tenuis fortuna prohibet, quo minus doctrinae subsidia sibi comparet, et maiora moliatur. Si conditio eius melior fuerit, ingenium excitabit magis et ornabit. In corrigendis Graecorum libris multam vtilemque operam posuit, et Epiphanium Iustinumque, prelo Meyeriano excusos, non pridem expurgauit. Knorrius spem mihi facit illustrandae eius doctrinae, quae cum subtilitate, tum iucunditate, ceteris philosophiae partibus praestat. Acrem perspicacemque animum in congressu mihi probauit, et in Batauia etiam non ignotus vixit, vbi clarissimo doctore vsus est, et partum Altorfii decus, duce in Batauis Voldero exquisitissimo, amplificauit. Gledischii libros care emi, sed occasioni imminendum erat, quando non alibi, neque in ipsa Batauia, offerebatur. Duchesnium plenum integrumque nec in Gallia, neque in Belgio, inueni, taceo de Graecis plerisque ex vrbe aeterna aduectis. Me conscientia muneris, et voluptas doctrinae, sustentant, cetera Deus et fortuna expedient, vt spero. Ad vltimum tu

Dei ope praesidioque floreas semper, et bene feliciterque agas. Vitembergae, eadem die et anno.

CCCLXXXIIX.
EIDEM.

TVum, de ornando Knorrio, consilium Academiae prosperum fortunatumque esse, cupio, quod pro auctoritate, qua plurimum potes, facile confectum dabis. Illud tamen pro humanitate tua honori Academiae tribues, vt Patrum commendatione testimonioque opinionem doctrinae confirmet. Quod hi libenter facient et liberaliter, si, vt consuetudo tenet, per epistolam commoneantur, ne non sumant exquirendi operam, quam in recepto nominandi more positam esse, sciant. Omnes fermeKnorrium de facie et animo norunt, plerique etiam disputationes, ab erudito puluere profectas, dono auctoris possident, qui tanto minus honesto eius petito repugnabunt, quanto expressiorem eius ingenii imaginem intuentur. Vir sane modestus, et studiis tam reconditis deditus, nemini, vt opinor, stomachum mouebit, potestas iubendi statuendique penes senatum est, nos obsequii gloriam pietate tuemur. De Thomasio iuniore, si placet probaturque conditio, nihil dubito, quin

et

et ſibi laudem, et ſcholae veſtrae vtilitatem cumulatiſſimam, ſit allaturus. Nihil enim ſines fieri illiberale et praepoſterum, neque, id non faciendum tibi, putabis, quod noſtra omnium intereſt, quodque Patres vehementer optant, et anxie exſpectant. Ad extremum Deus Saxonis expeditionem fortunet, iuſtamque imperii cauſam propitius defendat, fractaeque fidei poenas ab iniuſto et quietis impatiente hoſte expetat, patriamque communem, atque in primis Saxoniam, et in hac etiam praeter ceteros te, conſeruet, omnique gaudio perfundat, vt, laetos ſemper nuntios ad te perferri, audiamus. Vitembergae, V. Id. Nouembr. A. clɔ lɔCXXCVIII.

CCCLXXXIX.
AMICO.

MVltum amicitiae tuae tribuo, planeque confido, nec quicquam iucundius mihi accidit, quam, cum laeti de tuis rebus nuntii afferuntur. Cum vero multa tibi debeam, tum illud quoque acceptum tibi ferre cupio, vt Hobnerus tergiuerſandi finem faciat, chartamque vacuam, et chirographos, ſigillatim traditos, quam primum remittat. Vertit in eo honor meus, et ſalus quoque rerum domeſticarum, quas negligere non poſſum, et quotidie ſolicitum

tum habent. Delusit me ter, et, nomi[illegible] meo rogatus, promissis non stetit. Qui[illegible] nam id animo faciat, ignarus sum, licet ta-men suspicari, subesse fraudem, ideoque hoc negotium tibi conficiendum trado, [illegible] vt iuris praesidio causam iustissimam fulci-as, obsecro. Vale. Vitembergae Id. Nouem-br. A. clɔ lɔCXXCVIII.

CCCXC.

HENRICO MEIBOMIO

Prof. Iulio et Archiatro Guelfico.

CVpio tibi et memorem, et gratum pro-bare animum, cum, quod singulari [illegible] neuolentia me semper prosecutus, [illegible] quod inexspectato nuper beneficio [illegible] nandum putasti, quo nomine per[illegible] tibi debeo, et praedico, vt par est, huma-nitatem tuam, quaeroque materiam laudis ex propenso illo in me animo, cuius [illegible] insignem luculentamque significatio[illegible] mihi dedisti. Superiore mense per[illegible] plerosque libros, ex Italia et Gallia [illegible] ctos, a Gledischio emi, quorum bona [illegible] ex Collegio Romano deprompta [illegible] chesnii scriptores omnes, quotquot de [illegible] bus Francorum tradiderunt, magno [illegible] dem studio curaque mihi comparatis [illegible] non dubito, auita hereditate ad te [illegible] nisse. Haec agentem turbat [illegible]

lica, et vires animosque adimit iuuenibus nostris: studia frigent, vt vix nostram exspectationem tueantur. Erit Deus perfidiae vltor, et in virtute atque concordia Principum, rebus quotidie labantibus, praesidium constituet, feliciterque firmabit. Ita Deus patriam respiciat, Saxonumque et Guelforum expeditionem benigne fortunet, et te, illustrandae Iuliae natum, pariter, cum parente studiorum optima, quam diutissime conseruet XIV. Cal. Decembr. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCXCI.
ERNESTO GOCKELIO,
Reip. Vlmensis Consiliario.

DOleo patriae communis fortunam, et detestor perfidiam hostis, qui, nulla pacis, pactionumque ratione habita, spreto Iuris fecialis ritu, bellum Germaniae intulit, totumque Rheni tractum, securum plane et imparatum, in potestatem suam redegit, patefacto in Sueuiam Franciamque aditu, in Nicri et Moeni atque ipsius Danubii, acco las impetum facturus. Sed breui vt spero, desinet tempestas, recidetque in caput auctoris, qui, nullius sereni patiens, nebulas offundere Austriae, et vi atque inaudita crudelitate omnia obruere, in animo habet.

Cae-

Caesar, pius et iustus, neminem laedit, nec in Principes Ordinesque Protestantium aequus, stat pactis, leges et iudicia custodit, munusque suum, vt par est, administrat. Neminem opprimit, innocentes defendit, labentes erigit atque confirmat, ac liberas vrbes, defensione suae impares, vt potest maxime, tuetur. Nihil acerbius in [illegible] nostra consulit, et religionis causa nemini vim facit, sed suum cuique locum relinquit, nemini inuidens, et nihil alieni concupiscens. Gallus contra, rebus domi secundis, omnia sibi licere, putat, et vicinos, nulla data offensae significatione, inuadit et male mulctat, vt plane iam Punica fides parum a Gallica distet. Sola suspicione ductus, arma cepit, et Palatinum Principem, moderatum ac bonum, de omnibus praesidiis deiecit, in quem tanto acrius exarsit, quanto indignius tulit, eo co[illegible]ctore, reiectum esse Praesulem patriae suae infestum Principem, pacemque cum barbaris coepisse tractari. Talem belli causam speciose comminiscitur male sibi conscius Rex, atque hanc praeuerten[illegible]tionem prudentiae suae conuenire, omnino arbitratur. Quod versute magis, quam iuste, facit, et cupiditati suae seruit, [illegible] acquirendi et occupandi occasionem [illegible]pta, de improuiso finitimos lacessit, [illegible]

aliena republica, velut ſua, ſtatuit, et pacta ex libidine ingenii interpretatur. Caeſar, deceptum ac deluſum ſe, videt, iamque, patriae calamitate admonitus, vires neruoſque omnes ad repellendum hoſtem intendit, ſed, bello Turcico impeditus, modica auxilia ſubmittit, quo confecto, maioribus deinde copiis, imperium defendet. Vobis, tam benigno iuſtoque Imperatore, nihil timendum eſt, qui Vlmam in oculis gerit, vrbem ab omni perfidiae labe liberam et fidam. A violatore induciarum, Gallo, breui Deus poenam expetet, et Regem Anglum, qui Gallica conſilia fouit et coluit, a foedere Gallico ſeiunget. Fortunet Deus Batauorum piam iuſtamque expeditionem, et perfidi hoſtis inſolentiam vlciſcatur, vt eum factae irruptionis poeniteat, et de occupatis prouinciis vrbibuſque cum clade et ignominia decedat, veſtram denique rempublicam ſub iuſto Caeſaris imperio benigne conſtanterque conſeruet. Vale Vitembergae XIII. Cal. Decembr. cIɔ IɔCXXCVIII.

P. S. Bataui exſcenſionem fecerunt in Hantoniam, vel inſulam Hantoniae proximam, portuſque oſtium, quod *Portſmuthum* dicitur, deditione ceperunt, nihil prohibente Anglorum claſſe, et, annitentibus incolis, Iacobum, Regem, in libertatem et ſacra

cra gentis iniquum, armis petierunt, Hiſpanis non inuitis, qui, hoc adiutore, creuiſſe potentiam Gallicam, ſciunt. Proſpero iſto rerum curſu, in Galliam quoque exſcenderunt, Boloniamque, operibus et portu nobile oppidum, eripuerunt. Ad vltimum, quaeſo, Veielium ſalutes, et de ciuibus tuis credas, eos mihi omnes curae fore. Europaeos Reges tuos auide exſpecto.

CCCXCII.

FRIDERICO IVLIO SEYFERTENIO, *Halenſi Saxoni.*

REmitto tibi, quod tradidiſti, opuſculum, quod libenter perlegi, tuamque ex eo induſtriam, in perquirendo et animaduertendo non vulgarem, perſpexi. Velim tamen, cauſas pleraſque factorum accuratius ediſſeras, et momenta ea cum primis addas, quae prudentiam *rectoriam*, in qua plurimum ſane poſitum eſt, illuſtrant pariter, atque confirmant. Cuius notae illud eſt, quod ex ſcriptore ſagaciſſimo, quem vulgus non intelligit, deprompſiſti in hanc ſententiam, non ſchedas et commentarios, ſed vim neceſſitatemque, ac metum adeo, vincula eſſe fidei inter Principes ſeruandae. Hic arduum aliquid ſe offert, quod praeteriri abs te, nolim, vt lectori, cauſas rerum ſcire volenti, facias

ſatis

ſaris. Quae munimenta ſint Principum quid mutuus metus poſſit, quae obligationum repagula praeſto ſint, quae foederum firmamenta ſuppetant, qui obices perfidiae opponi debeant, adhuc tuam, mea opinione, induſtriam requirunt. Sponſores foederum vt ſaepe partibus ſtudeant, experiendo cognoſcimus, et fiduciae ſecuritatiſque poenas damus. Nec nullum ſit laboris tui pretium, ſi Sanctium, vt Lebleus olim ſolebat, peruoluas, qui praeterquam quod in libros Regum commentaria edidit, cuncta quoque eius hiſtoriae capita exponenda ſumpſit, multaque non ſpernenda adduxit. His et talibus doctrinae ſubſidiis opus eſt, quo negotium ex animi ſententia confectum reddas, dignumque aliquid te et poſteritate relinquas. Ego temporum fortunam doleo, maxime ob Gallos, qui Germaniam denuo infeſtam habent, totumque Rheni tractum armis tenent, neque pacis induciarumque religione impediuntur. Vale, et, pro eo, ac ſoles, bene de rebus meis exiſtima, honorique meo faue. Vitembergae XII Cal. Dec. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCXCIII.

HENRICO LEONARDO SCHVRZ-
FLEISCHIO,

Fratri.

AGledischio libros reconditos atque rariores, ex vrbe aeterna aduectos, care quidem emi, sed occasione vtendum fuit, qua amissa, perpetuam aegritudinem contraxissem. Duchesnius nusquam integer haberi potest, qui dudum in tabernis librariis Galliae et Belgii quaesitus, sed non repertus est a quoquam. Labbeus contempsit Marcium, quod ignorasset Annales Bertinianos, quasi hoc crimen esset in homine erudito non ferendum. Nusquam autem hos Annales, quos Conringius Boeclerusque laudauerunt, nisi apud Duchesnium, inueni. Talem reprehensionem prudens effugere volui, cum, vt existimationi meae consulerem, tum, vt ampliora doctrinae subsidia mihi compararem. Iacobaeus emendi studio flagrabat, sed, pretio deterritus, nec Leonis Allatii librum, qui, inter libros Vrbanae, care satis, redimebat. postea quum a me emptum fuisse intelligeret, ... cite exprobrans, scribebat, tam care se libros emere non posse. Rescripsi, nihil ... conceptis his verbis, *me conscientiam ... et voluptas studii sustentant*, ...

fortuna expedient. De Dassouio scias, eum multos et insignes libros, praesertim Commentarios sacros, emptitare, et Stolbergii libros luculenta accessione auctos habere, plurimaque ad ritus pertinentia sibi comparare, suspicor tamen, aemulatione Mayeri ductum id facere, quem omnes prope libros a Bielkio accepisse, compertum habet. Spes eum tenet professionis Theologicae consequendae, nisi Mayerus praeripiat, qui Hamburgensis sacerdotii est pertaesus. Calenus modeste fert aduentum Knorrii, qui muneri professoris Mathematici imponetur, reiecto competitore Sempronio, qui nihil minus, quam repulsam, sperabat. Linckerus vester Ius publicum recentius in aula Isennacensi didicit, et cum vsu iuris Romani feliciter coniunxit, reconditaeque eruditionis, et librorum veterum monumentorumque perquam gnarus est, quod facile intelliges, si cum eo vitae consuetudinem iunxeris arctiorem. Me peradolescentem ipse iuuenis Giessae aestimauit, et Corbachii aliquando, te adhuc puero, amanter inuisit. Litteras Feciales a Caesare Gallo oppositas, vellem, emendatiores edidisset Bielkius. Multa enim irresperunt, perperam expressa, quae sensum quidem non turbant, sed legenti fastidium creant Prudenter et moderate scriptas esse, agnosco, tantoque li-

bentius lego, quas in tempore ad me curasti. Germanicae non perinde mihi placent. Vigeriani libelli editionem Parisiensem, abs te exspecto, Batauam teneo, cui priorem illam omnino praeferri, par est. Iosephum Graecum Latinumque in posterum a Bielkio emam, quem, libros ei redditos vt compleat integrosque mittat, rogabis. In Batauiam serius scripsi, et consulto quidem id feci, ne duobus in locis simul vires exhaurirem meas. Pufendorfii Isagogen Berolini quidam fecit Latinam, quam nondum legi. Huberi de Iure Naturae et Gentium opus nondum ad me est perlatum. Imhofii Genealogiae multum tibi profuturae sunt, quas commodo dabit Hospes tuus. De Bisciola, Frassenio, aurem ei vellica, Villanium item, Rubeum, historicos, perquire. In Iurisprudentia Critica, Cuiacius tibi sit instar omnium, quo, vt et Grotio, ducibus, studium hoc ingressus est Zieglerus, cuius vestigia persequi te volo, vt ab eodem initio et labores, et laudes tuae, proficiscantur. Morem obsecro geras mihi, et in magno etiam id bono ducas, quod, auctore fidelis consilii, amplum Iurisprudentiae cursum expedite conficias, et sine errore ac impedimento, aetate adhuc florente ac integra, cumulatum doctrinae fructum capias retineasque. In hac Noodtius et Huberus apud

Bel-

Belgas facile excellunt, cum Germani festinent nimis et forum spectent. Nouellas Iustiniani Graecas Bielkio extorque, quas dudum mihi promisit. Disputationem Landgrauii de Oraculis Gentilium, cuius partem transmisit, plenam curabis. Vale. Vitembergae Saxonum, prid. Cal. Decembr. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCXCIV.
IVNGHANSIO,
Iuris Candidato.

MAgna solicitudine me liberasti, nec modo pristinam erga me voluntatem beneuolentiamque conseruasti, sed etiam pluribus cumulasti officiis, et, pro tuo in me animo, idoneum cautionis modum rationemque mihi tradidisti. Varios hominum animos, flexibilesque voluntates, et crebras fallendi artes, audio saepe et lego, tantoque magis tibi obstrepere audeo, vt charta vacua tandem quoque eliciatur. Consilii huius auctores sunt librarii institores, qui norunt hominem, et, in rationibus conficiendis sibi non constare, mihi affirmarunt. Quae iusta timoris mei causa est, quam tibi, iuris perito, aperire debui, vt contra insidias, quas suspicatus sum, remedium inuenirem. Male enim mihi consulerem, si, me laqueis irretiri, paterer, ex quibus moleste saltem me ex-

expedirem, si callide et vafre quicquam aduersus me excogitaretur. Illud me in primis terruit et perculit, quod nihil tale cogitanti, paucis abhinc annis, chirographum mihi ostenderet, quo soluendi fidem dederam. Quae res diu ante acta, et plane confecta mihi videbatur. Ego ferme attonitus manum agnoui meam, et solui, quod ex chirographo petebat, non sine fraudis suspicione, quasi cum datis a me chirographis non bona fide, sed veteratoria arte, egisset. Haec vero tibi ingenue edissero, vt, qua ex causa mihi metuam, plane intelligas, etsi non diffiteor, suspicione me posse falli. Reliquum tuae prudentiae fideique committo. Gallos breui poenitebit perfidiae, si omnes Europae vires contra eos commoueantur. Terribilem infestumque vicinis dominatum omnes fere pertimescunt, atque odio habent, iam tempus et occasio est recuperandi omnia, per iniuriam erepta. Auriacus feliciter in Angliam exscendit, ex quo successu omnia Caesaris Germanorumque consilia pendent. Quid Paserini agat, scire cupio, Volhardus vbi sit, rescire non possum, sed suspicor, sacris nuntium remisisse. Is, quem nuper commendaui, iuuenis, an exspectatione dignum se gerat, ipse tu optime iudicabis. Quando futura sit Leickeriana auctio, et, quid de ea constituas ac sentias,

ce-

celare noli. Vitembergae, Calend. Dec. A. cIↄ Iↄ CXXCVIII.

CCCXCV.

HENRICO LEONARDO SCHVRZFLEISCHIO.

Fratri.

DE animo in me tuo, non dubito, et votum, quamuis serum, pietatis tuae amplum satis certumque testimonium habet. Studia et exercitationes tuae cum multae et laudabiles sunt, tum magna me laetitia perfundunt. De bello, nihil est, quod extimescas. Galli breui toto Imperio cedent, ab Anglo profugo auxilium nullum. Dani nihil temere facient, et suae ipsorum saluti in primis consulent; aula sublato Greiffenfeldio, homines rerum consiliorumque peritos quaerit, cum eoque fortuna Danorum concidit prorsus. Sueonum Rex armatus et cautus est, suoque iam auspicio regit sapienter. Poloni diuersis inter se studiis certant, et nihil pro Gallo possunt, Caesaremque vicinum, ex Hungaria terribilem, adspiciunt, superioris belli fama et auctoritas ferme exolescunt Rex Gallo morem gerit, et filio, qui spe Radziuiliae cecidit, huius ope et patrocinio, nouam sponsam quaerit. Maiores Poloni student partibus Brandenburgicis, minoris

Poloniae ordines cum fortuna amorem transferunt et inclinant, vicino cuidam, et nisi me fallit animus, Brandenburgico, si cogat necessitas, accessuri. Rebus in hunc locum deductis, Gallus imprudenter lacessiuit Germanos, cum spectare debuisset apparatum finitimorum, et operiri euentum Hollandicae expeditionis. Illud etiam non perapte factum, quod Delphinum expeditioni versus Rhenum praeficeret, et, magni molem odii in eum deuolui, cuperet, vt clare viderent Germani, hereditarium illud odium fore. Crassa et praeferuida Gallorum consilia nunc tandem se produnt, quae viribus et armis potius, quam prudentia, nituntur. Caesaris pietatem fortunat Deus, hostis, fugienti similis, de Sueuia et Francia Orientem versus, ac Ducatu Virtembergico, decessit, praesidiaque de vrbibus deduxit, omnia ex animi sententia geruntur. Saxo venit in laudis partem, sed praefectus militiae, impar muneri videtur, et a quibusdam non admodum aestimatur. Quae causa est, quod Saxo ipse in castris versari pertendit. Brandenburgicus omnes ad resistendum vires comparat, et consilio atque auctoritate permultum potest. Guilelmus III. confudit Galli consilia, et tantum non disturbauit apparatum magnae et terribilis Gallorum *monarchiae*,

perin-

perinde, ac Guilelmus I. disiecit vastam illam, ab Hispanis praeparatam, toti prope terrarum orbi metuendam. Fatale hoc nomen magnis Regibus est, et posteris memorandum, quod liberator Anglorum, Auriacus, fundamentum iecerit libertatis, et exitium auerterit ab *illis* pariter, ac Belgis. Iam Hispaniae et Batauiae Gallus et Anglus, vicini coniunctique Reges, insidiabantur, et foedere, animis, viribusque ad vtramque subigendam conspirabant. Sed nec Auriacum in Anglia successorem ferebant, consiliaque, instruentibus Patribus, eo referebant, vt incertus, et aliunde surreptus filius substitueretur. Verum alter ad angustias redactus, alter profugus, poenam dabunt consilii praui, Ad res vero nostras vt veniamus, tu, quaeso, de libris Bielkii videas, an multa sint adscripta praesertim Onuphrio, et aliis, qui non vulgares, sed conquisiti sunt et selecti. Zieglerus grauiter diuque aegrotat, sed fortiter dolori obsistit, et patiendo vincit calculum tortorem, quo vocabulo vir constans appellat morbum. Lambertus historicos *Ecclesiasticos* conquirit solicite et comparat, indicesque me poscit, velut successor futurus, cui graue molestumque est, quod spe sua diutius viuat. Calenus te laudauit, ob scriptam Gallice epistolam, vir ingenuus qui fortuna

vtitur non optima; cum spe ceciderit ma-
thematicae professionis. Viuerius ex
Belgio ad me scripsit, multosque et insi-
gnes libros designauit, quos venales expo-
nit. Difficilis hic est pecuniae colligendae
ratio, quam si confectam reddidi, multos
bonos mihi parabo. Orator vester
est, cuius mores et ingenium miror
viro graui expediat esse constantem.
Vitembergae Saxonum, Idib. Febr.
IↃCXXCIX.

CCCXCVI.

ZACHARIAE ZVVANZIGIO

El. Br. a Secretis.

Ipse mihi testis sum mei in te
multis exploratum habes indi
meam in te voluntatem obseruan
abunde confirmant. Felicem
El. e Cliuia reditum omnes laeti
que audiunt, et patriae, ob fidem
tiamque eius, gratulantur, qui
successibus elato, fortiter obnit
Caesari fideliter suadet. Praestit
li, quod is quidem in Iacob
fuit, auctore Auriaco, et adiu
denburgico, deiectum ac dissipat
Europa, inprimisque Belgium,
gliam insidias parabat, seruitutis
berata, nouo hoc auspicio ad dep
iugum se erexit. Cuius rei

et posteritas, beneficiumque agnoscet, quo nullum maius extare potuit, si meritorum rationem ineamus. Breui, opinor, perfidiae poenitebit Gallum, qui, tali fundamento iacto, cecidit spe potiundi Europae dominatus. Hispani sensim se colligunt, et Regi, viduo, nouas, atque coniunctioni regnorum idoneas, in Lusitania nuptias destinant ac meditantur. Caesar breui Vngariam vniuersam, cum accessionibus prouinciisque olim coniunctis, iusto belli pacisque titulo vindicabit. VValdeccius adhuc nihil audet, occasionem temporis locique aequioris exspectans. Boioariae Princeps EL. magnum aliquid molitur, cuius sane interest, Gallos finibus summoueri, et a Philippiburgi, imo et Argentorati, possessione depelli. Semper ita censui, ex prospero belli Vngarici euentu, et, Buda, Mursa Belgradoque, receptis, spem fore, tandem recipiendi Argentorati, in quo non vrbem, sed regnum et propugnaculum, Germania amisit Vale, et de hodiernis Angliae et Europae rebus, consiliis, destinationibus, foederibus, speciatim de connubio Radziuiliano, aliquid perscribe. Vitembergae, Nonis Martiis. A. cIↃ IↃ CXXCIX.

CCCXCVII.

CCCXCVII.

IOANNI FRIDERICO ARZBERGERO

Sacrorum Antistiti.

QVod, de voluntate iussuque Genero-sissimi Schoenfeldii, liberi et Imperia-lis Dynastae, ad me perscriptum beneuole est, id, qua par est obseruantia, accepi, et in parte felicitatis ponendum, iudicaui. Nam mereri de sobole tam illustri, quae de-cus patriae tuendum augendumque suscipit, vna erit maximaque mihi voluptas, cum [illegible] Domino Patronoque obseruando expre[illegible] ratio obsequii mei constet, tum, vt tibi [illegible]citiam studiumque probare possim. Histo-riam rerum toto terrarum orbe insignium [illegible] et notitiam Imperii Germanici, regionum-que exterorum, disciplinam item [illegible]turae et gentium, cum apparatu omnium elegantioris doctrinae subsidiorum tradere paratus sum, et exempla industriae, quan-docunque placet, dare. Sed mensa et con-uictus alibi sunt quaerenda, quorum [illegible] me iudice, perfacilis apud Ledererum [illegible]tebit, qui suos liberaliter habet. Me[illegible] libis conditio id non fert, quandoquidem Zieglero me adiunxi, ab itinere Gallico re-uersus. De cetero statuat inclutus vir [illegible] me, quod velit, nihil recusabo, sed [illegible] copiasque doctrinae et librorum [illegible]

magna nitenti, libenter ac prompte ſuppeditabo. Hoc mei pignus animi, hoc perpetuum obſeruantiae monumentum, Patrono extare volo, et Tibi Venerande Vir, omnia, quae a me proficiſci poſſunt, officia promitto confirmoque. Vale Vitembergae Saxonum, Idib. Mart. A. cIↄ IↄCXXCIX.

CCCXCIIX.
IOANNI BERNARDO FRISIO,
IC. Ienenſi.

QVod mihi in primis honori duco, illud, fratri meo quoque gratulor, talem ei contigiſſe ducem, qualem voto ſemper expetii, et enixiſſime hucuſque quaeſiui. Eam vero laudem Iena ſibi vindicat, quam auſpicato vitae ſtudiorumque ſedem Germanus delegit, et, praeter ceteros, induſtriam dexteritatemque tuam expertus eſt ſingularem; et ſpe ſua maiorem. Optata haec ei proficiendi occaſio erit, ſi conſiliis tuis, quae viam dubitanti muniant, obſequens, firmo pede fidentique animo iuris pariter, atque humanitatis, ſcholas ingrediatur. Diem ex die ducere, et moram facere inutilem, nec fratri expedit, neque mihi probatur. Philoſophiam, iuris perito vtilem, foroque accommodatam, quin magis excolat, non prohibeo, nec ſalubribus et

op

opportune datis consiliis repugno, philosophiam vero insuauem ac nimis subtilem, eamque scholasticam, et plane spinosam, ab eius instituto alienam esse, duco. Me auctore, Historiam ciuilem, et humaniores litteras, cum Mathesi non illiberaliter iunxit, Batauisque harum rerum magistris, Graeuio, Gronouio Volderoque, pro aetate et captu suo, approbauit. Sed haec fateor, ornant, victumque comparanti non sufficiunt, et maius animo gaudium, quam vitae praesidium, afferunt, ac voluptatem nulla, vel exigua, vtilitate circumscribunt. Itaque in eo fundo, vbi magna et locuples conditio offertur, vestigia tandem figenda sunt, vt ad vitam forumque instructior accedat, vsu et exercitatione tua confirmandus. De pacto inter vos conuento non obnitor, sed prorsus ratum habeo, et ita soluendi sponsor sum, vt soluere pro fratre velim. Finitis Lipsiae nundinis, prima portio sine mora impedimentoque perferetur, et idem ordo soluendi, ex pacti lege, vt fieri par est, deinde seruabitur omnino atque constanter. Adsit Deus incepto perquam honorifico vtilique, ac tuo ductu consilioque efficiat, vt frater meus in illo studiorum curriculo sine prolapsione pergat, spatioque confecto, sub tuo auspicio victor, extremam operi manum imponat.

Id,

Id, quanta possum contentione, opto, et omnia secunda tibi euenire cupio, simulque precor, vt seri anni, sempiternaeque laudes, meritis tuis multo cumulatissimis rependantur. Vitembergae, Calend. April. A. cIↄ Iↄ CXXCIX.

CCCXCIX.

HENRICO LEONARDO SCHVRZ-FLEISCHIO,

Fratri.

ARgus sit, qui tam accurate omnia dispiciat, vt non aliquando rationes suas non exquisitissime constituat, et opinione sua fallatur. Nec credo facile, nec fido omnibus, sed, quos suspectos habeo, diligenter exploro, et tempus occasionemque explorandi de industria exspecto. At vero, sic quoque circumueniri me posse, non inficior, praesertim hoc aeuo, ad fallendum idoneo, et subdolis hominibus pleno. Dictatorem inter prudentes me non fero, neque haec stultitia meum incessit animum, qui ipse mihi modestiae testis est, et recto atque ingenuo more delectatur. Ad inertes tamen et rudes me aggregari, non patiar, nec sinet, opinor, tua verecundia, vt aliter de me statuas, et iudicando fines prudentiae transeas, quin potius animum in me aequum serues. Aduena hic et peregrinus, in

Deo

Deo et virtute ſpem poſui, amicos, nece-ſarios, habui nullos, ſenſim, nec ſine inui-dia creui, omneſque fortunae iniurias con-ditione mea inferiores duxi. Velitatio quoque litteraria in gloriam vertit, Proce-reſque mouit, vt contra machinationes ini-micorum firmi, de me retinendo cogita-rent. Profeſſores omnes in exitium meum conſpiraſſe videbantur, ſed vnus [illegible] omnes ſtabam, tanta firmitate animi, [illegible] ra viro ſapienti opus erat. In vrbe [illegible] cos, in Academia aemulos, in do[illegible] et menſa proditores habui vaferrimos [illegible] vt vellent maxime, tamen me op[illegible] non potuerunt. Etiam inter has [illegible] as, quae me circumdabant, cog[illegible] meas non abieci in res humiles [illegible] das. Patris funus, et bonorum [illegible] noſti, iactura, vno eodemque tempore [illegible] ciabantur. Suſtinui impetum et [illegible] Poſtea alios contra me armarunt, [illegible] que inuidiae acrius in me intorquere co[illegible] perunt, excitatis tota Germania [illegible] vt bellum mihi denunciarent. [illegible] ictus, et retudi, et, cum periculum [illegible] tibus impenderet, acquieui, ſtudia [illegible] termiſi, nocteſque inſomnes duxi [illegible] pus laboribus vigiliiſque exhauſi. [illegible] meae non ampliſſimae erant, [illegible] ſuppetitas fere non poterat, [illegible]

liaeque profpicere cogeretur. Propinqui in patria laudem meam, ftudiis partam, molefte ferebant, hic peregrinus aeque, ac inuifus eram. Sed exteri me amabant, et, oblatis ftipendiis, non obfcure inuitabant. Moguntinus per Meznerum, fouente confilium Illuftriffimo Boineburgio, Brandenburgicus, per Becmannum, interpretem, ftudium gratiamque mihi confirmabant, alia alibi melioris fortunae indicia fe prodebant. Sueones, Bataui, Itali, atque inter hos Magliabechius, fpem nouam oftendebant, propenfamque voluntatem indicare geftiebant. Nunquam deiectus fum, fed inimici mei, morte, aut morbo, deiecti, iacent, quorum alteri nocere non poffunt, alteri rationes nocendi conturbatas vident, Deique auxilio me eluctatum, fatentur. Omnes a me auerfi erant, famuli parum fidi, et fures, libros, pecuniam, furripiebant, ab iis etiam inftigati, quorum auctoritate refraenari debuiffent. Hinc tandem aedes mutaui, et fato benigniori damna auerti, plenus animi, et firmus contra offenfam heri, quem et nocendo fubtiliorem, et premendo efficaciorem, cognoram. Sed vix egreffo, aliud impendebat malum, longiufque ferpebat, atque ex Boiemia in Mifniam vfque progrediebatur. Quare abeundi cogitationem fufcepi, comite et adiutore pe-

regrinationis Orthio, quo in Gallia relicto in Germaniam redii, et itinere ad VValdecci-os conuerso, in patriam ire coepi. Sed quo-modo acceptus fuerim, non ignoras. Mater ipsa de filio subdubitabat, statusque con-trouersiam prope iam mouere cupiebat, cumque me agnouisset, subtimere incipie-bat, quasi ideo venissem, vt rationes ab ea reposcerem paternae hereditatis. Omnia fortiter tuli, sed illud in primis, repe[illegible]nae tempestatis instar, me percellebat, [illegible] tristis Francofurto afferretur nuncius, [illegible]des, a me conductas, incendii peri[illegible] subiisse. Verebar enim, ne id male eue[illegible]let rebus meis, si periculi causa fores ef[illegible]ctae, et libri exportati ac distracti, [illegible] Mox, Arolsa discessuro, noua [illegible] obiecta est, cum equitans a via a[illegible]et in syluis montibusque, ignarus [illegible] vagarer. Omnes, qui de professione [illegible]diuerant, in praesentissimum vitae [illegible]men me venisse, tunc affirmabant, ob [illegible]num insidias, quos ibi delitescere, et [illegible]mines irruere, comperissent. In Saxon[illegible]am reuerso, negotium facessebat [illegible]tua, cuius recuperandae causa, nihil om[illegible] sumptibusque nullis peperci. Insidia[illegible] factio inimicorum, malitia famulo[illegible] conspiratio furum, qui, absente me [illegible] nante, ianuam aperiebant, eam[illegible]

adulterinis clauibus vtebantur, et ſchedas MSS. inſpiciebant, libroſque expilabant, et, indicio per Krikouium, prodito, Profeſſorum conſilio ſe fretos eſſe, faſſi ſunt, quae tamen omnia frangere me non poterant, ſed morbus tuus plane me conficiebat, cum Loſſius de humana ope, et arte ſua, deſperaret. Conſpirationem, ab Vngaro coeptam, et a Burcardo Cracouio, et Reutero, improbe continuatam, non magis euitare potui, ac Caeſar Teckelianam. Ego, viros bonos, et integra fide praeditos, exiſtimaui, quibus me credidi, ſed varios et verſutos deprehendi, tantoque magis arcendos duxi. Veteranus ille Carnutenſis, et, huic poſtea coniunctus, Balthaſar, prope in exitium me adduxerunt, ſed Michael, vt accepi, Hungaro diſſuaſit, et, dolum bonum, quem hi ſuggerebant, honeſta ratione non excuſari, dixit. Abraamo, qui, ob litteras, Helmſtadio miſſas, ſtudiumque in Calixtum et Conringium, me oderat, non indignam gratiam retuli, atque in eius funere verba feci. Balthaſar, aemulatione ſtudii infeſtus, nocuit ſubtilius, et Georgium, hiſtoricum, Guilelmo, Iuriſperito, obnoxium, Michaelem et reliquos ſocietate odii coniunxit. Sed ſupremo eius honori pridem ſcripſi, orationem prudens recuſaui. Melchior aegrotantis Iurisprudentiae non adum

brata, sed, expressa signa, habet et mutat-
o aulae temporumque statu, mitius agit
minusque resistit. De te, quod audiam,
nihil abiecte pronunciat, et, quae tua con-
ditio sit, perquirit, etsi offensam dissimulat
et moleste fert, quod ante abitum non sa-
lutasti, quod vt faceres, te admonebam.
Sed non moror haec, et de instituto
emendi hoc te scire volo: non modo
cundum, sed etiam necessarium
pliorem rei librariae apparatum
opinionem aulae, tum, vt exspec
eruditorum sustinere possim.
animi mei voluptas, et vna exist
meae tuendae ratio est, vt libros
selectissimosque conquiram,
nihil magni in doctrinae studiis
que muneris dignitatem orn
subsidia viro erudito in omni ge
paranda sunt, vt, posteritati, se
stetur. Olearius Arnstadio,
contulit, numos mihi transmis
ma et imago produnt, non e
Cum Vitembergae esset, aerea
bat, sed is cuiuspiam Pontificis
erat, nota numeri annum Pon
signabat. Cum Daumio illi fuit
cium, et *Abacum* scripsit
vtilem, ac modica laude dignum
varios, in Bibliotheca Halensi

legit atque inſpexit, et numos pleroſque collegit veteres ac peraros, quos ei non inuideo. Sagittarius, Antiſtes Altenburgenſis, numos, medio aeuo cuſos, multo, nec ſuperuacuo, labore conquiſiuit, eoſque gnauiter illuſtrauit. Imagines rudius expreſſas mihi tranſmiſit, quas in aere incidi, neceſſe eſt, vt pulchriores extent. Auctor ei fui, Henrici Aucupis et Ottonum numos inueſtiget. Ego Aucupis quendam in cimelio Seideliano vidi. In Batauia Graeuius et T. doctrinae aemulatione aduerſus ſe contendunt, alter doctus et prudens, alter, ineptus ad vitam, et prope ſtolidus, pecuniae indigens, Italiam peruagatus eſt, et multa more ſtultorum fecit. Magliabechius ad me ſcripſit, iuſſitque, vt Tenzelium ſalutarem, quod tu facias nomine meo. Nam a rixis Tenzelianis ſtudio abhorret, et inquiſitionem cenſuramque Pontificis pertimeſcit. Graeuius, totam fere Italiam illo certamine excitatam, dicebat, in cuius partem veni, cum epiſtolam diſſertationi Tenzelianae ſubiicerem, quae ad Schelſtratium miſſa, fax controuerſiae fuit. Auctor diſputationis nihil non agit et deſtinat, vt per certamina et lites famam conſequatur. mihi alia mens eſt, et tempus omnino melius collocare poſſum, quam illi ſolent, qui rixis delectantur. Schelſtratius, in ſacra

profecto antiquitate, operam docti et diligentis viri approbauit, ſed humanitatis et hiſtoriae ciuilis minus peritum eſſe, animaduerti, et in capite, de duplici *Baptiſmo* Conſtantini ab illo ſemper diſſenſi, cauſaſque expoſui in epiſtola, quam ad Tenzelium ſcripſi. Tollius, qui nuper ex Italia rediit, de eo, vt audio, abiecte iudicauit, et, codices libroſque duntaxat *Eccleſiaſticos* ab illo ſibi commonſtratos, dixit, vbi iudicium Batauus interponere non potuit, quod in reliqua antiquitatis parte voluiſſet enixe, et vtique potuiſſet. Coloniae, cum bibliothecam et numos viſeret, non magnam audaci cenſura gratiam retulit, et ſine praemio, quod ſperauerat, eſt dimiſſus. Ego modeſtius de codicibus numiſque ſententiam dixi. Quod ad tuas res attinet, videris ipſe, quid facto ſit opus. Scholae priuatae apud vos non magno pretio conſtant, et, in tanto docentium numero, facile aperiuntur. Vale. Vitembergae, Nonis April. A. cIↃ IↃCXXCIX.


CD.
EIDEM,

SI, quam expedita, tam certa eſſet interpretationis tuae ratio, facile locum darem, nunc, cum *placendi* verbum de expreſſo tantum conſenſu, quod ſciam, legatur

tur apud Scriptores Latinos et probos, facedas testimonium auctoris prisci, vbi *placuit*, de consensu tacito efferatur. Hoc operae tuae pretium sit, alioqui non est, cur iudicium tuum interponas, si genus dictionis, exemplaque veterum, quae causae tuae praesidium afferant, ignores. Tum, quaeso, edisseras, num latine dicatur, *contractum aut venditionem in scriptis fieri*, de quo dubitauit Leiserus, et a me petiit, hoc sibi darem, et non grauato aperirem. Porro vsus, qui in foro dominatur, tuae sententiae repugnat, quippe qui expressum omnino requirit consensum, si recte quidem contrahatur in scriptis, vt obligatio sit efficax pariter, ac firma. Vismariensis, cuius diligentiam non reprehendo, magnopere a quodam laudatus est, sed locus communes edidit, et dispari laboris successu ordinauit, quos expolire magis et ornare potuisset: sed, vt priuatim dictauit, sic protulit in publicum ac protrusit. Multas eius digressiones, et vulgares nouosque scriptores, passim laudatos, non probo. Salmasius tanto operi suffecturus fuisset, noster Graecae litteraturae non satis peritus, nihil tale quod aestimem, polliceatur. Francus more critico commentatur ad Institutiones, iratis, sed non renitentibus, Iuris peritis, multa vult, plura molitur, nihil digne

perficit et abſoluit. Anglus Duglaſſius Mayero, Theologo, Hamburgi capita religionis exponenti, contradixit, ſed hic palmam diſputandi Anglo praeripuit, et victoriam reportauit. Titium, quem noſti, ratio deſtituit, quum proxime ad noſtrum ordinem ſcriberet, ſe cum quouis Mathematicae Profeſſionis Candidato et certare, et vincere paratum. O ſtultitiam hominis, tantum ſibi tribuentis, vt cum Knorrio certare et experiri velit: Te aptiorem iudicarem, veteranum Matheſeos auditorem. Vicit Knorrius, Volderi et Sturmii diſcipulus, patria Halenſis, idemque meus conuictor. Tua vero ſpes, de re facienda, ne inanis ſit, opto. Multi quidem connubio locupletare fortunas volunt, ſed falluntur. Otioſi homines feſtinant ſaepe, et fruſtrantur atque excidunt, dum, lubrico in ſolo veſtigia ſe figere, arbitrantur. Valdeccia, argenti inops, fundos, prata, vaccas, pro dote reddit. Amplius praemium Tubinga mihi datura fuiſſet, ſi quieuiſſet, Gallus, pacemque ſeruaſſet. Septingenti numi vnciales a principe decreti mihi deſtinatique dicebantur, cum munere amplo, et acceſſionibus aliarum dignitatum claro. Sed regio opima et fertilis nunc exhauſta eſt, nec Deus conſilium migrandi approbauit, neque ab vrbe hac et otio me abduci, voluit, idque

que in vtilitatem meam vertit. Ita Arbiter ille Optimus res noſtras moderatur ac temperat, et cogitationibus ipſis interuenit, propoſitumque mutat. Cuius beneficio omnes rationes tuas fortunatas feliceſque eſſe, cupio, et precor tibi robur Herculeum, et ingenium Socraticum, quod iudicio et prudentia aliis praeſtabat, ſola autem pietate carebat, quam Deus, Vade Chriſto, et Sponſore ſuo Spiritu, in te augeat atque confirmet. Nam ab hoc initio omnis vera ſolidaque felicitas proficiſcitur, et hoc fundamento nititur, atque hac radice alitur et conſeruatur. Vale. Vitembergae, VII. Id. Apr. A. cIↄ Iↄ CXXCIX.





INDEX PRIOR,

NOMINA EORVM, AD QVOS EPISTOLAE HVIVS VOLVMINIS PERSCRIPTAE SVNT, EXHIBENS.

A.

Bor-

Erasmio

H.

H.

I.

Kress

L.

M.

Mei-

Zah.

INDEX POSTERIOR,

PRAECIPVA RERVM MOMENTA COMPLECTENS.

Bar-

C.

Cice-

D.

E.

Gen-

Hen-

Gen-

Hen-

Loe-

Mi-

Prae-

Sal-

VVal-

Za-

Z.

Emendanda.

P. 17. l. 26. l. diſplicet. p. 26. l. 26. l. ac F[illegible]
oſtendunt. p. 38. l. 21. l. ſoles. p. 48. l. 19. l. concord[illegible]
l. 1. l. Presbyterianus. p. 73. l. 6. l. colere. p. 79. l. 2. de[illegible]
deleopus. p. 97. l. 8. Pariſienſi. p. 107. l. 18 [illegible]
adde poſt verbum poſtulat, quoniam fan[illegible]
23. l. indulgeat. p. 146. l. 26. l. comminiſc[illegible]
liberatumque p. 171. l. 2. l. aſſerimus. p. [illegible]
140. l. 19. l. dynaſtarum. p. 243. l. 29. l. ſti[illegible]
dele Princeps eius, et adde, Comes Teſte[illegible]
l. 11. l. viui. p. 269. l. 7. l. vos. p. 279. l. 17. [illegible] p.
354. l. 27. l. roſtris. 357. l. 26 Orbiliorum. p[illegible]
p. 387. l. 27. poſt ſtatutum, adde, habuit p. 4[illegible]
pta. l. 26. l. ſaluo. p. 413. l. 20. l. Pontifex. [illegible]
l. 17. l. nos. p. 469. l. 9. l. libertatem et [illegible]
Saxonis, p. 471. l. 12. l. difficiles. p. 48[illegible]
rum. p. 508. l. 24. l. te fugiat. p. 517. l. 19 [illegible]
p. 521. l. 28. l. pactionibus. p. 54[illegible] l. [illegible]
adde, et fortunet, vt Germaniae bene ſit [illegible]
communi patria. p. 556. l. 4. l. diuorum. p. 5[illegible]
teſtandae. p. 559. l. 26. l. Caſellit. p. 569 [illegible]
588. l. 24. l. calculi. p. 594. l. 23. l. alloc[illegible]
gni te. p: 621. l. 12. l. [illegible] p. 633. l. [illegible] C[illegible]
mini. l. 5. labentibus.

